[illegible] I Imp. Rom.

[illegible] III Imp. Rom.

[illegible]

Carolus V [illegible]

Ferdinandus [illegible]

Franciscus [illegible]

[illegible]

Philibertus Emanuel Sabaudiae dux

Carolus dux [illegible]

Marcus Antonius Columna

[illegible]

Johannes [illegible]

Carolus [illegible] dux

[illegible] Sabaudiae dux

[illegible]

[illegible] dux

[illegible] dux

[illegible]

Carolus [illegible] dux

[illegible]

Ferdinandus [illegible] dux

Albert [illegible]

[illegible]

Mauritius [illegible] comes

[illegible]

Carolus [illegible] Burgov

Andreas Cardinalis [illegible]

[illegible] Radzivil

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Eitel Fridericus Comes a Zollern

Andreas Comes a Sonnenberg

Fridericus a Fürstenberg

Georg a [illegible]

[illegible] eques

[illegible]

Johannes [illegible]

[illegible] baron a Rogendorf

[illegible]

Marcus Sittichus ab Altaemps

Camillus [illegible]

Antonius Lera

Conrad a [illegible]

[illegible]

[illegible]

Franciscus [illegible]

[illegible]

Caspar Frundsberg

[illegible]

Sfortia Pallavicinus

Franciscus [illegible]

[illegible]

Jacobus [illegible]

[illegible]

Ugo [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Johannes [illegible]

[illegible]

Augustinus Barbadicus Venetus. - - 91 - 104
Albertus 1mus Romanorum Imperator. - 4.
Alphonsus 2dus Ferrariae Dux. - 45 - 26.
Alexander Farnesius Parmae Dux. 57 - 35.
Antonius Leva. - - - - - 84 - 63.
Andreas Comes à Sonnenberg. - - 54 68.
Aliprandus Madrutius Baro Brentonico - 75.
Andreas Auria. - - - - - - 30, 85.
Andreas Cardinalis Austriacus. - 67 89.
Andreas Teufel Baro in Gundersdorf. 107 - 96.
Ascanius Corneus. - - - 100 106.
Albertus Marchio Brandenb: Elector - - - 52
Bartholomaeus Coleo. - - - - 71 110.
Carolus Vtus Austriacus Rom: Imperator. 2
13 Carolus 9nus Valesius. Galliae Rex. - 12.
Carolus Archidux Austriae. - 50 - - 27.
Carolus Maynii Dux. - - - 65 - 28.
Conradus à Bemelberg. - - 45 - 50.
Carolus Austriacus. Marchio Burgoviensis 47 59.
Cornelius Bentivolius. - - 96 - 61.
Carolus Gonzaga. - - - - 94 67.
Carolus Baro à Zerotin. - - 105 78.
Cosmus Medices. Florentiae Dux. 46 - 92.
Casparus Freindsbergius. - - 90 94.
Christophorus Baro à Teuffenbach. 109 97.
Cincius Capisuchius. - - - 79 - 99.
Camillus Ursinus. - - - - 83 - 105.
Christophorus Mondragonius. - 122 - 100.
Daniel Ranzovius. - - - 111 - - 44.
Eitelius Frid: Comes Zollerensis. - - 58.
Ferdinandus Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis. - - 47 - - 1.
Ferdinandus 1mus Rom: Imperator. - 3.
Fridericus 3tius Pulcher. Rom: Imperat: - 5.
Ferdinandus Cathol: Arragonius Hisp: Rex. - 9.
Fridericus 2dus Daniae Rex. - - - 10.
Franciscus 1mus Valesius. Galliae Rex. - 11.
Fridericus Comes Palatinus Rheni. Bav: Dux 18.
Franciscus Momorancy Dux 2dus. - 45 32.
Ferdinandus Toleti Albae Dux. 35 - - 33.

Fridericus 3tius de Montefeltre Dux Urbini 37.
Ferdinandus Bavariae Dux. - - 62 55.
Fridericus Comes à Furstenberg. - 75 65.
Franciscus Castellaltus. - - - 88 76.
Franciscus Duodus Venetus. - 91 77.
Franciscus Verdugus. - - - 124 79.
Ferdinandus Comes Nogarolius. - 120 82.
Ferdinandus Consalvus de Corduba 17 84.
Franciscus Gonzaga Mantuae Marchio 27 88.
Georgius à Freundsberg. - - - 76 38.
Georgius Castriotus Scanderbegus. - - 51.
Galeatius Fregosius. - - - - 113 60.
Guido Bentivolius. - - - - 97 62.
Gabriel Serbelonius Mediolanensis 110 64.
Guilielmus Baro à Rogendorf. - 14 - 40.
Henricus Guisiae Dux. - - - 8 - 31.
Henricus Ranzovius. - - - 144 - 81.
Joannes Fridericus Saxoniae Elector. 36 17.
Jacobus Superantius Venetus. - 95 39.
Joannes Ranzovius. - - - 112 41.
Janus Maria Fregosius à Genua. 20 42.
Joannes Baptista de Taxis. - - 123 46.
Joannes Medices Florentinus. - 24 - 54.
Joannes Austrius. - - - - 53 56.
Jodocus Josephus Comes Turrianus. 118 70.
Joan: Jacobus Medices Marchio Meliniani 121 71.
Joachimus 2dus Elector et Marchio Brandenb: - 72.
Joannes Casimirus Palatinus. - - 56 73.
Joannes Serenberger ab Aw. - - 103 80.
Joannes Zisca Bohemus. - - 70 - 83.
Joannes Jacobus Trivultius Mediolanensis 49 91.
Jacobus Malatesta. - - - - 104 93.
Joan: Rueberg Baro in Pixendorf 115 95.
Jacobus ab Embs. - - - - - - 98.
Jacobus Hannibal Comes ab alto amiso. 116 101.
Joannes Zamoiski Magnus Cancellarius Poloniae. - 25. 113

Philibertus Emanuel Sabaudiae dux
Carolus dux [illegible]
Marcus Ant. Columna
[illegible]
[illegible]
Carolus [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Matthias [illegible]
Carolus [illegible]

× Lazarus Schwendi [illegible] Hohenlandsberg. 104 45.
× Ludovicus Hung: et Bohemiae Rex. — — 6.
× Mathias archidux austriae. — — 59 13.
× Maximilianus archidux austriae. 61 15.
× Mauritius Saxoniae Dux Elector. 43 16.
× Mehemetes Sokologli Passa azem Vizirius 24.
× Matthaeus Langius archiep: Salisburgae: 25 53.
× Marcus Sitichius ab alta Embs. — 82 06.
× Mauritius auraicus Nassoviae Comes. 65 90.
× Melchior Michael Venetus. — 89 102.
× Marcus Antonius Columna. — 51 109.
× Nicolaus Christophorus Radzivil. — 69 43.
× Nicolaus Serinii Comes. — — 108 107.
× Nicolaus Radzivil. — — 64 100.
× Octavius Farnesius Parmae Dux. 48 20.
× Philippus 2dus austriacus Hispaniarum Rex. — 00.
× Philippus Dux Burgundiae. — — — 14.
× Philippus Comes Palat: Rheni Bavariae Dux 29.
× Philibertus Emanuel Sabaudiae Dux 44 30.
× Petrus Strozza florentinus. — 107 47.
× Philippus Landgravius Hassiae. 31 40.
× Petrus Ernestus Comes Mansfeldiae. 74 66.
× Rupertus Rom: Imp: Comes Palatinus — 7.
× Robertus Sanseverinus. — — — 72 69.
× Sigismundus archidux austriae. — 23 19.
× Sebastianus Venerius Venetiarum Dux. 52 21.
14 Stephanus Bathoreus Poloniae Rex. — 22.
× Solymannus Turcarum Imperator. 5 23.
× Sebastianus Schertelius a Burtenbach. 86 49.
× Sfortia Comes Sanctae Florae. — 98 57.
× Sigismundus Pandulphus Malatesta. 77 07.
× Sfortia Pallavicinus. — — — 92 103.
× Udalricus 3tius Wirtenbergae Dux. 37 — 34.
× Vespasianus Gonzaga Sabionedae Dux. 55 36.
Udalricus a Schellenberg Eques. — 76 74.

× [illegible]
× Franciscus urbini 26
× Fridericus gonzaga 22
× Carolus borbonius 28
× Gulielmus juliae etc. Dux
× Annas [illegible] 34
× Henricus mormorancis 39
× Ferdinand gonzaga 41
× Johann Medici
× Nicolaus Radziwil 66
× Carolus lotharingiae Dux
× Maximilian archidux austriae
× Albertus archidux austriae 96
× Wolfgang Theodoricus ab Ems
× Castor Balloninus 113
Christophorus [illegible] 37
Franciscus Comes Zollerianus 71

[illegible] ✓
[illegible]
[illegible] ✓
[illegible] ✓
[illegible] ✓
" [illegible] ✓
[illegible] ✓
[illegible] ✓
[illegible] ✓
Christoph Baron [illegible] ✓
Johann Joseph [illegible] ✓
Astor Ball[illegible] ✓
Ferdinand [illegible] ✓
[illegible] ✓
Christ. [illegible] ✓
Johann Bapt. [illegible] ✓

Schrenk a Notzing.
imperatorum etc. descriptiones
Mit Titelkupfer u. 124 (statt 125)
Kupfertafeln. Selten.

Es fehlt das Porträt Ulrichs von Schellenberg
Ergänzt aus der deutschen Ausgabe von 16[illegible]:
Porträt von Joh. Christoph Herzog zu Sachsen
Nicolaus Graf von Serin (am Rande beschnitten u. etwas wasserfleckig) Ritter Conrad
von Bemelburg, Frh. Lazarus von Schwendi
u. Herzog Friedrich III von [illegible]

[illegible] Fr.


CARL OTTO V. KIENBUSCH

AVGVSTISSIMORVM IMPERATORVM,

SERENISSIMORVM REGVM, ATQVE ARCHIDVCVM, ILLVSTRISSIMORVM PRINCIPUM, necnon Comitum, Baronum, Nobilium, aliorumq; clarissimorum virorum, qui aut ipsi cum imperio bellorum Duces fuerunt, aut in ijsdem præfecturis insignioribus laudabiliter functi sunt, verissimæ imagines, & rerum ab ipsis domi, forisq; gestarum succinctæ descriptiones.

QVORVM

ARMA, AVT INTEGRA, AVT HORVM PARTES, QVIBVS INDVTI, VSQVE ADVERSVS HOSTEM HEROICA FACINORA PATRARVNT, AVT QVORVM AVSPICIIS tàm prospera quàm aduersa fortuna res magnæ gestæ sunt, à Serenissimo Principe FERDINANDO, Archiduce Austriæ, Duce Burgundiæ, Comite Habspurgi & Tyrolis &c.

Ex omnibus ferè orbis terrarum Prouinciis partim conquisita, partim ab illorum hæredibus & successoribus transmissa, in celebri Ambrosianæ arcis Armamentario, à sua Serenitate non procul ciuitate OENIPONTANA extructo, conspiciuntur.

OPVS

Prælibati Serenissimi Archiducis iussu in vita inchoatum, & ab eiusdem Serenitatis consiliario & Secretario IACOBO SCHRENCKHIO à Nozingen continuatum & absolutum.

OENIPONTI,
Excudebat Ioannes Agricola.
M. DC. I.
Cum Priuilegio Cæsareo.

IN ARMAMENTARIVM

Herôicum Serenissimi Principis Ferdinandi Archiducis Austriæ &c. Ambrosianum.

CARMEN

Henrici Ranzouij Producis Cimbrici, Equitis nobilissimi.

AVSTRIACVS Dux Fernandus, Mauortia passim
Arma, viris gestata, quibus res bellica cordi,
Et studio hostiles fuit impugnare phalanges,
Colligit, Herôumq; exornat imagine viua,
Et ferro gestis declarat singula rebus.
Sic tàm facta notis, tabulisque incisa loquuntur
Virtutem inuictam, quàm picta coloribus ora
Herôum, quorum appensa sub casside virtus
Emicat, extenditque viris in sæcula nomen.
Ergò quod Austriacæ FERNANDVS gloria gentis
Vndique congestis armamentaria scutis,
Armatæq; penum virtutis condit honori,



Gens Martis generosa suæ exemploq; iuuentæ
Cedit, vt in robur, mentemq; excita virilem,
Laude pari aduersos ruat inperterrita in hostes.
Hinc Fernande genus Diuûm, flos inclyte gentis
Cæsareæ decus Austriacum, quem nuper olympus
[Ptoh]orbi inuidit, cœlestiq; intulit aulæ,
Posthuma fama tibi grates, laudemque reponit,
Debita militiæ quod præmia soluis, & ista
Fulmina bellorum fausto victricia Marte,
Suspensis armis, & perpete laude coronas,
Et quia venturæ ætati calcaria subdis,
Vt simili aduersum virtute feratur in hostem,
Posteritas tibi grata tuas, Dux maximè, laudes
Armorumque penu tantum pleno ore sonabit.
Sed neque te Schrenki, transibit fama, decenti
Qui te laude, canet, qui Herôum digeris arma,
Archiduciq; manus prebes, operasq; ministras,
Fortunati ambo, sed fortunatior Herôs
Fernandus, qui sublatus trans sydera, sanctos
Herôas lætus videt, atque videtur ab ipsis.


FERDINANDVS DEI GRATIA ARCHIDVX
BVRGVNDIAE COMES TYROLIS ET HASBVRGI

AD SPECTATORES THEATRI HEROICI

Iambicum scriptum à nobili clarissimoq; viro Paulo Melisso Comite Palatino & Equite Aurato, Ciue Romano.

HVc quisquis Hospes aduenam feres pedem
Peregrine, siue ciuis, aut soli incola,
Montes vbi altos inter Oenipons situs,
Visurus Heroum THEATRA splendida,
Imaginesq; viuidis coloribus
Sollerter expressas: memento Principi
Hoc FERDINANDO munus acceptum libens
Referre, deinde CAROLO eius filio,
De stirpe natis Austriæ propaginis.
VIRTVTIS ille, cui studetur, vnicæ
Mirificus æstimator ac recognitor
Etiam hoste in ipso prædicandam censuit;
Hic insequutor æmulus vestigiis
Rectà paternis comparem insistit viam,
Dicans HONORI templa. Noueris adhæc,
Quæcunq; sunt heic Arma, ea ipsa Cæsarum,
Regum, Ducumq; & Principum, & reliquorum item
Esse arma, quæ suopte quondam corpore
Gestata eisdem, præliando cum feros
Hostes adirent; & peculiariter
Communicata sint per ipsos posteros
Nobiscum, & huc relata, non modò ex locis
Germaniarum & Galliarum plurimis,
Verum ex Italia pariter atque Hispaniâ,
Regnisque sub Septemptrione disitis:
Non absque consignatione encomij,
His omnibus singulisque debiti.
Ac vera sunt, quæ scriptor historicâ fide
Locupletiora ad hancce testimonia
Probationem adduxit, integerrimus
Assertor ipse veritatis integræ.

Ergo faceſſant nugiuendi Zoili,
Momique fumo veritatis ebrij,
Pium laborem candidorum Principum,
Operamque docti ſingularem SCHRENKII
Reprehendere & culpare præcipites nimis.
Nam tot ſigilla, totque paſſim epiſtolæ
Extant, manusque clarorum verticum,
Queis exhibendis ſi neceſſitas ſiet
Impoſta, conuincentur & mendacij
Et falſitatis, quotquot in ſcirpo putant
Nodum inueniri, & neſcio quem ſcrupulum
Mouent inanem. Scire te videlicet
Volui iſtud, Hoſpes, mecum vt eſſe gnarus;
Fidemque adimeres nullâ agentibus fide,
Fidemque haberes præditis bonâ fide.

EIVSDEM AD IPSOS HEROAS, VITA FVNCTOS.

HEROVM manes animæq́;, illuſtria quondam
Nomina, nunc tumulis condita muta cinis,
Saluete æternum. Veſtri reſplendet honoris
Gloria depictis his in imaginibus,
Et titulis laudum iuxtà, & caſtrenſibus armis.
Surdane ſit vobis auris ad hocce decus?
Aut oculi cæci? Geſtitis alacrius ecce
Audire, & validæ cernere facta manûs;
Inclita facta quibus gens æmula poſtera, famam
Spargat in Eoos, ſpargat in Heſperios.
At quotus heic quiſquis eſt, quem nō iuuet vſq; perennes
Vos legere in chartis, vos colere in tabulis.

PROŒMIVM
AD BENEVOLVM LECTOREM.

CVm multa ſint acvaria hominum ſtudia, quibus pro ſuo quisq; genio, & naturæ ductu, ad ſolidam aliquam laudem comparãdam, optimamq; ſui memoriam poſteris relinquendam nitatur, ideò laudatiſſimos quosq; & heróica animi indole præſtantes viros, in hoc potiſſimum elaborâſſe obſeruauimus, vt, quanquam multis & animi, & naturæ dotibus inſignes, in omni virtutum genere ſe exercuerint, aliqua tamen in re peculiarem ſibi quiſq; gloriã quęſiuerit, & ad pręclari nominis palmam alius alio itineris compendio contenderit, æternamq; ſuæ induſtriæ, virtutisq; famam ad poſteros tranſmiſerit. Laudantur igitur & non immeritò quidam, quod in ſublimi honorum gradu à Deo cõſtituti, bonarum tamen literarum ſtudia vel coluerint ipſi, vel feliciter in illis verſatos liberalitate ſua fouerint: Benè enim de Republica, totoque genere humano merentur, qui viros optimis diſciplinis deditos ad rerum gubernandarum cõſilia adhibent, vereq; illud à diuino Platone dictũ eſſe iudicant: Tùm demum felices fore Respublicas, ſi vel eruditi rerum potiantur, vel earum potiti literis operam dent. Non minori quoq; laude extollendi ſunt viri Principes, qui altiori quodam animi motu atteptis armis, vt jus, & æquum tuerentur, noxiorum hominum vim ab aris, & focis depulerunt, non vt bella ex bellis ſererent, nec vt præpoſtera dominandi libidine pręcipites agerentur, ſed vt, propulſatis vndecunq; iniuriis, pacem, & tranquilitatem ſuis ſubditis paretenr. Extra omnem verò laudis opinionem poſiti videntur illi, qui & Marte, & toga clari, domi in pace omnia ex ſapientum vitorum conſilio benè, & prudenter adminiſtrârunt, literatum ſtudia, viroſq; doctos liberali amore, & munificentiæ largitate proſecuti ſunt, & ſicubi bellum ingruerit, fortitet & tempetanter ſe geſſetunt. Quamuis autem à literarum cognitione diſpar omnino rei bellicæ ſtudium nonnullis videri poſſit, tamen ſi rem recta reputemus via, magnam hæc habete inter ſe cognationẽ inueniemus, adeoq; veriſſimum eſſe illud Claudiani dictum; Quòd gaudeat virtus teſtes ſibi iungete muſas, & non iniuria litetas ament illi, qui literarum monumentis digna edunt facinora. Hinc præclariſſimi omnium ætatum bellatores aut docti fuerunt ipſi, aut viros doctrina excellentes in precio habuêre. Exempla tàm ex omni retrò & Græcorum & Latinorum antiquitate, quàm ex noſtra parentumq; noſtrorum memoria proferri hîc multa poſſent eorum, qui vel literis, vel re bellica, vel vtroq; inſignes egregiam ſui memoriam mundo reliquêre. Sed vt breuitatis ſtudio pauca ex multis referam, quis Alexandrum illum Magnũ à puero Philoſophię operam dediſſe ignorat? quis Iulij Cæſaris eruditionem cum inuicta bello virtute coniunctam vel in ipſius Cõmentariis non videt? Memoratur & vox illa Alphonſi Regis Neapolitani, qui rogatus, vtri plus deberet, armis, an libris, ex libris (inquit) & arma, & armorum vſum didici. Hæc autem ideò potiſſimum commemorantur, vt conſtet ijs, qui ad defenſionem induerunt arma, non modicum ptofuiſſe, quod literas amauerint & calluerint, quorum adminiculo rerum in bello, domiq; fortiter & præclarè geſtarum documenta ad poſteros ttanſmiſerunt. Quod tantò efficaciùs præſtiterunt, quantò artis militaris inter alias ſcientias Dei munete conceſſas, meritis laudibus magis celebrandæ, & præ reliquis tacita quadam natutæ lege ita fateri cogente, propter maiorem dignitatem, maiusq; emolumentum ex ea naſcens plus commendandæ peritiores fuerunt. Quod cum ita ſit, non eſt vllus, niſi tàm diuinarum quàm humanarum rerum prorſus ignarus, qui negarẹ poſſit, nullam vocem, nullam laudem diſciplinæ militaris ſtudio ſatis dignam reperiri, qua ſiue eius dignitatem ſpectemus, nihil excellentius, ſiue gloriam, nihil magnificentius, ſiue deniq; vtilitatem, nihil fructuoſius poteſt excogitari. Si enim Iuſtitiæ virtutem ea tantum ratione cæteris anteponendam eloquentiæ

princeps Cicero aſſeuerat,quod ad cõiunctionem hominum, & ſocietatem tuendam valeat plurimum,quid de rei bellicæ peritia erit iudicandum,quæ pro eadem pugnat, contemptis vitæ periculis, ab aliorum etiam ceruicibus calamitatem repellit,& ad immortalem nominis famam ſuis cultoribus aditum parit? Hinc igitur Licurgus ille ſapientiſſimus Lacedęmoniorum legiſlator pueros non in ciuitatibus ad luxum,& voluptatem educandos, ſed in agris ad belli labores infracto animo tolerandos ſeuerè præcepit. Hinc Romani,Græcorum exemplo permoti,adoleſcentes ſuos in campo Martio bellicis quibuſdam concurſionibus, & vmbratilibus pugnis in ſingulos penè dies exerceri voluerunt,vt eorũ animi huius rei pulchritudine capti, ad militiæ ſtudia magis magisq́; inflammarentur. Intelligebant enim præclarè contemni eos,qui nec ſibi, nec aliis proſunt,his artibus etiam non modò regna potentiſſima, prouinciasq́; innumeras Imperio ſuo adiectas, ſed vniuerſum propè terrarum orbem deuictum. At ne quis fortaſsè errore deceptus Ethnicos tantum bellicæ gloriæ ſtimulis concitatos arbitretur, legat ille ſacrarum literarũ monumenta, quibus Iudæorum gentem militaris ſcientiæ percupidam fuiſſe demonſtratur. Taceo hic victorias, quas inclytus ille populi ductor Ioſue ab hoſtibus reportauit, item Gedeonis & Machabæi facinora, qui virtute bellica inſtructi,copioſos ſæpè exercitus parua manu ſtrauerunt,fuderũt, extinxerunt. Nónne Dauid fortiſſimus Goliæ interfector tantum excelluit,vt omnium regum triumphi illius gloria obſcurentur? Sed quid antiquitatis exempla conquirimus, vidit noſtra, patrumq́; ætas Herôes in hoc genere exercitatiſſimos,qui priſcorum gloriá,ſi non ſuperârunt omninò,at certè quàm proximè acceſſerunt. Eorum namq́; virtus non domeſticis circumſepta parietibus continetur, ſed ad vltimas, & ſeculis prioribus incognitas regiones iam pridem cum magna admiratione peruaſit. Quare cùm tot tantaq́; commoda, tot ornamenta & decora in armorum tractatione conſpiciantur, æquum eſt, & rationi conſentaneum, vt virorum Illuſtrium memoria, qui totum vitæ tempus Marti dedicârunt, nulla vnquam obliuione ſepeliatur,ſed in clariſſima luce conſtituta,omnium animos veluti ſtimulis quibuſdam ad generoſæ virtutis imitationem incitet. Cùm igitur Sereniſſimus Princeps Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis &c. maiores ſuos pacis belliq́; artibus, aliisq́; virtutibus ſummum familiæ Auſtriacæ decus fęliciter & induxiſſe, & diutiſſimè conſeruâſſe sciret,optimum quemq́; ex ipſis imitandum ſibi ſemper eſſe duxit,ac inter cęteras virtutes,& herôici animi occupationes, rei bellicæ ſtudium à prima ſtatim adoleſcentia ſingulari quodam genij ſui inſtinctu amplexus, deinceps etiam ad extremum vſq; vitæ ſuæ terminum ſummo amore proſecutus eſt,adeoq́; diſciplinæ militaris obſeruantia,in qua proſperi bellorũ euentus maximè conſiſtunt, ornare nũquam deſtitit: Magnanimitatis enim ardore accẽſus hoc vnicum ſemper in votis habuit, vt contra ius & æquum nihil quicquam tentaret, neque iniuſtum temeraria audacia defenderet,vel ad hoc vllum auxilium præberet. Eius verò rei vt aliquod etiam monumentum apud poſteros extaret,in talium armorum,quibus, qui ſuis ſeculis bellicæ laudis præconio floruerunt, aut qui noſtra ętate militari gloria clarent,atq; aliorum auſpiciis,ductuq́; vti dictatores,& legati induti fuerunt, & aduerſus hoſtem vſi ſunt,nec non imaginum ad viuum expreſſarum ſuppellectile comparanda per multos annos nec ſummæ diligentiæ,neq; ſumptui pepercit,& ex longinquis diuerſisq́; nõ duntaxat propinquioribus regionibus adferri curauit, atq; in hoc nullo aut generis, aut partium, quas quiſque ſecutus eſt, aut religionis delectu habito,id vnum quęſiuit, vt qui bello quauis ex cauſa ſuſcepto militauerũt, & ordines duxêre, in hanc Herôum cohortem allegerentur. Nec ea tantum intra parietes armamentarij Ambroſiani affixa ſeruari,ſuosq́; & ſuorum oculos paſcere contentus fuit,imò vt publico quoq; vſui commodaret, atque ad illa ſpectanda fortè non admittendis gratificaretur, Herôes cum ſuis quosq́; effigiebus æri inciſis repræſentari, vitasque ſingulorum & res geſtas per elogia breui compendio adiecta typis excuſas ob oculos poni voluit. Cùm etiam viuentium laudes (vt dicitur) non ſine multorũ inuidia prædicari poſſunt, eorum qui ſuperſtites ſunt, hiſtoriam, quam compendioſiſſimè ex tranſmiſſis

commentatiis, aliorum autẽ, qui è vita excesserunt, ex communicatis passim verissimis narrationibus, & probatis authoribus depromi negotium dedit, nõ dubitans hoc suæ, & venturę ætatis hominibus fore gratissimũ, si non solùm tot illustrium virorum memoriam in armis & imaginibus recolerent, sed & plutimarum vittutum documenta in illustri posita monumento intuerentur. Quanquam verò tàm in ipso Ambrosiano armamentario, quàm in hoc opere is seruetur otdo, vt Impetatoribus, & Regibus primum, ac post illos Principibus, comitibus, Baronibusq́;, & reliquis herôum collegio dignissimis proceribus suæ assignatæ sint stationes, temporum tamen habita ratione, & non dignitatis prærogatiua obseruata, secundum bellorum quoque annos, quibus quisq́; vixit, & bella gesta sunt, omnium imagines & descriptiones optimè & decenter dispositæ seriatim sequantur. Id quoq; monendus est lector, esse inter illos, quorum arma vel temporum iniuria, vel negligentia hominum amissa non integra ad manus peruenerunt, eotum tamen quicquid haberi potuit, siue gladius, siue galea, aut quæuis alia armaturæ pars sit, aliorum probè ordinatæ seriei affixum in armamentario contineri, quod memoriam illorum cum imagine, & rerum gestarum descriptione non minus referat, quàm si vel omnia, vel plura illorum inueniri potuissent: quæ verò alicubi delitescere cognoscentur, non minori studio quàm cętera accuratè conquirentur. Mihi ergo terq́; quaterq́; inclytus Archidux cum anno Nonagesimoquinto aductsa valerudine laborarct morti proximus, (vt cui antea totius negotij cuta commissa fuit) seriò & expresè huius operis absolutionem, in quo filij sui, Illustrissimi Principis Caroli, sacri Romani Imperij Marchionis Burgouię &c. auxilium non defuturum foret, mandauit, & sub piaculo iniunxit, neminem futurum confisus, vt suorum maiorum, qui supra ortus, prosapiæq́; excellentiam ad perennem nominis celebritatem euaserunt, in armamentarij Ambrosiani conclaui, tot herôibus associandorum decus nullo æuo periturum nõ esset summo cum gaudio & voluptate speculaturus ipsemet quoque pro quota suæ memorabilibus editis facinoribus comparatæ laudis, & gloriæ parte in hoc theatrum & otdinẽ adoptatus, noua nobilitate induta, clatiùs & luminosiùs viuens elucesceret, & posthac amplius & insignius gestarũ rerum felicissima, gloriosaque continuatione maiot illustriorq́; redditus, olim ex vera oris maiestate, armotum splendore, atq́; huius operis lectione à posteris cum admiratione agnosceretur, & honorificentissimè virtutum factorumq́; prædicatione celebratetur. Prælibatus quoque Illustrissimus Princeps & Burgouiæ Marchio, ad quem post obitum gloriosissimi progenitoris sui ditio Ambrosiana cum arce & sæpè memorato celebri armamentario peruenit, herôicæ virtutis ardore impulsus hoc suæ Serenitatis perlaudabile institutum ad ipsius & omnium eorum, quorum inteteſt laudem perpetuam, honorificentissimamq́; memoriam locupletate & ornare ardenti zelo satagens, huius operis continuationem, atque editionem mihi denuò gratiosissimè commendauit, quam meo studio, labore, sumptu susceptam frater quoque meus charissimus Fridericus Schrenkhius à Nozingen, eidem illustrissimo Marchioni à consiliis & cubili pro virili promouit. Vnum quoque candidissimum lectorem monitum edoctumq́; volo, defunctorum imaginibus maiori ex parre pleniora elogia, sed superstitum iconibus adstrictiora encomia, omnibus fideli ingenio syncerè temperatis, ea causa apposita esse, quod huius tempestatis cettior sit maleuoléria, liuor, & obtrectatio, quàm benefactorũ laus & præmiũ, nemoq́; licet in hac vita fortunatissimus, gloriosissimusq́; ante vltimum diem ex omni parte beatus dici queat. Diuersi enim politicorum, & militarium studiorum sunt euentus, sæpè etiam per omnem vitam secundissimè, laudabiliterq́ue confectorum dignitas, sub mortem inauspicatò, & fœdissimè commissorum turpitudine obscuratur, vice versa semper prius sinistrè, & absq́; gloria cum graui damno gesta editi ante supremi fati diem clarissimi, saluberrimiq́; facinoris indelebilis splendor illustrat. Sors enim omnia versans, & cæca libidine cuncta dans, & eripiens, herôicæ virtuti, sapientissimis consiliis, fortibus ausis non perindè semper ad victoriæ gloriam æquo studio fauet, nec illis fœlices successus respondere cõcedit, vt quamuis isti, qui bellum administrant, aliis virtutũ concursu

& præſidio, prudentia, fortitudine, ſolertia
impares non ſint, attamen propter aduerſantis for-
tunæ inclementiam iacta alea ſiniſtrè cadente palma non
potiantur. Fortuna quoque ſæpiùs benignè arridente gratia ab-
blanditur, deindè inſolens petulantius iocarur, in exitu malignè acer-
bo ſæuit odio, ſuperiores victorias funeſtis cladibus corrumpit, inflictas ſtra-
ges incomparabilibus trophæis recompenſat. Quapropter viuentium res pro-
ſperè geſtæ parcius laudandæ, & infeliciorum caſuum iniquiore maledicentioreq́;
cenſura abſtinendum. Poſtremò quum in hoc ſeculo diuerſa ſunt iudicia hominum,
& quilibet ſuo quodamodò affectu vel procliuiret ducatur, aut impotenter trahatur,
omnibus liberum arbitrium permittitur, vt ſi quid in his dignum commendatione inue-
nerint, illud amplectantur, ſin quid diuerſi, hoc fugiendum & vitandum ducant.
Vale & huius operis lectione ad doctrinam, imaginibusq́; ad
iucunditatem vtere, fruere.

SACRATISSIMO
ATQVE
INVICTISSIMO
ROMANORVM IMPERATORI,
GLORIOSISSIMO CÆSARI, RVDOLPHO SECVNDO
Auguſto, Germanico, Pannonico, Bohemico, Dacico, Pio, Feliciſsimo & Inclytiſſimo &c.
Atque
POTENTISSIMO TOTIVS HISPANIÆ, VTRIVSQVE SICILIÆ, AMBARVMQVE INDIARVM &c. REGI CATHOLICO PHILIPPO TERTIO &c.

SERENISSIMIS, VNIVERSIS ET SINGVLIS
ARCHIDVCALIS AVSTRIACÆ DOMVS PRINCIPIBVS, DN. DN. DN. MEIS CLEMENTISSIMIS.

MAgnanimos, & bellicoſos Herôes, Auguſtiſſime Imperator, potentiſſime Rex,
Sereniſsimi principes, graui conſtantiq; iudicio ſibi ſalubertimè perſuaſiſſe liquidò depre-
henditur, beatam vitam in glorioſis, illuſtribusq; factis, quibus perennis nominis laus fa-
maq; comparetur, ponendam eſſe. Ad hunc igitur conſequendam æternæ appetentes glo-
riç in toto ſuarum actionum curſu hoc vnico ac rectiſsimo itinete, atq; fixo animi decreto
contenderunt, vt generoſo naturæ genio ducente, poſtquàm præcellenti educatione, &
multis exactæ diſciplinæ præceptis optimos acquiſiuiſſent cõfirmâſſentq; mores, nobilia
opera æmularentur, & nudæ, horridę, aridæ, ſterilisq; virtutis imagine non contenti, vera
rerum prçclarè geſtarum effigie certius & viuidius expreſsi ſui æui hominibus admirabiles ſpectarentur, ac famæ
ſuæ monumento literis condito poſteri docerentur, quòd illi bonas artes ad Romanorum herôum exemplum etiã
claſsico canente non intermiſsis literarum ſtudiis ſedulò exercuerint, his impensè fauerint, imprimis pietatis, iu-
ſtitiæq; cultu, & ſceletum odio ad illuſtris immortalisq; nominis anhelârint decus, ad laudis aſpirârint perennita-
tem, vituperanda repudiauerint, laudanda ſectati nobili & ſalubri inclytorum factorum imitatione nihil magis
decorum, nihil honeſtius ſapientiſsimè duxerint. Qua ſententia ipſi mortalium feliciſsimi cenſeantur, qui, prçter-
quam quòd, vt ampliſsimam promererentur laudem, & hac tanquam innatæ virtutis, honeſtiq; talionis proprio
ac debito fructu in humanis fruerentur, nihil, niſi per illuſtria, & honeſtiſsima quæque reſpexerunt, nihilque ſtu-
dioſius fecerunt, niſi, quando præſtantium Ducum mores operaq; legendo exempla imitabilia cognouerint, ea
æmulo delectu feliciter ſuſceperunt ſequenda, & vitia temperati moris modum excedentia ingenua verecunda-
que ſua probitate declinando euitârunt, adeoq; egregia animi & corporis facinora ediderunt, propter quæ viui à
mortalib⁹ in magna admiratione venerationeq; ſunt habiti, etiam poſt fata ex benè factis ſperata honorifica præ-
dicatio meritò, dignè, cumulatiſsimè illis obuenit, ac in futura ſecula perdurabit. Vt igitur talium, cùm qui è vita
diſceſſerunt, tùm etiam nunc ſuperſunt, herôum ardentiſsimæ virtutis auſpiciis parta gloria exprimeretur, & in-
ſigniter ab illis geſtarum rerum recẽtiſsima memoria ſemper retinererent, Sereniſsimus Auſtriæ Archidux Fer-
dinandus, feliciſsimæ recordationis, illorum imagines, arma, aut integra, aut harum partes, & vitæ actorumq;
commentarios vndiq;, quantum vel poſtulatis, vel ſumptibus, aut ſpontanea tranſmiſsione nanciſci potuit,
curioſè conciliauit, & in peculiari arcis Ambroſianæ armamentario decenti ordine diſpoſuit, non tàm ſibi
in ætatis flexu, & præcipiti ſenecta peramæna voluptate, quàm ſpectantibus iucundiſsimo oblecta-
mento his præſtantiſsimis verę virtutis exemplis parato. Neq; verò tantùm in Ambroſiano armamen-
tario huiuſmodi imagines & armaturas conſpici, ſed vt benigna cõmunicatione per terrarum orbem
agnoſcerentur, eas æri inciſas, ac vitæ operumq; ſummam ſuccinctis elogiis comprehendi, & ſimul
typis excudi conſtans & perpetuus eius animus & conſilium fuit. Quemadmodum etiam hoc
in vita ſuæ Serenitatis inchoatum, mihi autem, cum anno Nonageſimo quinto in læthalem
morbum incidiſſet, obitui proximus in ſeriis & expreſsis mandatis oretenus, vt incepti
operis continuationem abſoluerem & promulgarem, reliquit, non tàm in perpe-
tuam herôicæ curæ & ſtudij ſui teſtificationem, quàm vt huius præſentis æui,
& poſterorum ſeculorum generoſa ingenia, quæ in diuerſis orbis partibus
agerent, glypticè effigiatos impreſſosq; conſpicerent, atq; ab iiſdẽ
geſtorum laconicas deſcriptiones legerẽt, & cognoſce-
rent, tales herôas, & inter eos etiam nonnullos

ſuorum gentilium,qui per bella alter-
natis lubricæ fortunæ caſibus, & ludis non ſine
variis periculis atq; victoriis geſta & adminiſtrata incla-
ruerunt, adeoq; in admirationem nobilemq; imitationem reui-
uiſcente ſemper cum laude in Ambroſiano armamentario imaginum
& armorum tenus repręſentatos & intuendos reperiri,hoc herôicum Thea-
trum oculis perluſtrandi,& porpterea itineris capeſcendi cupiditate accenderētur,
atq; à ſuis promiſſa & deſiderata aut ſecum adferrent,aut receptæ tranſmiſsionis officiū
exſoluerent,ipſimet quoque ad paria vel maiora id genus monumentis digna ſapientiſsimis
conſiliis,& pugnacibus dextris conficiunda imitationis aculeo extimularentur, illi vero,qui in
viuorum contubernio etiamnum verſantes eximia facinora hactenus patrâſſent , ad inſigniora &
priorum gloriam ſuperantia edenda inflammatiores deferrentur. Hinc Sereniſsimus Archidux pro
ſua ſapientia & acutiſsimo iudicio certò futurum præſagijt, vt qui ex defunctorum herôum ſtemmate
procreati forent , generoſa æmulatione non ſolùm familiæ ſuæ decora equare niterentur, ſed magno in-
teruallo ſuperare contenderent,& ſi prędeceſſores ſui imperij amplitudine atq; opulentia maiores felicio-
resq; fuiſſent, ſibi tamen in dominatu certiſsimis virtutibus augendo , immortali gloria, & proſperrimis vi-
ctoriarum ſucceſsibus acquirenda Dei ſuperi propitium fauorem quoq; arriſiſſe , illuſtrium factorum docu-
mento poſteritatis notitię teſtatum relinquerent.Quoniā autē à demortuo Sereniſsimo Archiduce Ferdinan-
do laudatiſsimę memoriæ, huius operis publicandi abſolutio atq; editio mihi irrogata,& illud ipſo authore præ-
cipuè in laudabiliſsimæ Auſtriacæ Domus non intermoriturum decus inſtitutum & inchoatum ſit M.M.tum &
CC.um VV.rum nomini dedicari æquum , dignum & par eſt,quibus tantò gratiùs acceptiusq; futurum non dubia
ſpe cōfido,quòd à ſuæ familię Imperatoribus ætatis,qua ſecutos aliarum ſtirpium Auguſtos anteceſſerunt,hono-
re & Imperij Maieſtate,qua illis præeminuerint,quæ etiam paucis eorum qui ex vna ſtirpe oriundi,& in imperio
rerum potiti fuerunt,nō interciſa ſerie in præſens vſq; ſeculum continuatur auſpicium ſumat. Neq; huius operis
nuncupatione MM.tibus & CC.bus VV.ris digniores iudicantur,quæ maiores ſuos Auſtriacos herôas,à quib⁹ Chri-
ſtiana Reſpublica inuictis armis defenſa,& pulcherrimis belli ac pacis artibus exornata eſt,æmulando,clementia,
moderatione,iuſtitia,in ſummi imperij & plurimi dominatus poteſtate vtuntur,vt eaſdē ſanctiſsimorū iſtorum
principum omnibus numeris non tantum referendorum, effingendorumq;,ſed auguſtius exuperandorū ſtudio-
ſiſsimas imitatrices eſſe lucidiſsimè appareat. Qua æmulatione vti MM.tum & CC.um VV.um maiores animi vir-
tute,vitæ innocentia,imperij æquitate in cœlum ſibi viam ſtrauerunt, & cunctos ſui ſeculi, & ſuperiorum ætatū
principes aut dignitate fortunaq; pares , aut opibus & potentia præpollentes merita conſenſu omnium inclytorū
facinorum gloria anteceſſerunt, ſic etiam MM.tes & CC.dines VV.æ repetita illorum in his nomina atq; ingenitas
virtutes generis ſui fulgentiſsimum iubar deffuſiore auguſtioreque illuſtriſsimorum operum lumine radioſius
enixè illuſtrant,& in eam incumbunt curam, vt non ſolùm progenitorum ſuorum fama nullo vnquam æuo con-
ticeſcat , laudis claritas nunquam offuſcetur & perſtringatur, ſed etiam MM.tum & CC.num VV.um herôica ſacta
poſteris æterna prædicatione ab omni obliuione vindicet , artificum induſtria cuncto repræſentet æuo , ac inge-
nuorum ſcriptorum labor tantorum ingeniorum Chriſtiano orbi ſaluberrimas dotes, & pacis belliq; actiones ele-
gantiſsimè deſcriptas oculis cogitationeq; ſuſpiciendas liberalibus ſynceriſq; iudiciis tranſmittat , & non tàm in-
gentium animorum virtutes , operaq; elogiis comprehenſa lectores admirentur , quàm imagines aſsimilanter ex
vero ductæ ac æri inſculptæ intuentium oculis voluptatem pariant. Quod igitur ad huius operis nuncupatio-
nem attinet,Inuictiſsime Auguſte,Rex ampliſsime,Principes principū nobiliſsimi, hoc MM.bus & CC.bus VV.ris
vtpote ab horum agnato Sereniſsimo Archiduce Ferdinando primo authore ortum & fundatum, atq; ab eiuſdē
filio Illuſtriſsimo Principe Carolo , Sacri Romani Imperij Marchione Burgouienſi &c. continuatum , auctum,
ſolis optimo iure debitum, mea cura, ſtudio, opera , labore & ſumptibus abſolutum , & in lucem editum humi-
limè offero , & ſupplici corde obteſtor , vt hanc dedicationem clementiſsimè conſulere , quicquid eſt muneris
non aſpernari,me ſua gratia, & benignitate amplecti ac perſequi dignentur. Excelſiſsimum numen MM.tibus
& CC.ibus VV.ris ſupremæ horæ ſpatium in multa ſæcula extendat,& diutiſsimè incolumes , prolatis Chriſtiani
orbis finibus,& cumulatis ex inter neciuo hoſte victoriis feliciſsimaſq; conſeruatas,poſt huius vitæ cum morte
commutationem ad æternæ beatitudinis participationem in ſuperorum conſortium recipiat, cœleſtis reddat-
que immortalitatis compotes , quarum clementiæ me obſequentiſsimum clientem cùm omni humilimi ani-
mi deuotione commendo. Datæ OEniponti Calendis Ianuarij,Anno reparatæ ſalutis M. DC. I.

MM.tum & CC.num VV.rum

Humilimus & perpetua fide ob-
ſequioq; deuotiſsimus cliens

Jacobus Schrenkius
à Nozing.



FERDINANDVS

ARCHIDVX AVSTRIÆ, DVX BVR-GVNDIÆ COMES TYROLIS.

FErdinandus Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ,
Comes Tyrolis &c. patre Ferdinando, Augustißimo Romano-
rum Imperatore, Hungariæ, Bohemiæque rege, matre verò Anna
Ludouici Hungariæ, & Bohemiæ regis filia in oppido Linzio anno
M. D. XXVIIII. natus, à prima statim adolescenria lectißimis mo-
ribus & literis imbutus, honestè ac liberaliter educatus, bonæ maturæq; frugis spem de se præbuit.
Ingenium illi constitit ardens, erectumque ad laudem, ita, vt egregij ducis, atq; optimi principis indo-
lem præ se ferret. Itaq; totum illud adolescentiæ tempus ab illo non in remißionibus positum, sed in as-
sidua præstanrium virorum consuetudine, diligentißimoq; cùm omnium honestarum artium, tùm earũ
præcipuè, quæ populorum rectoribus necessariæ sunt, exercitio consumprum est. Vix adolescentiam egres-
sus, cum Carolum Quinrum Imperatorem aliquot Germaniæ principes, conspiratione inter hos conrra illum
facta, armis persequerentur, à Ferdinando patre Pragæ interea defunctæ reginæ vxori funeralia agente in sub-
sidium fratri Carolo cum auxiliaris Bohemorum copiis missus, victoriæ, capto Iohanne Friderico Duce Saxoniæ
Electore, & patre subsequẽre, interfuit. Quo bello finito, cum pater Ferdinand9 à Carolo fratre Romani Imperij
administrationem suscepisser, vr se tot regnorum gliscentibus adhuc variis in locis tumultibus bellicis, immensis
curis & oneribus aliquantulum subleuaret, Ferdinandus filius ab ipso regno Bohemiæ præficitur, cuius guberna-
tionem ea animi dexteritate, clementia, & iustitia ita moderatus est, vt conciliatis sibi omnium penè regni ordi-
num & subdirorum animis, eum tanquam patrem miro amore, & honorificentia prosecuti sint. Exacta prima æ-
tatis parte denuò sibi ex domestico & vmbratili vitæ genere, quod aliquo eò vsq; rempore coluerat, flagrantißi-
mam illam cogitationis, arris, vsusque militaris sitim explere cupiens, in solem quod dicitur, & puluerem prode-
undum esse iudicauit, vr præclara illa semina, quæ diligenter subacto & præparato animo, omniq; rarione souerat,
aluerat & auxerat sesè exererent, & speratos saluberrimosque Christiano orbi fructus proferrent. Anno igitur
M. D. LVI. Ferdinandus pater certior factus de rebus ad Sigethum & Babotzam in inferiori Vngaria per Turca-
rum exercitum gestis, magna concepta spe, vbi occasioni nō deesser, hostem eo anno debellari posse, copias ex no-
uis tàm pedirum, quàm equitum delectibus in suæ ditionis, atq; Imperij prouinciis cogi cura intentißma iubet,
quibus qui præesset, tàm ex Vngaris, quàm Germanis, & magnitudine rerum gestarum, & milirari gloria clarißi-
mi non deerant. Vnus tamen inter cæteros magno incensus gloriæ æstu Imperatoris filius Ferdinandus blanda
precum eleganria patrem eò adduxit, vt paterna dignatione huic expeditioni destinaretur, in qua dux antequàm
miles tyrocinia poneret. Imperator igitur filium pientißimè adhortatus est, vr, Dei victorias largientis auxilio an-
niteretur, & quæ patris auspiciis, suoq; ductu, & Imperio acturus foret, ea ratione administraret, quò optimis
principiis egregius finis, & prosperis ceptis dexter euentus responderet, semper confidens suis conaribus propitiũ
Dei immortalis numen adfuturum, & benigna aura eius studia ad sui nominis gloriam, Christiani orbis salutem,
& æternam rei ab ipso gestæ famam prouecturum. Pergeret igitur adminiculante diuino numine Christianam
religionem tueri, communem patriam à Turcarum impiis armis, & imminenti exitio vindicare. Anno igitur præ-
memorato Solimani Turcarũ Imperatoris iussu Haly Bassa arcem Sigethensem obsidente, cum exercitu in Vnga-
riam profectus, tale forrirudinis & industriæ militaris specimen edidit, vt hostis huius magnanimi principis ad-
uentu consternarus obsidionem soluerit, & cum vniuerso exercitu retrocedere coactus fuerit. Ferdinandus verò
aliquot locis partim expugnatis, partim receptis, arcem commeatu bellicisq; tormentis, & firmiori militum præ-
sidio firmans, ad patrem victor rediit. Nec ea laude contentus otio se postea tradidit, imò declarauit nunquam de-
sidem & ignauam esse virtutem, nullas sibi esse à præclaris actionibus ferias, fortes & cōstantes viros, honestorum
laborum ac munerum perfunctione non ad quietem inuitari, sed ad alia ex aliis aßiduè suscipienda incitari. Soli-
mano itaq; anno M.D.LXVI. postremam suam sibiq; fatalem expeditionem in Vngariam suscipiente, & Maxi-
miliano secundo Romanorum Imperatore cum Imperij copiis, positis ad Iaurinum castris, ei obuiam processuro,
fratri validam equitum turmam cum insigni nobilitate suis stipendiis in auxilium adduxit, supremique legati
munere laudabiliter functus est. Fuit Princeps decoræ formæ, morum elegantia & corporis dignitate præstans,
quæ ornamenta cumulauit vultus serenitas, iudicij acumen, & prudentiæ sagacitas, & hæc ipsi apud omnes
summã pepererũt admirationem. Imprimis verò Dei cultum, & religionem Catholicam feruido zelo iugi-
ter asseruit, & pietatis atq; religionis suæ monumenta extructas sacras ædes, & sacella reliquit. Tandem
cum domus suæ Austriacæ gloriam à maioribus acceptam, & bello & pace illustrâsset, superiores pro-
uincias Austriacas triginta tres annos summa cum æquitate rexisset, & superioribus temporibus sub
diuis Imperatoribus Ferdinando patre, & Maximiliano fratre expeditiones in Turcas bis iterum-
que susceptas tanta virtute, industria, & felicitate persecisset, à diuo Rudolpho secundo Cæsa-
re Augusto summum ipsi totius exercitus sui in Amurathem secundum Turcarum tyran-
num imperium delatum est. Id verò, quò minus obiret grauißimo morbo impeditus,
paulò pòst maximo cum omnium dolore è viuis immaturè ereptus est. Vixit an-
nos Sexaginta quinque, menses septem, & dies decem. Obiit anno M. D.
X C V. vicesima quarta Ianuarij. Sepultus Oeniponti apud S. Crucem in
sacello Beatæ Mariæ virginis, monumento,
quod viuus sibi fieri curauit.


PLVS

CAROLVS V.

AVSTRIACVS ROMANORVM IMPERATOR.

CAROLVS hocnomine in Auſtriacorum proſapia
primus,& Romanorum Imperatorum ſerie Quintus, Philippo
primo Maximiliani primi Cæſaris filio ex Iohanna Hiſpaniarum
regina naſcitur Gandani anno M.D.Patrem amiſit puer,& aui pater-
ni Maximiliani cura educatus, materno Ferdinando Arragonio in Hi-
ſpaniæ regnis ſucceſsit anno decimoſexto. Mortuo Maximiliano abſens ab Electoribus ad Impe-
rium euocatur, licet Galliarum rex Franciſcus multum laboráſſet, vt is honos ſibi deferretur,& non
deeſſent,qui illi fauerent. In Hiſpania aduerſus Mauros magnas copias ducens,quadraginta millia bar-
barorum proſtrauit.Plebem in Hiſpania nouis rebus ſtudentem compeſcuit,cum Proceres regni,à ſuis par-
tibus ſtarent.In Germaniam veniens Aquiſgrani fruſtra eum ob ſęuientem ibidem peſtem hortantibus E-
lectoribus,vt alium locum coronationi deſignaret,ab Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt,in-
quiens,ſe non temerè Caroli quarti legem mutare poſſe.Poſt aliquot annos à Clemente ſeptimo Bononiæ coro-
nam Imperialem accepit. Exorto inter Carolum & Franciſcum Galliæ regem,bello, Mediolanum Gallis ereptū,
& pòſt Genua Liguriæ vrbs opulentiſsima à Cæſareanis direpta eſt. Cum Franciſcus præcognouiſſet Cæſaris
militem ex Gallia Narbonenſi re infecta diſceſsiſſe,animum ad recuperandū Mediolanum adiecit,nec voto fru-
ſtratus Mediolano potitus eſt.Inde verò infeliciter Ticinenſi oppugnationi aliquot menſes,nulla re memorabili
confecta,ſe dedit,quam vrbem cum iam in quartū menſem oppugnáſſet,nouis Cęſaris copiis ſuperuenientibus,
prælio decertare coactus eſt,cuius is fuit euentus, vt nobiliſsimis Gallorum ducibus & proceribus interfectis rex
ipſe gnauiter pugnans viuus in hoſtium poteſtatem conceſſerit. In Hiſpaniam ductum Cæſar ſuum in conſpe-
ctum admittere noluit.Quod Rex tàm ægrè tulit,vt in morbum læthalem inciderit,quem tamen mitiſsimus Cę-
ſar comi colloquio blandè amiceq; conſolatus eſt propediem eum à ſe dimiſſum iri recipiens.Clementem Pontifi-
cem cum Gallo ſentientem, à Borbonio obſeſſum,Roma capta & in Caſtellum S.Angeli fugere coactum reconci-
liatumq; tandem in priſtinam libertatem reſtituit. Geldriæ Dux Carolus multis ſuis oppidis amiſsis.vt ſe Cæſari
dederet,compulſus eſt.Quo anno etiam Traiectenſis Epiſcopus omnem dictionem ſuam cum ſubditis in Carolū
Imperatorem vti Brabantiæ Ducem & Hollandiæ Comitem tranſtulit , & Cæſar ad cohibendos nouos tumultus
arcem intra Traiectenſium mœnia extruxit. Mediolani Ducatū Franciſco Sfortiæ Romano imperio parere iuſſo
reſtituit.Florentia ad Vndecimum menſem validiſsimo exercitu obſeſſa,& ad ſummā omnium rerum penuriam
adacta,ſub certis conditionibus Cæſari ſe dedidit,Medicæam familiā quàm Florentini expulerant,recipere, & in
priſtinam dignitatē reſtituere coacti ſunt , quibus Alexandrum Medicem Cæſar Reipublicæ caput, cuius ſinguli
magiſtratus authoritatem ſequerentur declarauit.Solimannum Turcarum tyrannum cum immuneris propè co-
piis ſola ſui aduentus fama territum à denuò obſidendæ Viennæ conſilio auertit. Primus Germanorum Impera-
torum bis in Affricam tranſmiſit , Hariadenum Barbaroſſam fugauit,Tunetum in Affrica recepit, Muleaſſem re-
ſtituit,& Guletam à fundamentis reſtaurauit.Franciſcum Galliæ regem pactis non ſtantē iterum per Henricum
Naſſouienſem fugauit.Subaudiæ Dux à Gallis profligatus,reſtitutus,& cum Franciſco decennales indutiæ ſanci-
tæ.Gulielmum poſtea Chuenſem principem,Dura capta, compeſcuit, obſequioq;, adempta Geldria, ſibi obſtrin-
xit.Germaniæ Principibus fœderis Smalcaldici bellum intulit.Iohannem Fridericum Sauoniæ ducem Electorem
ad Mulhuſium cepit, Wittembergam deditione occupauit,Landtgrauium Haſsiæ Philippum ſuplicem cuſtodię
tradidit,vterq; tamen ex clementia Cęſaris certis conditionibus liberatus,Saxonię Electoratus ad Mauritium Io-
hannis Friderici patruelem tranſlatus, & ciuitates quædam Imperij ob religionis diſsidia turbulentiores iuſſa fa-
cere coactæ.Decem & octo regna in nouo orbe Romanis rerum olim dominis incognita , multasq; maris Atlan-
tici Inſulas imperata facere,& Chriſtianam fidem ſuſcipere, compulit. In bellis,quibus interfuit, ſæpè rebus ad
conflictum ſpectantibus , ipſe primus in acie , ac inter primos , ſua quemque militem lingua ad fortiter agendum
adhortabatur.Cum aliquando nutante partium fortuna in dubia ſpe victoriæ verſaretur, honeſtas pacis condi-
tiones ſemper elato conſtantiq; iudicio repudiauit , ne quod virtute atq; viua animi magnitudine erat facturus,
veluti ignobili metu ſubactus , & præſenti impulſus neceſsitate feciſſe videretur.Ingenium alias Carolo fuit
manſuetum,ad veniam promptum,animus vera pietate, & ſummis quibusq; virtutibus excellens , deliciarū
omnium contemptor , ita vt ætate & fortuna florentem nullæ vnquam vel licitæ voluptates eum à perpe-
tuis rerum maximarum conſultationibus auocarent. Anno igitur ætatis Quinquageſimo ſeptimo cum
Ferdinando fratri in Imperio ſucceſsionem apud Electoris conciliáſſet,& Philippo filio Belgij domina-
tum tradidiſſet,in Hiſpaniam nauigauit.Ibi quod reliquum vitæ erat,orationibus & piis meditatio-
nibus peracturus in Monaſterium Hieronymiani ordinis ad Sanctam Iuſtam ſe abdidit, vbi pòſt
ſeptem menſes ingraueſcente morbo mortalem hanc vitam cum æterna commutauit , eius
ſeculi & ætatis ſuæ Quinquageſimo octauo, die Septembris vigeſimo primo. Liberos re-
liquit , ex Iſabella filia Emmanuelis regis Portugalliæ , Philippum ſecundum Hiſpa-
niarum regem, Iohannam Iohannis quarti regis Portugalliæ vxorem,& Mariam
Maximiliani ſecundi Cæſaris coniugem. Sepultus quidem in Cœnobio
ſanctæ Iuſtæ,ſed pòſt aliquot annos in Mauſolæum Eſcuria-
lenſe translatus cubat.



FERDINANDVS
PRIMVS
ROMANORVM IMPERATOR.

FERDINANDVS primus, pius, Augustus in Hispania patre
Philippo Maximiliani primi Imperatoris filio, matre Iohanna Ferdi-
nandi Catholici Hispaniæ regis filia genitus est. A materno auo, apud
quem tanquam filius educatus, & ad maiorum instituta, regumq; discipli-
nam eruditus nomen quasi hæreditarium traxit. Is ab ineunte ætate va-
riis linguis edoctus, cum se literarum studiis dedisset, in historiarum lectio-
ne præcipuè versatus est. Aliena enim consilia, facta, & euentuum exempla sibi ad id, quod proposuerat,
magnoperè aliquando profutura existimabat, cum quibus rationibus & artib9 imperia aut augerentur, aut
labefierent, euerterenturq; ex multorũ scriptis cognouisset. In prima ætate futuræ integritatis ac animi ma-
gnitudinis illud dedit laudabile documentum, quod, cum in Hispania orta seditione, absenteq; Carolo fratre
eum nonnulli regem salutaturi, & insignia regni delaturi essent, extemplò nauem conscenderit, & tempestate
sæua magno cum suo periculo in altum prouectus Austriam petierit. Vbi summa cum lętitia exceptus, paulò póst
Annam Ludouici Hungariæ & Boëmiæ regis sororem forma & pudicitia præstantissimam, viuo adhuc auo Ma-
ximiliano Romanorum Imperatore sibi promissam Linzij in matrimonium duxit. Ob quam affinitatem, mor-
tuo Ludouico vnico Ladislai filio, in Pannonię ac Bohemiæ regnis successit. Ita enim in Annæ desponsatione con
uentum est, & sic vtrumq; regnum Austriacæ domui comparatum. Compositis turbis, quę in Austria per interre-
gnum exortæ erant, sumptoq; de nonnullis seditionis authoribus supplicio, Archidux Austriæ constituitur. Cum
vero Carolus Imperator ob multorum regnorum & ditionum administrationem, assiduaq; bellorum incendia sę-
pius Imperio abesse cogeretur, Ferdinandus pietatis, sapientiæ, iustitiæ, clementiæ, cæterarumq; virtutum gloria
commendatus, vnanimi Electorum consensu Rex Romanorum declaratus est, & paribus cum fratre auspiciis Im-
perio præesse cæpit. Vera in eo pietas, publicum concordiæ, pacis, tranquillitatis amor & studium singulare, omni-
bus ipsum Christiani orbis principibus, & populis charum & venerabilem fecerunt. Cum autem Carolus frater in-
firmissima valetudine, & affecta ætate, procul ab humanis negotiis, quod supererat ætatis pietatis, studiis impẽde-
re constituisset, & Imperio se abdicaret, ad huius intercessionem ei à Septemuiris Ferdinandus subrogatus est. Cui
dispar quidem à Carolo animus fuit. Caroli enim studium in re militari, & propagandis finibus, Ferdinandi verò
in defendendis ac regendis versatum est: vi & armis illius gloria præcipuè intebatur, huius verò virtus in consti-
tuendis & seruandis legibus enitebat, omniumque maximum eius operum fuit tutela per omne, dum impera-
uit, tempus haud minor pacis quàm regnorum. Turcam cupiditate & innumerabilibus copiis Ponnoniæ immi-
nentem, quanquam viribus impar, retardauit, præclarè secum agi existimans, si tantumodò hostem arceret, eiusq;
vlteriores conatus progressusq; prohiberet, sicuti etiã Viennam prima arctissimaq; obsidione prementem re infe-
cta cum probro summoq; suo damno discedere coegit. Nec minori cum industria Iohannem Vaiuodam Vngariæ
regnum affectantem repressit. Bello etiam Smalcadico cum Carolo fratre interfuit. Vdalricum Wirtembergæ du-
cem principatu exutum restituit, eamq; ditionem Austriacæ domus clientelarem reddidit. Bohemos qui perduel-
lionis facinus ausi cum hostibus consilia sociauerant, & defecerant, amentia eorum supplicio, qui defectionis au-
ctores fuerant, expiata, ad obsequium redegit. Archiepiscopatum Pragensem à multis annis collapsum restaurauit.
Tridentinũ cõcilium, vt Christianorum concordię consuleret, coadunauit. Ipse interim Oeniponte residens, nullũ
sumptum & laborem omisit, vt religionis tempestates, quæ in Rempublicam Christianam infinitas miserias &
ærumnas conuexerant, sedarentur. Germaniam, quæ vesana libidine & consternatione Carolo fratri arma intule-
rat, Ferdinandi beneficio conseruata, quod Ioannis Friderici Saxoniæ ducis & Electoris, ac Philippi Landtgrauij
Hassiæ incolumnitates testantur, quibus Ferdinandi preces salutem à Carolo impetrâtunt. Pacem in Imperio reli-
gionis causa seruandam, nec ob eam bellum mouendũ sanciuit. A Solimanno Turcico Tyranno octennales indu-
cias impetrauit. Fuit Ferdinandus summo vitæ splendore, sagacissimo ingenio, & singulari integritate. Nõ modò
vultus eius, & frontis, sed etiam factorum benignitas làtè emicuit: & quamvis cum seueritatem res postulabat,
grauem & vehementem personam sumebat, tamen ad lenitatem facilitatemq; procliuis plura consilio quàm
vi gerebat. Demum confirmata pace, & Imperij rebus optimè constitutis, dum eiusdem, & aliorum rationi-
bus consulit, annosq; octo Imperium post fratrem iustissimè fortissimeque administrâsset, diurnis noctur-
nisq; animi curis, & corporis laboribus propèmodum exhaustus, & grauissimo morbo implicitus, cum
anno M. D. LXIIII. quodam mane pedes abluturus in vertiginem & animi deliquium incidisset.
Zithardo concionatore suo aulico vix ipsum sustinente, se tamen rursus collegisset, ait, vos putabatis
me prorsus non respiraturum: non tam citò id fiet, certus sum me ante Pentecostem non è vita mi-
graturum. Cum igitut ad octauam pertigisset, repetijt, Spiritus sanctus voluit, vt non morerer
ante festum Iacobi, vt quomodo iste peregrinus apud Hispanos, ita ego Infans Hispaniarum
extra solum natale cum ipso peregrinarer. Diem tandẽ extremũ clausit Viennæ vicesi-
ma quinta Iulij die diui Iacobi Apostoli memorię consecrato Anno salutis Sexagesi-
mo quarto supra Mille Quingentos. Sepultus Pragæ apud Annam coniugem,
ex qua suarum virtutum dignitatisq; similem, & numerosam prolem
procreauit, stirpem suam propagauit, & pręcipuos Europę princi-
pes filiarum matrimonio genetos sibi comparauit, ac
Austriacæ domui affinitate coniunxit.



ALBERTVS
PRIMVS
ROMANORVM IMPERATOR.

PRæſtantiſſimo incomparabiliq; merito, & lætis auſpiciis Alberti primi, multiplici bellorum gloria Triumphatoris cognomen adepti effigies antè omnes ſe ſpectanda exhibet. Hic Rudolpho primo Habſpurgio, Auguſto, & Anna Hochenbergica parentibus procreatus Auſtriacæ domus ſundamenta iecit, numeroſaq; prole edita propagauit. Hunc Rudolphus pater ſibi & Imperio ab Ottocaro Bohemiæ Rege fide, obſequioq; renunciaro, & bello indicto in rupti fœderis, & violati ſacramenti vindictam arma parans, è Sueuia ad ſe in Auſtriam, cuius agros Ottocarus vaſtare cæperat, vocauit, cumq; ad manus conſerendas deuentum eſſet, Albertus in paternæ aciei ordine genitori Rudolffo Chriſti crucifixi imaginem prætulir. Cęſo Ottocaro Rudolphus Francofurri in frequenri Procerum Imperij conuentu Albertum Auſtriæ & Styriæ præfectum, atq; Imperij Vicarium creauit. In comitiis poſtea Auguſtæ Vindelicorum habitis, orantibus, vt hoc fieret, Auſtriæ, Sryriæ, Carniolæ & Marchæ Vindorum legatis, hæ prouinciæ Imperij beneficio Alberto conceſſę ſunt. Poſtea in Gulielmum Montfortium comitem, Diui Galli Abbatem à Summo Pontifice ſacris prohibitum, & à Rudolpho Cæſare, quod in hunc ille arma cepiſſet, proſcriptum, Albertus miſſus oppido Villoa obſeſſo, rum, vt ad Imperatorem ſe irurum, & huius arbitrio ſtaturum ſtipularetur, coëgit. Sorore ſua Carharina Othonis Bauari coniuge ſine liberis defuncta, cum Otho ea, quæ ſibi dotis nomine tradita erant, non redderer, atque illius frarer Henricus nihil pacari reſponderet, Albertus militem coëgit, & in Bauariam mouit, ſed Patauienſis Ratiſponenſiſque Epiſcoporum officio impetratis inducijs, & re integra ad Ludouicum Palatinum reiecta, pax facta eſt. Deinceps in Salisburgenſem Epiſcopum, quoniam hic in Alberti ſuorumq; fraudem quædã moliretur, arma ſumpſit, & in Styriam duxit, Friſacum ciuitatem inopinato aduentu cepit, Vandorfij arcem deditione in ſuam poteſtatem redegit. Hinc cum valido equitatu in Bernatium agrum venit, quos cum paucis adequitans in collocatas inſidias elicuit & magna affecir clade. Exortis grauibus animorum moribus inter Auſtriæ, Styriæ, & vicinarum regionum proceres, de exteris conſiliarijs, quos Rudolphus filio Alberto cõſiliorum moderarores dederat, quęrentes, cum hos remoueri & ſe conſiliis adhiberi peterent, iamq; Bohemus, Hungarus, Salisburgenſis, Styrij & Carni in Albertum conſpirâſſent, Albertus rebellium legatis, & horum turbulentis vocibus aurem non præbens, minas nihil curauit. Viennenſes quoq;, quos coniurati promiſsis incitauerant, inſolentiſsima poſtulantes Albertus conſtans animi ſeditioſorum comminationibus nõ motus & nihil concedens vrbe exceſsit cum tota familia, Cęcium montẽ occupauit, & firmo munijt præſidio, Ciues ope deſtitutos, inteſtini cõflictus diſcrimen & ſumma neceſsitas eò adegit, vt capita & pedes nudi, ac in genua prolapſi vecordiæ meritas deprecarentur pœnas. Ioannem Gunſenſem, Comitem Auſtriæ fines Hungariam attingenres ferro, & ignè vaſtantem, & ad mænia Neapoleos Auſtriacæ vſq; excurrentem debellauit. Auſtriacos motus compeſcuit, Styriæ & Carnithiæ tumultus compoſuit. In Imperio patrì defuncto ſufficiendi Alberti electioni Moguntinus obſtirit, Adolpho Naſſouio Rege Romanorum renunciato. Albertus animum ad pacis ſtudium adiecit. Viennæ in palatio prandens ferculi veneno magno vitæ periculo petitus eſt, ſed medicorum cura adhibitis violentis remediis ſeruatus eſt. Interim Adolphus plærorumq́ue principum odium incurrit, qui alieniores redditi Albertum ad capeſſendum Imperium, & hanc digniratem armis aſſerendam inſtigârunt. Neque vero Albertus occaſionem neglexir. Contracto exercitu, & Moguntiæ Adolſo Imperio abrogato Albertus Rex creatus, & huic Francofurtum pergenti Adolffus cum copiis in Vangionibut obuiam factus, cum eo inter Roſentalium monaſterium, & Guillenheimum prælium ſex integris horis conſeruit, ac illum in ſe cum impetu abiecta galea inuectum propè oculum leui vulnere perſtrinxit: ſed Syluestres Comites circumuentum occiderunt. Albertus hoc bello defunctus Principibus Francofurtum conuocatis, electionem viuo adhuc patre Rudolpho factam renunciauit, & plena illis conceſſa poteſtate imperio ſe abdicauir, quem tamen omnibus ſuffragiis denuò Cæſarem deſignàrunt & Adolpho ſurrogârunt. Norimbergam adiit, vbi eius coniugem Eliſabetham Vigeboldus Colonienſis Elector inaugurauit, & Rudolphus filius Archidux Auſtriæ creatus. Eccleſiaſticos Electores cum Rudolpho Palarino in ipſum conſpirantes bello aggreſſus, vt arma deponerent, veniam peterent, & ad obſequium redirent, compulit. Indè à Wenceſlao iuniore in Hungariæ, Andrea genero mortuo, Regem electo decumas argentiſodinarum Cuthenſium exegit. Hungaris abnuentibus mox exercitu conſcripto in Bohemium contendit, eis quoq́ue filiam ſuam Andreæ Regis viduam cum infante eiuſdem nominis, quas in cuſtodiam abdiderant, & pro dignitate non habebant, in Hungariæ fines magnis miſsis copijs vtramq; extorſit. Rurſus in Bohemiam profectus, inferioris Bauariæ agros fædauir, & per Palatinorum nepotum ditionem in Sueuiam remigrauit. Baſileæ agentem iſtius vrbis Epiſcopus de Alberto ſua manu interficiendo conſilium cepit. De periculo conceptæ ab Epiſcopo Baſilienſi animo necis monitus, vrbem egreſſus conceſsit in Ergouiam. Cum ſuis Badenę agens ſtatuerat vxorem Eliſabetham & Agnetem filiam Hungariæ Reginã Rheinfeldiæ degenres inuiſere. Vindoniſſam cõtendens fatis trahentibus Vrſa amne traiecto à Ioanne ex fratre nepote, & huius coniuratis nefariè occiditur. Corpus in VVettingenſi Monaſterio ſepultum Henricus Septimus pòſt annum & tres menſes effodi, & Spiram vnà cum Adolphi corpore Romanorum Cæſarum tumulo inferri iuſsir, vt quibus viuis inter ſe conuenire non potuerit, alma tellus commune omnium ſepulchrum materno ſinu demortuos complecteretur. Ibi coniuncti tàm propè, vt vix palma inter ſe diſtent.



FRIDERICVS
TERTIVS, PVLCHER, ROMANORVM IMPERATOR.

FRIDERICVS in Auſtriaca progenie huius nomi-
nis primus, inter Imperatores tertius, ob decorem vultus, co-
tiusq; corporis habitum, & ſpecioſam dignitatem pulchri cogno-
men adeprus, Imperatore Alberto primo Triumphatore ex Eliſabe-
tha Meinhardi comitis Tyrolenſis filia ſuſceptus eſt. Poſt Henricum
ſacro pane toxicato interemptũ à Moguntino Archipręſule anno M. CCC. XIV. Francofortum
conuocatis electoribus ſurrogationem in Jmperio ambiuit, cui Moguntinus, Treuirenſis, & Boëmiæ
Regis legatus aduerſati ſunt. Sed à Rudolpho, & Ludouico Bauariæ Ducibus promiſſæ operæ ſpe mo-
tus, cum exercitu propius Francofortũ perrexit, & caſtra ad Mœni ripam locauit. Huius electioni addicti
fuerunt Colonienſis, Saxo, & Palatinus vterq; Rudolphus nomine. Electioni abfuit Brandeburgicus Vol-
demarus, legato ramen ad eam miſſo in literis fiduciariis Fridericum Auſtriacum Imperatorem nominauit.
Legatus ab Electoribus Friderico aduerſantibus in parres tractus, & muneribus corruptus, literas adulterauit,
Fridericum expunxit, & Ludouicum Bauarum ſcripſit. Hinc Fridericus, Bauaro quidem eum inuerſo Branden-
burgenſis Electoris voro ſuffragiorum numero ſuperante, Bonnæ anno M. CCC. XV. à Septem viro Co-
lonienſi coronatus vires vndiq; contraxit, ſuperioribus præſertim Rheni ciuitatibus eum agnoſcentibus, Wer-
denbergici quoque Comites, & nobiles quidam cum Friderico contra Bauarum & huius ſocios fœdus percuſ-
ſerunt. Eſlingenſes Fridericus arcta obſidione cinxit, & Nicrum annem ab oppido auertere adnixus eſt. Eſlingen-
ſes oppido propugnando obſidionem aliquamdiu tolerârũt, Crebras ramen oppugnationes diutius non duraturi,
adeoq; deditionem facturi, & aliæ ciuitates ad eorum exemplum facturæ erant, niſi actutum Ludouicus ſuppe-
tias veniſſet, qui cum Bohemici Regis auxiliis accurrens caſtra non procul ab hoſte poſuit. Pabulatores tamen v-
trinq; egreſsi, inter ſe velirati ſunt, nunc hi, nunc illi ceſſerunt, & vtraq; parte ſuis accurrente, iuſtũ conſertum eſt
prælium, torumq; ferè diem certatum. Pugnam nox, incerta relicta victoria, diremit, ac inde vtraq; factio à ſangui-
ne temperauit. Jnterim Leopoldus Friderici frater Spiræ Nemetum copias admouerat, cui Ludouicus obuiã iuit,
Fridericus fratri ſe coniunxit, æmulo pugnæ copiam facere nolente. Circa illa tempora Fridericus pro Rege Roma-
norum ſe geſsit, & Romani Imperij ſigna ab obitu patris retinuit. Iohannem Vigeſimum ſecundum Pontificem
perindè ac Ludouicus in ſuas partes ſollicitauit, & electionis confirmationem petiit. Pontifex Ludouici poſtulata
abnuit, Fridericum in aliud tempus reiecit, vtroq; dubio relicto. Denegata Ludouico à Pontifice cõfirmatione, Ec-
cleſiaſtici Germaniæ proceres Friderici partes ſecuti ſunt. Cum verò Ludouicus in Leopoldum ad Holzheimium
caſtrametatum, & fratrem cum ſuis aduenientem pręſtolatum Argentorato perrexiſſet, ac propè eum caſtra locâſ-
ſet, Fridericus cum paucis equis properè ex Auſtria ad Leopoldum aduolauit, feſtinans, & locorum ignarus in ho-
ſtem ferè incidiſſet Ludouicus audiro Friderici aduentu, an verè adeſſet, ſciſitandi, & diem prælio cõſtituendi cau-
ſa Fecialem in hoſtium caſtra ablegauit. Hoc ad ſe accerſito Fridericus imperterritus, & ſpei plenus, æmulo per
eum indicauit, ſe nullam prælio moram facturum. Poſtridiè ad prælium ſe comparauit, equos propter horum in iis
locis incommodiorem vſum ab exercitu ſegregauir, & ad tympani ſonitum proclamari mandauit, ſi quis calcaria
indutus in conflictum deſcenderit, hoc ei capitale foce. Suos iraq; extra vallum in aciem eduxit, Ludouicus autem
hoc ſtratagema præſentiens & pugnã in magis idoneum tempus differens Haganoam per ſaltuoſa loca euaſit. Poſt
varias ſex annorum velitationes, Bauaria quoq; Auſtriacorum fratrum depopulationibus, cæde, & incendiis fæda-
ta, demum anno M. CCC. XXII. contractis ab ambobus æmulis vndiq; copijs, vterq; de ſumma rei prælio de-
cernere ſtatuerunt. Fridericus cum ſuis auxiliis ad Bauariæ fines conceſsit, Ludouicus autem victurus, vel victus
honeſtè moriturus Monarchio in eum mouit Fridericus ſana ſuorum conſilia de fratre expectando minus conſi-
derans, & moræ impatiens, milites in aciem eduxit pugnamq; inijt inter Müldorffium & Dorinsbergam, vbi a-
trociter pugnatum, & Fridericus omnia egregij Imperaroris officia executus eſt, Boëmis in prima hoſtis acie præ-
liantibus ita afflictis, vt arma abiecerint, & quingenti ſe dederint. Sed Bauarica acie reſtituta & pugna inſtaurata,
quodq; Norimbergicus Burggrauius cum lecta equitum manu adueniens, pugna ardente, & fortuna ad Frideri-
cum inclinante, hoſtium terga inuaſsit quem Auſtriaca ſigna pręferrenrē illi conſpicati Leopoldum adeſſe fal-
ſò opinabantur. Recens feſſos adortus magnam ſtragem fecit, Auſtriacos ordines turbauit. Facto ab Hungaris
fugæ initio Fridericus fortirer pugnãs ab Eberhardo Mosbachio nobili Francone captus, ad Burggrauium
adductus, & Ludouico traditus eſt. Ludouicus captum in arce Tranſniz in Norico agro aſſeruari iuſsit.
Progreſſu temporis orto inter Põtificem & Ludouicum diſsidio, & Leopoldo, vt fratrem liberaret nihil
non attentante, ciuitatibus deficientibus, atq; à Principibus de Friderico è cuſtodia dimittendo tra-
ctatione inſtituta, Ludouicus his cauſis motus Fridericum certis conditionibus dimiſit. Ad firmius
pacis vinculum vterq; de eadem ſacra hoſtia participârunt, & pacis oſculo fraternitatem inter ſe
ſanciuerũt. Deindè Fridericus ſemper ex pactis cum Ludouico pari ſtudio, fide, & induſtria
Imperium adminiſtrauit, Regis titulum & Sigillum vſurpauit, beneficiaque contulit.
Viennam poſtea reuerſus ſumma cum læritia exceptus eſt, ſeditiones & tumultus
Auſtriacos ſedauir. Hominum perfidiã exoſus quietam deindè vitã amplexus
eſt, & Maurbachium Carthuſianorum cœnobium in ſylua Viennenſi con
didit. Deniq; quod in captiuitate multas eſſet perpeſſus ærumnas
lento morbo paulatim cõtabuit, & ſuperueniente dyſen
teria anno M. ccc. xxx. extinctus eſt in arce Guet-
téſtain. Corpore Maurbachij cõdito.



LVDOVICVS
HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ REX.

LVDOVICVS, huius nominis secundus, Pannonū atq; Boëmorum Rex, Vladislai ex Anna Candalia, in Vasconibus nobilissima stirpe orta, filius, Casimiri Poloni nepos, anno Millesimo Quadringētesimo tertio vrsini fœtus instar sine cute, quæ tamen deinceps medicorum consilio & opera creuit, matris vtero exclusus adolescens aliquanrulum canescebat. Iulium appellari parre volente, Ludouici nomen ei mater dedit. Penè bimulus viuo parre Vngariæ sceptrum capessens coronatur. Ætatis autem quarro Pragæ, Friderico secundo, Marchione Brandenburgensi, sororio, & Stanislao præside Agriensi, gubernatoribus, Bohemorum quoq; Rex renunciatur, & diademare inauguratur. Iohannes quidem Zapolius Transsyluaniæ gubernator, qui paulò pòst regnum est adeptus, maruriorem ad hanc moderationem requirebat ætatem, cum fortasse suam magis idoneam putaret.. Maximiliano primo Cæsare, & Sigismundo Poloniæ rege, authoribus, ac ad publicam omnium regni ordinum eam pertinere consultationem respondentibus, comiria indicuntur, quibus habitis, Zapolius sexcentis equitibus, qui Pesthij occurrerant, ob suspitionem affectati regni Budam euocatus est, resque omnis composita. Puero Georgius Brandenburgicus moderator addirus, Palarinatus Vngaricus, quia tunc vacabat, Stephano Bathoreo cōmissus. Verumenimvero, quorum princeps consilio informari debebar instructiorque ad regendum reddi, omnia suo arbitrio agere cupientes, eum nihil curare cum magno suo ipsius damno permiserant. Hic, patre in pupillari ætate amisso, agebat eo tempore, quo bellum ei per Turcam fuit morum, primum & vigesimum annum. Fuerat ei ante patrem mortuum desponsata Caroli Imperatoris ac Ferdinandi Archiducis Austriæ fratrum soror Maria, quam statim, vbi ad annos pubertatis peruenit, infœcundo connubio sibi iunxit. Conciliauit hoc matrimonium Maximilianus auus, qui Annam etiam Ludouici sororem corroborandæ cognationis causa Ferdinando nepoti in celeberrimo illo Viennensi conuentu, in quo rres summi Principes Cæsar Maximilianus, Vladislaus Hungariæ & Bohemiæ, & Sigismundus Poloniæ, reges insigni multarū gentium spectaculo conuenerant, collocauit. Cæterum Ludouicus decennio ferè post eas nuptias omnino steriles in id bellum incidit, quo Turcarum armis oppressus occidit. Iustis enī destitutus viribus, desertusq; à propinquis suis finitimis regibus Mohaziana acie miserabili casu regnum cum vita amisir. Carolus Cæsar & Ferdinandus frarer ꝓprer Italiæ & Austriæ res turbulentas eius periculis minus subuenire valebant. Sigismundū verò Polonum facilè auerterant Moscouitarū bella, & Clemens Pontifex domestico occupatus bello vix legionem Germanorum & equitum Husaronum alam è sacra pecunia ad Pannoniæ præsidium conduxerat. Vngari verò tanta animorum ferocia ad hoc bellum ferebantur, vt Turcam temerè despicerēt, & fatali quadam audacia seipsos tanto hosti, (si non iniqui prælij facultas daretur) satis fore iactarent. Horum autē princeps erat Paulus Tomoreus Colocensis Archiepiscopus, Turcorum numerum non esse selectum, in tanto exercitu non extare triginta millia, qui aliquid auderent stulta hostilium viriū æstimatione persuadens. Adesset igitur rex, aliosq; suo exemplo animaret, non desuturū Deū suæ causæ aiebat, quibus verbis Ludouicū iuuenē eò perduxerar, vt aduentanti hosti castra obuiam promouenda decerneret, cum tn̄ proceres pugnæ casum omni arte vitandū esse consulerent, Budæ vel Posonij exitū rerum potius, quā præsens, expectaret, minusq; ignominiæ ac periculi, reliquis omnibus interfectis, fore, modò rex saluus superesset, & quàm manifestum regno excidium immineret, si rex cum tot primoribus, & tanto totius regni Vngariæ nobilitatis & militiæ flore sese tam aperto periculo exponeret. Rex ergò miserandus collecto ad vigintiquinq; millium exercitu, exterorum vicinorumque sperata ope frustratus, tandem se opposuit, suosque in perniciem animosè pioq; zelo præcipitauit. Ferunt eum, cum Barones aliquot progredi ad Mohazium sine rege priuilegia sua allegantes recusarent, in conspectum totius exercitus prodeuntem dixisse: video vnumquemque capite meo excusationem & salutem capiti suo quærere, personam & caput meum ideò in hæc pericula adduxi, vt illud pro huius regni & vestra salute omni fortunæ discrimini obijcerem. Ne quis igitur sit, qui posit aliquam suam ignauiam & timiditatem capitis mei prætextu excusare, néue posir aliquid mihi imputari, ibo Deo optimo benè iuuante cras vobiscum ipsemet, quandoquidem alij sine me ire nolunt. Eum itaq; hæc pugna luctuosissimum exitum tulit, vt, circundatis & obsessis castris, rex infœlix in Danubij margine confligere cogeretur. Cum autem desperatis rebus vitæ cōsulturus in fugam se proriperet, in paludem ex Danubij inundatione aliâs quidem vadosam, sed tùm, transmisso exercitu Turcico, fundo vngulis equorum cauato, desertur. Zetttricium nobilem iuuenem & cubicularium antè ipsum tranantem secutus, quum paludis præaltam crepidinem apprehendere conaretur, equum in se freno reflexit, atque ita resupinati equi & armorum oppressus pondere in lacuna bipalmis aquæ suffocatus interiit. At Solimānus eum euasisse existimans, generosa voce pronunciauit, se hostem, regem tot cognationibus clarum, si reperiretur, Pannoniæ regem repositurum, modò Ottomanicum Imperium certo tributo & quidem exiguo gratè atq; fideliter agnosceret. Erar Ludouicus iuuenis procerus, forma corporis supra alios æquales egregia, naturæ singulari bonitate, & præclara indole virtutis ita insignis, vt, si eum ad maturiorem ætatem peruenire contigisset, fuisset procul dubio longè optimus ac præstantissimus princeps. Ingenio erat miti & obsequente, minimè feroci, ad iustum & honestum mirè flexibili, & suapte sponte procliui. Cadauer regium post aliquot dies indicante supradicto Zetrricio repertum, eo, quo potuit, tumultuarij funeris honore in Albam regalem translatum, vbi in æde diui Stephani apud maiores sepultum est.



RVPERTVS ROMANORVM IMPERATOR, COMES PALATINVS RHENI, BAVARIÆ DVX.

Illustrissimam ac generosissimam Comitum Palatinorum
Rheni stirpem domi belloq; celeberrimos quosq; Principes protulisse,
nemo, qui Historicorum commentaria perlustrârit, negare poterit. Inter
quos hunc Ruperrum herôica maiestate conspicuum non tàm suorum
antecessorum nobilitate, quàm propriarum virtutum splendore claruisse,
rerumq; gestarum præclaris facinoribus Romani Imperij dignitatis gradum acquisiuisse amplissi-
mum quis, quæso, ignorat? Patrem habuit Rupertum Adolphum Principem sanè & pacis studiosissimũ
& armis (quando temporum conditio ferebat) clarissimum. Quam quidem prosapiæ præstanram longè
illustriorem reddidit Beatrix marer illius ex Regibus Siciliæ oriunda. Cùm autem Wenceslaus Bohemus
luxui deditus, & in socordiam prolapsus inemendabilem, neglecto imperio, huius negotia non curaret, & ac-
cepta pecunia Galeacium ducem Mediolanensem perpetuum, aurorem deinde multorum in Iralia malorum
creâsset, suborirenturq; domi in Imperio, & foris in Iralia vndiq; scandala, Romæ quoq; schismata Pontificum
& Cardinaliũ nascerentur, Rupertus hic, Palarinus Elector, illa considerans, vr suppullulanti occurrerer calami-
tari, ex officio suo Imperij proceres ad publica conuocauit comitia. Hi igirur anno M. CCCC. cum Turca Chri-
stiani nominis hostis indies Ecclesiæ & Romano Imperio noxia queq; molirerur, & VVenceslaus in confringen-
dis hostium conatibus ociosus torperer, necessariò de alio eligendo Imperarore consilium inière, & Frankofurri
mense Maio conuenerunt, vt imperij negotiis accurarius prouiderent, nouumq; regem eligerent. Sed præter
Turcicos horrendos insulrus etiam christiani Principes in varia studia distracti inter se armis gliscebant, aliis Ru-
pertum Palatinum, aliis Iodocum Morauiæ, Marchionem postulanribus. Vicit ramen frequentior Sepremuiro-
rum senrenria, & Morauus electus est. Quo cirius mortuo, rex designatus est Fridericus Dux Brunsuicensis &
Lunenburgensis, princeps bellicosus & prudens, qui dum domum repeterer, reuersurus ad coronationem, insi-
diis Archiepiscopi Moguntini, cùm quo ipsi veteres inimicitiæ intercedebant, à comite VValdeccensi haud lon-
gè à Frislaria nefariè occiditur. Diu mulrumq; ob illius necem tumulruatũ est in Germania, & aliquamdiu cessa-
tum ab electione. Deniq; principes Boppardiæ conuenientes, VVenceslao imperio deturbato, Rupertum hunc
Ducem Bauariæ arq; Palatinum Rheni, armis exercitarissimum, nec non sopiendarum inter Germanię principes
litium perquam studiosum regem pronunciant. Cum igirur pro capessenda corona Aquisgranum ꝓfectus esset,
ciues asserentes se nondum à iuramento VVenceslao præstito absoluros obstirerunt. Idcirco, ne electione frustra-
retur, Fridericus Coloniensis Archiepiscopus Rupertum regio diademate insigniuit. Aquenses autem eam ob
rem grauiter à depopulatoribus infestari prædæ incendiisq; pœnas dederunt. Ruperrus domum reuersus accura-
tè imperij negotia obiit tractanda. Inito autem iussu VVenceslai nonnullarum ciuitatum fœdere aduersus Baua-
ros, finibusq; Palarinatus Rheni ferro & igne deuastatis, Ruperrus conscripto milite hostium insulribus strenuè
restirit, quibus partim occisis, partim capris, cæteros fuga salurem sibi querere compulit. Nec minorem virturis
bellicæ laudem in Bohemia adeptus est, vbi durissima cum VVenceslai ducibus sępenumero prælia conseruir, cō-
pluresq; ciuitares & arces Palatinatui & Bauaro ducatui anteà quidem subiectas, sed vi atq; armis in VVenceslai
potestarem translatas pristinæ dirioni restituir. Anno post electionem coronationemq; Aquisgranensem secundo
Ponrificis Bonifacij Noni approbatione intellecta, vt imperiali corona redimirerur, exercirum coëgit, & Romam
petere statuit. Pace igitur inter Germaniæ principes constitura, collectis copijs Alpes Noricas transiit in Italiam
mouens, vt rebelles quoq; subiugaret, ac labentem, ne dicam, propè dirutum imperij in Italia statum in pristinum
locum & dignitatē vindicaret. Non defuerunt ciuirates & principes, qui cum in Germania conduci militem au-
diissent, se quoq; ad bellum parârunt. Sunt, qui tradant illum Venetis iter prohibentibus intra Alpes substitisse,
alij eum à Iohanne Galeacio Romæ aditu desistere coactum, quòd illum in Mediolanensem ducem confirmare
recusaret. Cum autem Florentini ante omnes à Vicecomitibus vndiq; lacesserentur, ingenri promissa pecunia,
Rupertum in Italiam accersiuerunt, hac adiecta conditione, vt quàm primum Italiam arringerer, exercitu suo
Galeacium ducaru deturbaret. Incessit regi Italiam ingrediendi cupido, vt hac scilicet occasione Romam ex-
peditius proficisci posset, fortunam tamen expertus est aduersam. In fine enim Aurumni, tempore ad ar-
ma tractanda incommodo, ad lacum Benacum in Brixiæ ciuitatis agrum progressus Galeacij ditionem at-
tigit, spe potiundi à Florentinis promissa pecunia, cuius tamen cum saltem pars soluta, alterius numera-
tio suspensa esser ad defendendos Brixianos Galeacio Germanis cum exercitu satis amplo occurrenre,
Ruperrus eum cum copiis Florentinorum bello minus exercitatis adortus, multas variante fortuna
pugnas commisit maximè ad Benacum. Quæ clades eum, ne quid aliquid grauius sibi accideret
Tridentum redire commouerunt, vnde à Venetis reuocatus, Patauiumque delatus, Florenrinis
suorum oratorum pollicitis minores sumptus & copias suppeditantibus, Pontifice & Ve-
netis ad clades referenris postulata surdescentibus, deferenteq; Coloniensi Archipresu-
le, & Leopoldo Austriaco, post infeliciter consertas cum hoste aliquories manus
in Germaniam cum equitaru rediit, de Italia nihil amplius sollicitus, eam suis
vulneribus confici permittens. Abhinc imperij negotia peraccurarè & sa-
luberrimè tractauir. Deniq; anno imperij decimo læthali egriru-
dine in Oppenhaim decumbere cepir & insperatò vita
excessit. Funus Heidelbergam deductum,
& in æde S. Spiritus sepultum est.



PHILIPPVS II.

AVSTRIACVS HISPANIARVM REX.

PHILIPPVS, eo nomine ſecundus, Hiſpaniarum, Si-
ciliæ, Neapolis, Portugaliæ & Indiarum Rex, Caroli Quinti Ro-
manorum Imperatoris Auguſti ex Eliſabetha Emmanuelis Luſi-
taniæ regis filia vnicus filius, in Hiſpania Pintiæ, quæ nunc Vallado-
lidum nuncupatur partu editus, & educatus eſt. Hunc proficiſcens
in Germaniam pater ſedecim annos natum in Hiſpania reliquit, vt ſapientia, & conſiliis virorum
grauiſsimorum ad optimam imperandi rationem paulatim formaretur, & regno moderando aſſue-
ſceret. Vxorem primam duxit Mariam Ioannis tertij, Portugaliæ regis ex Catharina Philippi Hiſpania-
rum Regis & Archiducis Auſtriæ filia natam, ex qua vnicum filium Carolum, qui in adoleſcentia viuis
exemptus eſt, ſuſcepit. Hac quarta die poſt partum mortua, alterã eiuſdem nominis Henrici octaui Britan-
niæ regis filiam matrimonio ſibi iunxit, cum qua (licet non defuerint aliquot Reguli, qui ipſum collecto exer-
citu Angliæ ingreſſu excludere, & hoc connubium impedire conati ſint, ſeditioſæ tamen refragationis ſuæ pœ-
nas poſteà luerint) in Britanniæ regem ſumma cum pompa & ſolemnitate, omniumq; ordinum & totius populi
lætitia Londini coronatus eſt. Cum Carolus Cæſar ſe Imperij, aliorum regnorum, prouinciarumque mundanis
curis, & laboribus eximere, & poſt traditam cum Septemvirorum cõſenſu Ferdinando fratri totius Imperij ſum-
mam poteſtatem, priuatam & tranquilliorem vitam amplecti, & ex Belgio in Hiſpaniam proficiſci conſtituiſſet,
Philippus ab ipſo ex Anglia Bruxellas in Brabantiam euocatur, vbi indictis publicis comitiis, præſentibus totius
Belgij ordinibus, & proceribus, omniq; populo, à Carolo ſolemni renunciatione facta, omnium Prouinciarum hę-
res & Princeps declaratur, ſummoque cum applauſu recipitur. Carolo etiam non multò poſt in Hiſpania vitam
mortalem cum cęleſti commutante, Philippus ipſi in plurimis tàm Europæ, quàm noui orbis regnis & ditionibus
ſolus ſucceſsit, easq; prudentiſsimè feliciſsimeq; ſumma cum nominis ſua gloria rexit. Fuit itaq; ſuæ tempeſtatis
inter omnes Reges Monarcha non tantum potentiſsimus, ſed etiã virtute rebusq; geſtis clariſsimus, ingenio mo-
ribusq; manſuetus, in pauperes munificè liberalis, pacis, quantũ illi per hoſtes vel perduelles integrum eſſet, iuſti-
tiæq; ſtudioſiſsimus. Bella quemadmodum complura ex neceſsitate publica ſuſcepit, ſic etiam feliciſsimè, ſed per
legatos plerumq; geſsit. Ab initio ſtatim ſuæ apud Belgas gubernationis contra Henricum Gallorum regem peri-
culoſum & difficilimum ſuſcepit, cui etiam aliquoties interfuit, cæſis ad Grauelingam prius, deindè ad ſanctum
Quintinum & Dumkerkam in Veromanduis multis Gallorum millibus, & præcipua nobilitatis parte capta, regẽ
ad æquas pacis conditiones compulit, easq;, noua cum ipſo affinitate contracta, ducta, nimirum, ipſius filia Eliſa-
betha in vxorem, confirmauit, quæ ipſi duas filias Iſabellam, Claram, Eugeniam, Alberti ſeptimi, Archiducis Au-
ſtriæ, & Catharinam Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis coniuges progenuit. Bellum indè cum Paulo Quarto
Pontifice Neapolitanum regnum vindicaturo, vt hæreditaria regna defenderet, ortum, in quo Dux Albanus ſum-
mus Hiſpanici exercitus Imperator victis ad Sengam Heluetiis, rectà Romam verſus exercitum ducens, Pontifi-
cem, vt pacẽ peteret, adegit. Equitibus Rhodiis ad Meliten Inſulam à Turcis obſeſſam inſtructa claſſe opem tulit.
Mauros in regno Granatenſi tumultuantes, & graſſantes domuit. Cùm in Africa Reguli inter ſe de Imperio con-
tenderent, fratrem Iohannem cum valida claſſe eò miſit, qui nullo prohibente Tynetam regni caput ingreſſus, &
in deditionem accepta Vtica, quę Biſerta nunc vocatur, firmoq; munita præſidio Muleaſſem iuniorem legitimum
hæredem in regno confirmauit. Amidam verò tyrannum cum vxore, & liberis in Siciliam abduxit. Inito cum Pio
Quinto Pontifice Maximo & Senatu Veneto fœdere, per Ioannem Auſtriacum, Turcarum claſſe, exciſa memo-
rabilem cum confœderatis victoriam reportauit. Inferiorem Germaniam diſcordiis & ciuilibus bellis æſtuantem
per gubernatores rem bellicam adminiſtrantes cum Prouinciis aliquot, & muniriſsimis ciuitatibus ad obſequium
redire coegit. Interim ipſe Portugalenſis regni hæreditatẽ, Sebaſtiano rege à Mauritanis occiſo, armis aſſeruit. Cum
enim Anthonius Norhus, conciliatis ſibi quorundam procerum, & ſubditorum animis, regnum illud ſibi vendi-
caret, Philippus valido exercitu comparato, fractis terra mariq; eius viribus Vlyſsiponem, primariam ac potentiſ-
ſimam regni vrbem in poteſtatem ſuam redegit, vndè pronum & facilem ad cætera regni loca acceſſum habuit.
Antonius verò patria pulſus, cum Terzeram Atlantici maris Inſulam occupâſſet, ac aliquot Gallorum militum
præſidio muniiſſet, rex claſſe ſub Aluari Baciani, Marchionis Sanctacrucij, præfectura illuc miſſa, inſulam, vi-
ctis ac profligatis eius præſidiarijs, occupauit. Claſſem immenſo apparatu inſtructam in Angliam ad vindi-
candas illatas iniurias deſtinauit. Gallorum Principibus contra Henricum Nauarręum Henrici tertij Vale-
ſij legitimum ſucceſſorem fœderis nexu illigatis ære militeq; ſuppetias tulit. In Belgio tres Archiepiſco-
patus, Epiſcopatus verò complures erexit, quibus curandis viros lectiſsmos, virtute doctrinaque præ-
ſtantiſsimos præfecit. Nouam apud Duacenſes Academiam omnium diſciplinarum genere reſer-
tam conceſsis ampliſsimis priuilegiis, & honorariis propoſitis inſtituit. Louanienſem quoque
Vniuerſitatem variis Profeſſoribus auxit. Deniq; anno à Virgineo partu M. D. XCIX.
ætatis verò LXXII. Mantuæ Carpentanorum quæ nunc Madritum dicitur na-
turæ debitum ſoluit & in Mauſolæo cœnobij Laurentiani à ſe immenſis ſum-
ptibus magnificentiſsimè extructi conditus eſt, relicto vnico tot regnorum
hærede Philippo tertio, ex Anna Maximiliani ſecundi Cæſaris filia
quarta & vltima ipſius vxore progenito.



FERDINANDVS CATHOLICVS ARRAGONIVS HISPANIÆ REX.

FERDINANDVS hocnomine suæ domus Quintus Iohannis regis Arragoniæ & Siciliæ, &c. ex Iohanna Friderico Adniralio Castellæ patre edita filius. Sosij in Arragoniæ Pago, quem Arragones Fresinum vocant, anno supra Mille & Quadringentesimum Quinquagesimo secundo natus est. Hic, cum in Infantia esset forma conspicuus,& in se omnium oculos conuerteret, parentibus magnam spem probitatis, magnæque virtutis promittere videbatur. Septimo ætatis anno literarum studiis addictus excellentis ingenij & insignis memoriæ exempla iam ediderat manifestissima. Sed iniquitas temporum, fortunæq; sequentis inuidia magnum principis ingenium à bonarũ artium studiis retraxit, moto à Carolo fratre quorundam instigationibus bello, & patri suo impiè illato, vix decimo anno completo armi tractare cæpit, statimq; à patre, vt honoris titulo aliquo à milite obseruaretur, dux Montis Albi creatus est. Prætendebat enim Carolus sibi regnum Nauarræ ex hæreditate materna (erat enim mater Caroli secundi Regis Nauarræ filia & hæres) adhuc viuente patre deberi, cum tamen pater eum solum administrationis titulo regno præfecisset. Sed post diutinum & malè confectum bellum succubuit,& patri dæmum reconciliatus. Annum agens vndeuigesimum vxorem duxit Isabellam filiam Iohannis secundi regis Castellæ & Legionis, sororem Henrici quarti, quibus sine hæredibus masculis defunctis, Isabella vnica hæres Castellæ ac Legionis successionem adiit,&, amplissimis conditionibus propositis, à Galliæ & Lusitaniæ regibus in matrimonium solicitata, Ferdinandum aliis omnibus procerum suorum consilio prætulit. Quæ res maximi deinde belli occasio fuit: illatum tamen ab illis propter repulsæ dolorem Ferdinandus forti animo propulsauit, fusis ad Durium amnem inter ciuitates Zamoram & Taurum Lusitanis,& rege ipsorum Alfonso vix per beneficium noctis elapso. Gallos verò à rege ipsorum Ludouico missos, & Fontarabiam in Hispania obsidentes, re infecta domum redire coëgit. Defuncto patre Siciliæ proceres confestim ipsi Legatum ad certam fidem de more pollicendam miserunt. Ferdinandus igitur accepto diademate statim Gasparum Spesium Proregem in Siciliam misit. Canarias Insulas & Indicas gentes in Mari Atlantico artis ad deditionẽ compulit,& ad cultum religionis Christianæ perduxit. Cum Mauris qui partem Bæthicæ, quam Granatam vocant annos septingentos & octoginta tenu erant bellum decennale gessit, eosque capto ipsorum rege, regia & regno vastato, subegit. Sanctam Fidem ciuitatem postea apud Granatam condidit, & catholici nomen accepit. Qua insigni victoria potitus, dum Barcinonem triumphantis modo ingreditur à Catalano quodam gladio impetitus ad collum ingenti plaga vulneratus est, eius temerarij facinoris nulla alia ab eo reddita causa, nisi, quod interempto Ferdinando, futurum se regem sperabat, quod sibi sæpius ab angelo nunciatum asseruit. Hebræos & eorum adstipulatores Maranos, qui baptismum suscipere noluerant, Sicilia & cæteris suis Imperij regni expulit. Hanc regis pietatem Deus ipse multis magnisq; felicitatibus cumulauit. Nam eius ætate & auspiciis primus ad Noui orbis Insulas opera Christophori Columbi aditus est patefactus. Fortunatas enim Oceani Meridionalis insulas anno Christi M. CCCC. XC. & sequenti nonagesimo tertio quatuor alias S. Saluatoris, S. Mariæ conceptionis, Ferdinandam,& Hispaniolam inuenit. Conuentu omnium Ordinum Toleti iudicto, nouum animaduersionis genus in rebelles, grassatores publicos, & viarum insessores instituit. Ferdinando secundo Neapolitano regi classem auxiliarem misit, qua ille paruo labore Carolo octauo Franciæ rege pulso regnum recuperat. Cum Ludouico duodecimo Galliæ rege fœdus inijt contra Fridericum Neapolitanum regem de hoc expellendo & regno cum illo diuidendo. Per Ferdinandum Consaluum itaq;, qui ob insigem & animi,& corporis virtutem in bello Magni Capitanei cognomen promeruit, Brutios & Apulos in ditionem Ferdinandi Neapolitani redegit, Fridericum expulit, Alfonsum vnicum eius hæredem cepit, in Hispaniam misit, carceri addixit. Cum Ludouico duodecimo præmemorato definibus regni contendens ad bellum descendit, expulsisq; ac superatis demum Gallis duce Consaluo toto regno Neapolitano potitus est. Pacem deinde cum Ludouico contraxit, ac eius neptem Germanam in vxorem duxit, cum qua Neapolim, vt Consaluum ob affectati regni suspicionem abduceret, nauigauit, vbi compositis Neapolitanis rebus reuersus in Hispaniam Sarracenos bello aggreditur. Oranum Mauritaniæ vrbem, in Numidia Bugiam, oppidaque freto Gaditano propinqua vi cepit, Tripolim trium horarum spatio expugnauit, & deleuit. Omnibus igitur bellis & motibus compositis, multa passim templa Deo Diuisq; per omnes regnorum ditiones extrui iussit, atq; magnis prouentibus ditauit. Suscepit ex Isabella filium vnicum Iohannem, cui Margaretham Maximiliani primi Cæsaris filiam collocauit, Filias quatuor, Iohannam Philippo Austriaco Maximiliani filio, Mariam Emmanuëli Lusitano, Isabellam Alfonso Lusitano,& Catharinam Arturo Angliæ regibus nuptui dedit. Isabella coniuge mortua, cum Germana coniuge, relicta in vlteriori Hispania Iohanna primogenita, iuris hereditarij prærogatiua ibidem cum marito regnante, Neapolim petiit. Vnde, genero Philippo defuncto, in Hispaniam reuersus obiit in pago Madrigalegio apud oppidum Guadalupum anno M. D. XVI. Granatæ sepultus.



FRIDERICVS
SECVNDVS DANIÆ REX.

FRidericus huius nominis ſecund⁹, Daniæ, Nor-
uegiæ, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Sleſuicenſis, Hol-
ſtatiæ, Stormariæ, & Diethmarſiæ Dux, Comes Oldenbur-
genſis, & Delmenhorſtenſis, Chriſtiani tertij ex Dorothæa fi-
lia Magni Ducis Inferioris Saxoniæ, Angriuariç, & Veſtphaliç fi-
lius, anno Milleſimo Quingenteſimo Triceſimo quarto natus eſt. Jn puerili adhuc çtate prçſtā-
ti corporis forma atq; animi dotibus inclytus regni ꝓceres amoris ac obſeruantiæ vinculo arctiſsi-
mo ſibi adeò deuinxit, vt anno Milleſimo, Quingenteſimo, Quadrageſimo ſecundo ad patris præces
communibus omnium Daniæ & Noruegiæ procerum votis & ſtudiis in Principem & futurum regni
ſucceſſorem receptus, & declaratus, ipſiq;, licet octauum tantum çtatis annum attigiſſet, fidei & obſequij
ſolenne iuramentum præſtitum ſit. Anno igitur Quinquageſimo nono, cum Chriſtianus rex pater acerbiſ-
ſimo omnium dolore vitam cum morte commutâſſet, Fridericus ad capeſſendum regnum euocatus huius
gubernacula ſuſcepit, ſtatimq; in principio regiminis & ante coronationē bellū gerere coactus eſt. Cum enī
Diethmarſia arrogatæ libertatis aſſertrix multiſq; victoriis (ſiquidem eorum maiores Daniæ regem Iohan-
nem, eiusq; fratrem Fridericum Ducem cum multa Daniç, & Holſatica nobilitate oppreſſerunt, & trucida-
runt) elata regiam authoritatem & mandata contemnens, à regni obedientia ſe eximere vellet: Fridericus
cum Iohanne & Adolpho patruelibus ac fratribus Holſatiæ ducibus collectoq; non contemnendo exercitu
in Diethmarſiam, vt gentem rebellem ſubiugaret, proficiſcitur. Ad Heidam igitur nobile Diethmarſorum
emporium vbi ventum eſt, acerrimum committitur prçlium. Rex ipſe adoleſcēs ſub oculis omnium primus
hoſtem, vt cæterorum deinceps animi magis inflammarentur, adortus eſt. Tandē cum aliquot horis ancipiti
marte pugnatum eſſet, Diethmarſi abiectis armis ſe dedunt, veniamq; ſupplices petunt, ſeq; regis mandatis
in omnibus morem geſturos profitentur, ac in verba iurant. In qua quidem victoria virtus ipſius ſic erat æ-
quitate temperata, vt nec amicos læderet, nec inimicis parceret, quo oſtendit animum ſummo duce dignum,
qui nihil præter æquum iudicârit, faciendum. Finito hoc bello Haffniæ Daniæ Metropoli in frequentiſsimo
principum, & procerum conuentu ſumma omnium lætitia rex in auguratus & pronunciatus fuit. Contra
Ericum decimum quartum Suecorum regem arma ſe ſuoſq; defendēdi cauſa cum exercitu inſtructo regioq;
apparatu in Sueciam mouit, ſeptennaleq; bellum terra mariq; variis euentibus geſsit. Elsburgenſem arcem
in præruptiſsimo montis acumine ſitam, copiarū exiguarum parte circumquaq; obſeſſam magno defenden-
tium interitu & iactura expugnauit. Hinc ad naualem expeditionem pugnamq; ſe parans, Suecorum claſſem
propè Helmſtadium vela obuertere compulit, eique conflictui inter Oelandiam & Gothandiam, quo Admi-
ralius Danius Franciſcus Bilde plumbea glandea traiectus occubuit, ſumma cum laude interfuit. Nec minorē
militaris diſciplinæ herôicæq; virtutis gloriam ex illo nauali prælio adeptus eſt, in quo ingens Suecorum na-
uis prætoria Makeloſenſis incendio conflagrauit & ſubmerſa, & reliqua claſsis diſsipata eſt. Sed nec hæc qui-
dem felicitas diuturna ipſi fuit. Cum enim regi Suetiç ob procerum cçdem, ſuamq; tyrannidem fratres ipſius
regni gubernationem adimendam eſſe exiſtimarent, eorumq; maior natu Iohannes Dux Finlandiæ, periculi
imminentis ratione habita, pacem à Friderico per literas peteret, eamq; impetrâſſet, capto fratre Erico, rerum
in Suetia potitus eſt. Dum domi iam omnia pacâſſet, modo inuerſo tabulis per ſuos de pace cum Danis cōſcri-
ptiſe non teneri prætulit Itaq; ad arma reditum, & Suecicus exercitus in campo Aſtorfheidenſi ad interne-
cionem cæſus, ac arx Warburgenſis fortiſsimum in confinibus propugnaculum expugnata & recuperata.
Deniq; inter ipſum Fridericum, & regem Sueciæ Iohannem. Maximiliani Imperatoris, Galliarum, ac Polo-
niç regum, necnon Imperij Electorum aliorumq; principū opera res compoſita eſt. Cum Oeſeliam Prouinciā
penè totam perditiſsimorum hominum latrocinijs victum quçrentium genus populationibus ac direptioni-
bus vaſtaret, exercitu comparato, illud penitus eiecit, & extirpauit. Seuerinum à Norbu Chriſtiani olim ſe-
cundi Daniæ regis prçfectum, & Admiralium Scaniam orientalem Daniæ partem depredationibus & incen-
diis immaniter vaſtantem, ad eius crudelitatem compeſcendam ducibus cum exercitu in Scaniam miſsis ſu-
perauit Duces ea victoria animati eodem die duodecim agreſtium millia, quos Otto Stigenſis in auxilium
adducebat, cædunt, ſic vt illi vno die, locis diuerſis acie victores facti, binis hoſtium caſtris potiti ſint.
Inde Landskronium Daniæ oppidum, quod Seuerinus tenebat, obſidione cinxit. Is deditione facta ca-
ptus & ad Fridericum Regem ductus à clementiſsimo rege, ſenatuq; Danico admiſſorum veniam
impetrauit. Gedanenſibus contra Poloniæ regem auxilia miſit. Arces ac nauium nouum genus
inuenit atq; conſtrui curauit. Vias publicas refecit, & tutas reddidit. Loca longo tempore negle-
cta cultura fertiliſsima fecit. Diuerſa ædificia, quæ vetuſtate vel vitium fecerant, vel collapſa
fuerant reſtaurauit. Deniq; relictis regnis ac Ducatibus ſuis florentiſsimis, ampliſsimis the-
ſauris, claſſe inſtructiſsima, & bellicis tormentis plurimis, piè ac placidè ex hac mortali
vita ad immortalem deceſsit Andershouiæ anno M. D. XIIC. ætatis Quinquage-
ſimo quarto, poſtquam regnâſſet annos XXIX. vtriusq; ſexus ſobolem, tres
mares quatuor filias ex Sophia Mechelburgenſi duciſſa ſuſtuliſſet, ac in
his Chriſtianum quartum, filium paternarum virtutum hæredem,
regnorumque ſucceſſorem, Eliſabetham Henrico Iulio duci
Brunſucenſi, & Annam Iacobo Scotiç regi nuptas.
Rotſchildiæ iuxta Mauſolæum Chriſtiani
tertij regis patris ſitus iacet.



FRANCISCVS
PRIMVS VALESIVS FRANCIÆ REX.

QVem hæc imago illustrem planeque generosæ
frontis honorem atque armorum cultum, & splendorem
repræsentat eam, bellicæ virtutis præstantiam & eximiū de-
cus prætulit Franciscus Valesius huius nominis primus, qui ex
Carolo comite Angolismēsi,& Ludouica Philippi comitis Bressa-
ni filia natus, Ludouico duodecimo socero,nulla prole mascula superstite,in regno successit.De-
cora eminuit excelsæ staturę proceritate ;habilium ad arma artium polluit firmitate,impauidus,&
semper constans in eo viguit animus,quo promptissimè in aciem prodiit , & dubia Martis obiit mu-
nera, præaltum effulsit viuidi ingenij lumen, incomparabili & res & nomina tenuit memoria , atq; ex-
peditè enunciauit,liberalitate,magnificētia,clementia,humanitate ergà vniuersos,pietate,synceritate ne-
mini suæ ætatis regū fuit secundus,ita,vt in eum naturæ aspirantis donis à superis cumulatè collatis,& iu-
cundissimo tantarum virtutum concursu felicissimus existimari potuisset, nisi eum tractantem arma, fortu-
na Caroli Quinti Cæsaris belli,pacisq; artibus aduersa sepissimè fefellisset. Artès liberales amauit & coluit,ho-
minesq; literatos in pretio habuit. Ab initio statim suscepti regni militiam amplectitur,cuius quàm peritus fue-
rit,non semel ostendit. Heluetios,quos Maximilianus Sfortia opera Matthæi Sedunensis Episcopi & Cardinalis
cōduxerat,memorabili prælio ad sanctū Donatum fudit. Mediolanenses,dum se Gallorum viribus,& furori resi-
stere non posse vident,ad deditionem compulit. Pax deindè inter regem & Sfortiam certis quibusdam conditio-
nibus confecta, arx quoq; Mediolanensis cum ciuitate Cremonensi in potestatem regis peruenerunt. Anglorum,
Imperatorisq; numerosissimos exercitus à Gallorum ceruicibus sæpius depulit. Dum Carolus Quintus Franko-
furti in Romanorum Imperatorem eligitur,cum Heluetiis fœdus facit,Leoniq; Pontifici reconciliatur. Ducatum
Mediolanensem,in quem paulò antè Carolus CæsarSfortiam restituerat,recuperare studens, vrbem Papiam obsi-
det,vbi,commisso cum Imperatorio exercitu prælio, capitur , & in Hispaniam auehitur: exacto vnius anni spatio
certis quibusdam pactis,& datis duobus filiorum obsidibus dimittitur,in regnumq; restituitur. Pax deindè inter
Carolum & Franciscum Cameracensis secuta,& quicquid iuris in ducatu Mediolanensi , & regno Neapolitano il-
le uendicauit,Carolo concessum. Receptis postea ex Hispania liberis obsidibus, Leonoram Caroli sororem sibi de-
sponsatam vxorem duxit. Eodem tempore primus in toto regno quadraginta millium peditum exercitum perpe-
tuò alendum instituit, eumq; in septem legiones æquales diuisit, & cuiq; legioni suum Præfectum dedit , & vt bis
anno recenserētur constituit,quibus etiam,si in bello aliquid pręclarè gessissent immunitates & munera concessit
adeò vt pedestris exercitus gloria in Francia penè intermortua hoc Principe reuixerit. Ferunt eius rei auctorem
Clementem septimum Pontificem in Massiliensi congressu extitisse. Nec enim vllum alium militarem ordinem
illic ante eam diem fuisse liquet,præter equestrem à Carolo septimo Gallorum rege institutum. Nec hic omitten-
dum,quàm præclarus vel in hoste virtutis æstimator fuerit,vt in captis,& ad se adductis duobus insignibus Cæsa-
reanis ducibus, Prospero Columna, & Pirrho Stipiciano ostendit,quos optimis stipendiis ad nauandum sibi operā
inuitatos,& dominum fidemq; mutare recusantes magnis affectos honoribus liberaliter dimisit. Mortuo Sfortia
Rex de statu Mediolanensi rursus occupando statim cogitat,quem iure sibi à Ludouico rege,cui ipse successisset,
arrogabat,causabatur etiam insuper ex dote materna hæreditatem istam ad se pertinere. Renato igitur bello , rex
Sabaudiam Pedemontanamq; ditionem inuadit, ducem ipsum Imperatoriumque exercitum prouincia excedere
cogit. Sed & hoc bellum factis decennalibus induciis inter Cęsarem & Regem opera Paulij tertij summi Pontificis,
qui personaliter cōuenerant in Nicæa consopitum est, quod paulò pòst recruduit. Rex enim vbi verbis Imperato-
riis,confirmata spe de transferendo aliquandò Mediolanensi Ducatu in Aurelianum filium,se multis indiciis fru-
stratum intelligit , vindicationis desiderio inflammatus quinq; exercitibus in diuersis locis contra Cæsarem mo-
uet, Nicæam capit, Landresium obsidione liberat, Cæsareanos ad Ceresolam fundit,& Carignianum recipit. Pax
tandem Crepriana vltima constituta. Parisiis collegium instituit,in quo tres linguæ docerentur,reliquas quoq; ar-
tes liberales,quæ tum passim interierant,quasi postliminio reuocatas pristinæ dignitati restituit. Vnde meritò li-
terarum restaurator,literatorumq; mecænas vnicus appellatus fuit. Cum Angli Bononiam maritinam occupâs-
sent,rex recuperandæ vrbi intentus,erectis circa eam aliquot castellis & propugnaculis,tandem cum Anglis &
Britannis pacem inijt. Tranquillitate igitur toti regno vndique restituta,grauissima correptus febri Rambo-
uilleti extremum diem quartum & quinquagesimum natus annum clausit anno M. D. XLVII. ad san-
ctum Dionysium sepultus. Extitit quidem hic Franciscus primus non eo regno sed omni imperio dignus,
fortuna autem ei magis aduersa quàm prospera semper fuit, quod tamen vulnus, in omnibus suis tri-
bulationibus singulari quadam animi constantia sic sanauit , vt istam vinceret , cuius hoc insigne
testimonium,quod constitutis ac rebus vndecunque ampliatis in ipsa animi expiratione diceret:
Regnum quod inij , cum Rhodano terminaretur , illud ipsum Deo auspice trans Padum exten-
sum filio in manus trado. Qui quautumuis splendesceret sumptu, luxuque regio
genium curaret,& bellum continenter ferè gereret, ærarium
tamen plenum liberis reliquit.



CAROLVS NONVS
VALESIVS GALLIARVM REX.

CAROLVS eius nominis Nonus Galliarum Rex Henrici Secundi ex Catharina Medicea filius, Francisco Secundo fratre, qui maximus natu parenti successerat in ptimis adolescentiæ annis è viuis sublato Gallorum Regno inauguratus est circa humanæ redemptionis annum Millesimum Quingentesimum Sexagesimum, Mense Maio. Non intermisso interim conuentu Statuum á prædecessore suo in vrbe Aureliensi indicto, vbi de consensu conuocatorum ordinum, administratio Regni, Reginæ matri, Regiq; Nauarræ concessa est, donec Rex(tunc annos vndecim natus)pubesceret maiorennisq; declararetur. Quo tempore magnis ob religionem motibus, plurimisq; belli intestini incommodis tota Gallia miserè diuexabatur Itaq; turbulenta Regni initia nactus, omne pariter & vitę, & gubernationis tempus inquietum habuit. Sub principio eius Regiminis conuocatis quidem ad colloquium primoribus ex centumuirali, Parisiorum senatu ijsq; ex tota Gallia doctis viris. publicatum edictum anno Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Secundo mense Ianuario, quo concedebatur, reformatam religionem profitentibus qui tum Hugenoti vocabantur extra vrbes exercere, & spes erat hac ratione omnia in Regno quietiora futura. Hac autem indulgentia & clementia abutentibus aduersariis maiores tumultus orti, & sacrilegia commissa sunt, reoruduitque sanguinolentius ciuile bellum. Collecto enim suæ factionis hominum, militumque maximo numero Aurelianensem ciuitatem occupauerunt, quibus etiam Condæus princeps se coniunxit, & tunc primum se Regis inimicum professus est. Rex igitur coacto non contemnendo exercitu, vt ciuitatem, & alia loca ab Hugenotis occupata recuperaret, cum parte exercitus Ludouicum á Lotharingia Aumalium Ducem ad obsidendam Rothomagum, quæ rebellauerat, misit, in qua obsidione Rex Nauarreus Antonius Borbonius, qui Regi militabat, plumbea glande traiectus occubuit, vrbs postmodum in potestatem redacta, & de rebellionis authoribus supplicium sumptum. Furorem Lugdunensium aduersus Catholicos arctissima obsidione compressit, Geneuenses, qui magno numero in eorum auxilium aduenerant, domum redire coëgit. Pictonum maximi momenti ciuitas per Mareschalcum Sancti Andreæ vi expugnata, & vastata, qui indè ad obsidionem Aurelianensem in qua Cōdæus princeps erat profectus. Francisco Guisiæ Duci se coniunxit. Condæus Aurelia discedens in Regium exercitum incidit, & secutum prælium propè Druidum oppidum, primarijq; vtriusq; exercitus Duces capti, Condæus Parisios, Anna Momorantius Magnus Franciæ contestabilis Aureliam ducti sunt, & quindecim millia Hugenotorum cæsa, Guisius autem dum obsidionem Aurelianensem continuat á Poltroto latrone interimitur anno Millesimo Quingentesimo Sexagesimo tertio, quo anno pax facta & publicatum edictum, quo permissum libetum reformatę religionis exercitium in multis Franciæ vrbibus, etiam extrà eas, Condæus & Contestablius liberati. Rex iam declaratus Maiorennis lustratis præcipuis Regni sui ciuitatibus, conuocauit Regni sui ordines, multa publicam pacem spectantia decreta quidem sunt, sed vana irritaq; sequenti anno fuêre. Dum enim Rex ciuitates eas, quas Hugenoti restituerant, maiori militum præsidio firmasset, nec arma deponeret, Condæus quoq; cum suis Schatiglionæo præsertim. quondam Cardinale exercitum clanculum conscribit, & (vt fertur) de Rege eiusque frater Andium Duce cum Regina matre interficiendis conspirat. Rex ad Condęum, quid nouo hoc apparatu bellico sibi vellet cognitum misit, Condæus verò octingentis equitibus cataphractis secum sumptis rectà aduersus Regem nihil talè suspicantem cum maximo furore contendit. Connestabilis autem & Dux Nemursius videntes in quo periculo Rex versaretur, assumptis sex millibus Heluetiorum, qui tum vicini aderant, & aciè instructa in cuius medio Rex vna cum matre consistebat, Condæo pugnæ copiam fecerunt, tam diuq; eius impetum sustinuerūt donec Regem cum matre Parisios saluos euasisse existimarent, postmodum & ipsi tertia horà noctis secuti sunt, Rex iuuenis cum suis equo descendere noluit donec omnis exercitus in ciuitatem incolumnis peruenisset. Secuta postea est cruenta illa pugna inter Parisiorum vrbum & Sanctum Dionysium anno M. D. LXVII. in qua occubuit Connestabilis, quo mortuo delatum est exercitus Imperium ad Regis fratrem Henricum Ducem Andegauensem natum tunc annos Nouendecim, qui deindè cum Admiralio Casparo Colignio, Principeq; Condæo reformatæ religionis exercitus Imperatoribus propè Basacum conflixit, vbi Condæus captus occiditur. Admiralius Pictauium obsedit, sed re infecta obsidionem dissoluere coactus est. Hinc anno M. D. LXXII. pacis conditiones initæ, interueniente connubio Henrici Regis Nauarrei cum Regis sorore in perpetuam firmamq; pacem transituræ credebantur, ideoq; Admiralius, Condæus, reliquiq; reformatæ religionis viri nobiles, eò à Rege inuitati aduenerant, quis verò huius conuentus exitus fuerit, cum toti Orbi notissimum sit, hic enarrare superfluum duxi. Erat hic Rex ea animi indole, vt de eò passim omnes præclari aliquid sibi promitterent, sed qui parum moderatis aliquot suorum consiliis, & iniquitate temporum impeditus, & immaturè obiens, virtutem extendere factis, & conceptam de se bonorum spem adimplere nequiuit. Decessit enim admodum Iuuenis anno M. D. LXXIIII. cum Galliæ res quatuordecim annos administrâsset, relicta vidua Elisabetha Maximiliani Secundi Rom. Imp. filia, ex qua vnicam fœmineam prolem Mariam Elisabetham suscepit. Bella cum exteris nulla, cum subditis nouatæ religionis multa, eaq; ferè assidua habuit, & insignes aliquot ex hostibus victorias retulit. Sepultus ad S. Dionysium.



MATHIAS
ARCHIDVX AVSTRIÆ.

MATHIAS Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styrię, Carinthię, Carniolę & Wirtenbergę &c. Comes Habspurgi & Tyrolis &c. Prorex Hungariæ & Austriæ. Supremus belli sacri contra immanem Turcarum Tyrannum Dux, patre natus est Maximiliano II. Romanorum Imperatore, matre verò Maria Imperatrice Caroli V. Augusti filia, vtriq; parenti mirificè dilectus, pietate, humanitate, morumq; suauitate, animi magnitudine, ingenij præstantia, adeoq; omnibus virtutũ generibus, quæ in Principem excellentem cadere possunt : externo etiam vultu, totiusq; corporis decore id testante haud vlli secundus. Hic anno ætatis suæ vigesimo vehemente iterataq; ordinum Belgicorum solicitatione ad Prouinciarum administrationem postulatus, tãdem eo animo, eaq; spe conditionem accepit, vt res illic turbidas, & in motu periculoso positas, ad pristinam serenitatem quietemque reduceret. Verùm cum diu multumq; in rebus tranquillandis sudâsset animaduerteretq;, Proceros illos & populum à Rege suo, & legitimo Principe apertè alienatos, dominũ querere externum, adeoq; incassum se laborare, cum bona illorum venia illinc discesit. Reuersus in patriam, fratris sui Serenissimi Ernesti Archiducis in Hungaria & Austria Imperatoris nomine gubernantis aliis continuè negotiis occupati, peregrèq; absentis vices sustinuit. Tandem cum Ernestus à Rege Hispaniarum Philippo II. auunculo suo ad Prouinciarum Belgicarum Regimen accersitus esset, huic in Hungariæ atq; Austriæ moderamine Mathias suffectus est. Exorto autem tum temporis bello sacro, eidem Dux summus præficitur. Cùm verò pòst cæsa ad Albam Regalem Turcarum ad decem plus minus millia, Duces Cæsariani, quibus hæc expeditio demandata fuit, partam præclarissimã victoriam prosequi amplius nollent, ipsemet Archidux spretis omnibus rerum difficultatibus, ventis, imbribus, niuibus, & hybernis tempestatibus, (quæ tantæ erant, vt pontem inter Budam & Pestam glacie laceratum fluminis violentia abripuerint,) nihil curatis asperrimo frigore mense Ianuario, paucis comitantibus Iaurinum se contulit. Illinc contracto celeriter exercitu non numeroso, signa ad munitissimam arcem Nouigradium in difficili ardui montis vertice sitam properanter conuertit, obsedit, oppugnauit, & faustis auibus triduo post deditione potitur, ouansq; Viennam rediit. Laudatur in hac obsidione diligentia millitarisq; disciplina Archiducis, qui in oppugnatione huius munitionis ipse vbiq; præsens ad fuit, quasdam machinas bellicas, ipse inspexit, propriisque manibus disposuit, erexitq;, & Vngarico habitu equo insidens castra lustrauit. atq; animos militum verbis verberibusq; accendit. Fuit hoc munimentum munitio Turcis ad Albæ Regalis, Budæ Pestiq; defensionem accommodatissimum, quo in potestatem redacto, Christianorum Pomeria viginti amplius milliaribus sunt extensa, & multa millia Tyrannide Turcica oppressorum liberata. Anno cIↄ. Iↄ. xCIV. Sinanem Bassam post Iaurinum validissimo centum & quinquaginta millium exercitu aliquot hebdomadas grauissima obsidione cinctum, ac tandem Toparchi perfida ac turpi pactione deditum, & Comaronensem arcem, firmumq; propugnaculum ad Danubium & Vagi fluentes situm subito impetu expugnare conantem, celeri succursu reiecit fugauitq;. Strigoniensem arcem munitissimam, Vissegradum quoq; Regij diadematis custodia olim celeberrimum, & arce in excelsi montis fastigio condita, natura opereq; firmissima inexpugnabile creditum, ad immortalem præclarissimæ victoriæ memoriam, & monumentum in Cæsareæ Maiestatis ditionem redegit. Post mortem patrui sui Achiducis Ferdinandi communi consensu ad hoc electus, vt tam suorum fratrum & patruelium nomine superiorum Austriacarum prouinciarum ordines fidei & obsequij iuramento obstringeret, indictis ad præstandum homagium vbiuis conuentibus, non modò apud illos quod voluit facilè obtinuit, sed etiam amabili humanitate effecit, vt Heluetij cæteriq; finitimi vltrò ad omnia vicinitatis officia se offerrent. Deinde nomine & auspicijs Rudolphi Imperatoris Augustissimi fratris sui Ratisbonæ Romani Imperij Comitia magna cum laude celebrans, tanta ab Imperij Ordinibus ad prosequendum continuandumq; sacrum bellum subsidia impetrauit, quanta vix vnquam alius. Quemadum autem anteà superiora Comitia anno M. D. xCiv. ibidem habita sub finem eorum lugubri ob Iaurinum amissum fama perturbata fuerunt, ita vicissimi hæc comitia lætissimo de eodem recuperato nuncio soluta sunt. Lætabundus in Austriã reuersus, & nihil sibi ad res porrò prosperè gerendas reliquum faciens, copias properè ad Budam duxit, eiusq; oppugnationem aggressus, suburbium muris, fossis, & propugnaculis fortissimum expugnauit. Cum verò pluuiæ continuæ, tempestates, & importunissima cæli intemperies obstaret, quo minus reliqua vrbe & arce potiretur, quæ ceperat ferro & flammis deuastare iussit. Inde dimisso de consili o Ducum militari exercitu Viennam ad relicta rerum gubernacula remeauit. Vbi verò anno M. DC. I. xx. Septembris Mercurianus Dux Albam Regalem felici conatu recepisset, Vienna in castta se contulit Archidux, & Turças recuperandæ Albæ omnes renios intendentes cæso Chihaia & Budensi Bassis & plurimis Turcis, quorum exercitus sexaginta millium erat, parua manu aliquot dierum acerrimis dimicationibus fractos profligauit, à cæpto desistere, castra incendere, & Budam repetere coëgit.



PHILIPPVS
DVX BVRGVNDIÆ.

PHILIPPVS cognomine Bonus, Dux Burgundiæ, Comes Flandriç, Ioannis Burgundiç, & Margarethæ Alberti Bauariç Ducis, Seelandiæ, Hollandiæq;, Comitis filius. Hunc pater adolescentẽ. Lutetiam emisit legati autẽ Flandrensium soliciti de vnici, Ducis filij periculo ne florentissimus adolescens diutius inter inimicos versaretur, Lutetiam profecti, ipsum Philippum & nouam nuptã eius Michaëlidem Caroli Regis filiam secum in Flandriam adduxerunt. Post patrem à Siccariis instinctu Iohannis Delphini Viennensis occisum, cum Henrico Rege Anglorum fœdus fecit, inducias Regi Galliæ, & sibi obtemperantibus ciuitatibus obtinuit. Vt patris cædem vlcisceretur varia bella cum Gallis gessit, oppida, & castella expugnata, inter quæ Montrelium captum, cur non incenderetur, interroganti, respondit pius Dux, oppidum culpa carere, nec esse parricidij reum. Prima Philippi expeditio fuit ad Abbeuillam in prælio Vimiacensi, vbi Iohannes Luzenburgus eum baltheo equestri cinxit. Cum autem ab hoste celeritate circumueniretur, & tanta terpidatio iniecta, vt dimidia amplius pars exercitus ducem desereret. Philippus & quingenti circiter fortissimi, qui cum illo manserant validè cum hostibus præliati sunt, & ita rem gessêre, vt victores euaserint, captis, cæsis, & fugatis omnibus inimicis. Cum Iohannes Dux Brabantiæ videret se non sufficere tot gubernandis prouincijs Philippum nepotem Hollandiæ, & Seelandiæ præfecit. Tria bella in Hollandos suscepit, primum contra Iacobam Bauaram Ioannis Brabantini vxorem diuortium meditantem, & quæ clanculum se Gandauo in Hollandiam subduxerat, iamq; Gloucestrium Comitem ex Anglia ad sibi auxiliandum euocauerat. Pugnatum acriter haud procul à portu Brauuersauensi iuxta Zirixium, anceps ab initio certamen, ad postremum Philippus egregiè vicit, cæsis ex omni ætatis flore selectis tribus Anglorum millibus. His gestis Philippus dispositis per Hollandiam præsidiis in Flandriam reuersus est. Iacoba nondum quiescente, secundum mouit in Hollandiam, ea enim pertractis ad se Goudanis ciuibus in Hollandia armato milite ciuitates aliquot non parum affligebat, cui se Princeps Seuenberganus adiunxerat, quo audito Philippus ea in loca reduxit exercitum, ac Seuenberganos arctissimè obsedit, qui tandem se dediderunt, Princepsq;, quo inuito hæc deditio facta fugatus est, incredibilem tradunt hic Philippum præstitisse virtutem. Ex Portu Slusensi magnis deindè copiis tertium in Hollandiam traiecit, Goudam oppidum, & in illo Iacobam obsedit, Goudenses metu perterriti consilium Iacobæ dederunt, vt cum Philippo solidam pacem iniret, itaq; ipsa Philippum verum agnouit suum hæredem, vt morte eius in Hannonia, Hollandia, Seelandia, & Frisia succederet, ipsumq; horum Principatuum præsidem, ac procuratorem creauit. Carolus Galliæ Rex pacem à Philippo petiens, eam impetrauit, ac cum magno armatorum numero Philippus Parisios profectus, ibi ingenti gaudio exceptus, præfecturam vrbis accipere coactus est. Postquam ob cædem parentis graues per longum tempus sumpsisset pœnas, mitiorem tandem se præbuit, cumque in conuentu Rex Carolus per legatos Philippum oraret, vt dignaretur parentis sui cædẽ Regi remittere, quandoquidem illud facinus per imperitiam adolescentiæ, & per consilia improborum hominum in quorum erat potestate designasset, Dux vltra non tenens lachrymas, se remittere respondit. Renatum Siciliæ Regem, Lotharingiæq; Ducem ipsi bellum inferentem cum vicisset, captiuumq; abduxisset, Cæsar, Galli, & Britanni vno die ipsi bellũ denunciauerunt, sed nihil promouerunt. Cum Carolus Borbonius licet Philippi sororius, Burgundis tamen plurima damna inferret, Philippus conscripto exercitu per Campaniam in Burgundiam transijt, ac statim Hermiacum, Maligniacum, Sabelliacum, aliaq; castella ad vigintiquatuor ab hostibus occupata recepit. Septem cruentis prçlijs dimicauit, in quibus omnibus victor euasit. Flandros rebelles, & Leodios vicit, & pacis petere commoda coëgit. Elisabetha Luzenburgensium Principe sine liberis mortua, Philippus ad quem spectabat hæreditas, cum satis numeroso exercitu profectus Luzemburgum venit, quam totis quindecim diebus obsidione fatigatam tandem cçpit. Ludouicum Delphinum patris Caroli iram fugientem ea veneratione excepit, vt facilè declararet, se in affinem gerere animum parentis propitij. Itaq; exacto quinquemio in Comitatu Burgundi vsq; ad patris obitum cum ingenti exercitu à Philippo in Gallias reductus, fratre natu iuniore Carolo cui pater moriens Ludouici odio regnum Galliarum testamento reliquerat vltrò annis ac ætati cedente Rex invnctus est. Eboracensem Ducem ab Anglis pulsum, & ad se refugientem ita iuuit, vt opera sua post Rex Angliæ sit factus. Ordinem Aurei Velleris equitum ad defensionem Christiani nominis, honoremq; Sanctissimæ Trinitatis, Beatæ Mariæ virginis, & Sancti Andreæ Apostoli instituit. Multis Christianis Principibus bello aflictis auxiliares copias misit. Constantinopoli à Turcis capta, à Pontificè rogatus vt Christiano nomini succurret, quatuor triremes milite commeatuq; instructissimas mittere non intermisit, vouisseq; fertur, si Rex Gallorum vellet ipsius ditiones conseruare in pace, se cum omnibus viribus in Turcarum Imperatorum profecturum. Post Anglos Gallia exactos, cum Galli vltioni sumendç de Burgundionibus consilia sua intenderent, Philippus, quanquam idoneas videretur habere belli occasiones, maluit tamen dissimulare, & pati, quam factam semel pacem frangere. Tandem laboribus bellis, & ætate cõfectus obiit Brugis Anno M. CCCC. LXVII. sepultus interim ad S. Donatianum, donec ad Diuionem Burgundiæ transferretur. Fuit hic Princeps pacis ac belli æquè studiosus, insigniter pius, in omnes munificus, humanus, in re bellica fortis, ac fœlix, moderationem ac clementiam, toto sui regiminis tempore mirabilem exhibuit, iram plerumq; dissimulare & vincere nocuit.



MAXIMILIANVS
ARCHIDVX AVSTRIÆ.

MAXIMILIANVS hic in Auſtriacæ Familiæ ſeriè huius nominis tertius & iiſdem parentibus, quibus Rudolphus ſecundus Auguſtus & huius fratres, editus, abauum & genitorem nomine refert, illis Regiis virtutibus non inferior, quas per omnes cùm bellicæ tùm ciuilis virtutis numeros generoſi ſpiritus & inuicti animi magnitudine, heroica grauitate, benigna humanitate, comi affabilitateq; repreſentat. Siquidem hoc liquidiſsimè conſtat ex variis aduerſitatibus, quibus illum fortuna exercuit, quas infracta virtute ſuperauit. Princeps ſingularis innocentiæ, pietatis, prudentiæ, clementiæ, ſobrii & conſtantis iudicii, ingeniiq; liberalis. Anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quinto Teutonici Equites eum in Ordinis ſui Magiſtrum adoptârunt, cuius amplitudini non mediocres vires atq; opulenti prouentus coniuncti ſunt, quos ex generis dignitatiſq; ſuæ vſu atq; in publicum commodum impendit. Biennio poſt, Stephano Bathoreo Poloniæ Rege mortuo, cū ordines Regni de nouo Rege eligendo varia agitarent conſilia, & poſt alios competitores excluſos ſupereſſent, Maximilianus Archidux, & Sigiſmundus Sueciæ Princeps, ille propter familiæ Auſtriacæ potentiam, cum præcipuis orbis terrarum Principibus propinquitatem, animi benignitatem, & comitatem, multos habens fautores ab vna parte ſuffragantium tám Polonorum quàm Lithuanorum Rex legitimè renunciatus fuit. Alij verò Auſtriaco nomini minus fauentes, ſibi indulgentes, ſine tamen Lithuanorum aſſenſu citra magnum Senatorum numerum & ordinis Equeſtris ſcitum, Sueciæ Principem ex vetuſta Iagellonia ſtirpe, ratione matris originem ducentem, Regem proclamare non dubitârunt: Electi igitur Reges duo, vterq; ſalutatus & ad capeſſendum Regnum accitus, Maximilianum quidem priorem cum exercitu aduenientem ciues, qui à Sueco ſteterunt, recipere detrectârunt, eruptionibus aliquot factis acerrimè conflictum eſt, variante vtriuſq; partis fortuna. Sueco autē Petricouiam appulſo, Maximilianus Cracouienſem obſidionem ſoluens, illuc cum aduerſario de ſumma rerum dimicaturus mouit, ſed hoſtium exercitum multò potentiorem intelligens, & quod in crebris cum Polonis & Suecis leuioribus prælijs, magnum ſuorū numerum amiſiſset, retrò ſe contulit, Cracouiam denuò, ſed fruſtrà, tentauit. Interim ad Cancellarij Polonici cum lectiſsima duodecim millium manu Wielunum verſus proficiſcentis famam, Maximilianus cum copijs ſuis Pitſchenium Brigenſis in Sileſia ditionis oppidum ſe recepit, quorſum Cancellarius magnis itineribus contendens cū Auſtriacis pugnam conſeruit, Maximilianum Petſchinij obſedit, oppidumq; oppugnauit, quod cum Maximilianus propugnando tueri nequiret, ſe dedidit atq; in Poloniam abductus eſt. Tandem cauſa inter Regem Sigiſmundum & Archiducem à Pontificis & vtriuſq; partis legatis Bithoniæ congregatis tranſacta, pax inter Sereniſsimam familiam Auſtriacam & Polonos certis conditionibus iterum coijt. Maximilianus libertati reſtitutus, Pragam ad Jmperatorem poſt limino reuerſus eſt. Cum anno Nonageſimo quarto Stiriæ & connexarum prouinciarum gubernationem ſuſcepiſſet, Craſtouicium præcipuum Turcarum munimentū, cæſis omnibus præſidiarijs, occupauit. Betriniam deinde arcem fortiſsimam, ante paucos annos in Cæſareo ſolo ab Haſſano Boſnenſi Baſſa excitatam obſedit, quā ſex habentem propugnacula quercinis trabibus compacta, duas quoq; munitiones exteriores excelſas, in ſummitate planas, ita vt penè inexpugnabilis eſſe videretur, omni vſus induſtria, totiſq; explicatis viribus paulatim ſubeundo, vi quoq; tormentorum maxima, tantum metum præſidiarijs incutiendo hoſtem eò adegit, vt accenſa arce, quò quiſq; poſſet, Petrinia relicta, elaberetur. Biennio poſt Chriſtiani exercitus contra Turcam in ſuperiori & inferiori Hungaria Jmperator ab Auguſto fratre declaratus Hatuanum fortiſsimum Turcarum propugnaculum, licet præſidiarijs fortiter ſe tuentibus, vi tamen expugnauit. Inde cum toto exercitu Agriam adijt, qua Turcis dedita, cum Amurathe III. Othomanno præſente ſummis viribus pugnauit, quod prælium ita ſucceſsiſſet, vt ſi Cæſariani Turcica acie partim proſtrata, partim diſsipata, modò victores Sulthanum fugientem perſecuti forent, hunc cepiſſent, niſi hos Turcicorum caſtrorum potitos, & in horum depredationem ſolutos Cicalogli Baſſa cecidiſſet, adeòq; à noſtris parta victoria ab ipſismet eſſet corrupta, Vtraque tamen pars & vicit & victa eſt. Proxima fuit Pappenſis ciuitatis obſidio & occupatio. Hoſtem deinde ad oppidum Vacienſe caſtrametatum, ne vlterius progrederetur, Maximilianus diſtinuit. Quemadmodum etiam, eo in ſuperiori Hungaria belligerante, Varadinum arctiſsimè quidem obſeſsum, fortiſsimè tamen defenſum, & hoſtis obſidionem ſoluere coactus eſt. Sub eiuſdem Maximiliani auſpicijs, dum Poſonij comitia celebraret Jauarinum ſingulari aſtu & ſtrategemate Adolphi Comitis Schuarzenburgij recuperatum, quo ſtatim ſe contulit, vt omnia ordinaret & curaret quæ vſus poſceret, fratre Mathia Archiduce pro Jmperatore Ratisbonæ in Comitijs agente. Tandem ob omnes virtutes ſummæ rerum moderandæ idoneas Jmperator cæterique Archiduces germani & agnati Maximiliano Superioris & citerioris Auſtriæ prouincias gubernandas commiſerunt. Deus optimus Maximus hunc magnanimum Herôa diu ſoſpitent, & vota eius cumulate impleant.



MAVRITIVS
SAXONIÆ DVX ELECTOR.

MAVRITIVS cognomine bellicoſus, Dux Saxoniæ, & Sacri Romani Imperij Elector, Marchio Miſniæ, & Landtgrauius Thuringiæ, Henrici pij filius, Alberti magnanimi, eius qui à ſummo Pontifice dextera manus Imperij, & à milite Belgico Rolandus apellatus fuit, nepos, Friderici ſecundi Electoris pronepos, natus Freiburgi celebri metallorum vrbe, anno Milleſimo Quingenteſimo vndecimo, matre Catharina Mechelburgenſi Ducis Magni filia. Auus Mauritij Dux Albertus prænominatus, Friderici tertij, & Maximiliani patris & filij Romanorum Imperatorum hoſtem Mathiam Hungariæ Regem, ex Auſtria repulit, & ad ſuſcipiendas pacis conditiones, quas ipſe, & frater Erneſtus propoſuerunt, adegit. Galliarum Regem è toto eiecit Belgio. Bohemię regnum ſibi oblatum ſuſcipere noluit. Pater Mauritij Dux Henricus gubernator Phriſiorum, patre defuncto Paleſtinam, & Galiciam, vt religioſa loca inuiſeret, adijt, & multa aduerſa perpeſſus eſt. Georgio fratre mortuo, Henricus eius prouinciis potitus, primus religionem renouatam ſuſcepit & propagauit. Anno Triceſimo nono Mauritius Dux Agnetem Philippi Haſsiæ Landgrauij filiam natu maximam, ex qua Albertum filium in infantia mortuum, & Annam filiam, poſtea Guilielmo Aurangiæ principi, Comitiq; Naſſouienſi nuptã ſuſcepit, cum annum Viceſimum ætatis attigiſſet, coniugem elegit. Patri Henrico ad regna cœleſtia ex ærumnis humanis feliciter ſublato, Mauririus ſucceſsit, magna expectatione virtutis, & ſumma omnium ordinum gratulatione. Statura fuit corporis egregia, & animo excelſo, ac imperterrito, ſtudia literarum fouit, ingenio tam humano præditus fuit, vt facilè delinquentibus veniam largiretur. Eccleſias, & Academias conſeruauit, auxitq; Tres eximios ludos literarios inſtituit. Dreſdam, Lipſiamq; magnificè muniuit, arces nouas extruxit, veteres exornauit. Cum Ioanne Friderico Electore agnato, orta de Wurzina oppido controuerſia, ſpecimen induſtriæ ſingularis dedit, & conſilium pacis, ſuadente ſocero Landgrauio libenter admiſit. In exercitu Romani Imperij ad Budam in Hungaria contra Turcam educto, non animus alterius Ducis præſentior, non virtus militi ſpectatior, quàm Ducis Mauritij ſuis ſtipendiis militantis fuit. Carolo Quinto Cæſari contra Gallię Regem Franciſcum primum ad oppidum Veromanduorum Landreſium pro ſua ſuorumque maiorum erga Imperatores perpetua obſeruantia opem tulit. Eidem iterum contra Gallos, ipſe & frater Mauritius cum equitatu lectiſsimo auxilio venerunt, & ad Diuum Victorinum hoſtes pari alacritate, & impetu aggreſsi, clariſsimam reportârunt victoriam. Henricum Brunſuicenſem ſocero, & agnato imparatis arma ſubito inferentem perſecutus, ſuo aduentu terruit, & actiones ita moderatus eſt, vt bellum iam ardens ſine cæde reſtingueretur. In bello Germanico, ne prouincias ſuas in extremum diſcrimen adduceret, rebus dubiis, Caroli Cæſaris partes contra Agnatum Electorem, & ſocerum ſecutus eſt, quò facto cum Imperatori ſatisfeciſſet officio ſuo, vim, & iniurias ſibi illatas à ſe vbiq; propulſauit. Rebus tandem pacatis, Dux Mauritius Caroli Imperatoris benignitate auctus, Romani Imperij Septemvir, & Enſifer incaſtris ad VVittenbergam declaratus eſt, inſigniaq; in Comitijs Auguſtæ Vindelicorũ ritu ſolenni accepit. Vrbem munitiſsimã Magdeburgenſem pactiones à Cæſare oblatas recuſantem, publicæ militiæ dux factus, grauiter obſedit, quam menſe demum decimoquinto conditionibus ſanè tolerabilibus in poteſtatem redegit. Durante obſidione, ne qua cauſa in Germania noui tumultus relinqueretur, neq; aliquod ciuitati aliundè auxilium adferretur. Mauritius aſſumptis ſex peditum vexillis, & mediocri equitatu, in occurſum copiarum, quę in maritinis Saxoniæ ciuitatibus collectæ erant, contendit, & eas diſsipauit, ac quatuor indè vexilla ad ſe pertraxit. Pace poſtea cõſtituta & firmata, Mauritius Dux ciuitatem quinque ſuorum militum vexillis aliquandiu in cuſtodia tenuit. Deindè Francofurtum obſedit. Cum iam menſem ferè hæc obſidio durâſſet, & multi ciuitatis pagi, atq; prędia rapinis, & incendijs eſſent deuaſtata, poſt ſecurum colloquium inter ipſum, & Conradum ab Honſtain ciuitatis Ducem, vt Mauritius ſuum exercitum abduceret, & ciuitas ab ea parte, obſidione leuaretur (nam Cæſar quoque iam cum Mauritio conuenerat, & in articulos Bæduri poſtulatos, ſuaſu & impulſu fratris Ferdinandi conſenſerat, vt quam primum duo captiui Principes Fridericus Saxoniæ Dux agnatus, & Philippus Lãdgrauius Haſſiæ Princeps ſocer, ex diuturna captiuitate liberarentur) Mauritius exercitum ſuum ab obſidione reduxit, cumq; eo indè recta in Hungariam contra Turcam contendit, vbi hoſtem continuit, & Inſulam Danubij munijt. Cum Albertus Marchio Brandenburgicus Hannoueræ in Saxonia maioribus copijs exercitum ſuum confirmâſſet, atq; in Germania diuerſis in locis igne ferroq; ſæuiret, Mauritius eum perſequutus eſt, atq; cum eodem in diocœſi Hildesheimenſi apud quendã pagum Seibershauſum fortiter congreſſus, fuſo fugatoq; eius exercitu, captiſq; hoſtium ſignis octuaginta ſex, in illa pugna ſelopeti ictu, quem in latere dextero ad ilia acceperat, vulneratus anno M. D. LIII. Nono Iulij tertio die pòſt obijt, anno ætatis ſuæ Triceſimo tertio nondum abſoluto. Sepultus Fribergi iuxta patrem. In hoc prælio non ſolum multi egregij milites, generoſi Comites, nobiles Barones, ſed Illuſtriſsimi quoq; Principes Philippus & Carolus Brunſuicenſes Duces Henrici filij, & Fridericus Dux Luneburgẽſis in ipſo cõflictu fortiter pugnantes vitam amiſerunt, cruentaq; Mauritio victoria fuit. Portenta tantæ calamitatis fuère multa, Canum rabies, qua ad mortẽ vſq; certârunt, fremitus in aëre, ſanguineæ in herbis ac arboribus guttæ, hominum, & equorum in illo campo, in quo conflictus fuit, nocte intempeſta & in oppidis nocturni clamores & eiulatus auditi.



IOHANNES FRIDERICVS SAXONIÆ DVX ELECTOR.

IOHANNES Fridericus Saxoniæ Dux Sacri Romani
Imperij Elector Archimarſchalcus, Landgrauius Thuringiæ,
Marchio Miſniæ, & Burggrauius Magdeburgenſis. Magnanimus
à tolerantia in rebus aduerſis, inuictus quod neq; minis, neq; blandi-
tijs vinci potuerit, vt Religionem nouam receptam deſereret, craſſus ob
corporis obeſitatem cognominatus, Iohannis Conſtantis & boni Ducis Saxoniæ ex Sophia Duce
Megapolitana filius, anno Milleſimo Quingenteſimo tertio natus eſt, in cuius dorſo crux aurei colo-
ris fulſiſſe dicitur. Cum Coloniæ in comitijs ad petitionem Caroli Quinti Imperatoris de Ferdinando
fratre in Romanorum Regem creando tractaretur, à patre miſſus eius electioni contradixit, in quam ta-
men poſteà certis conditionibus conſenſit. Orta controuerſia inter ipſum, & agnatum de Wurzina præſulis
Miſnenſis oppido Philippus Landgrauius eam compoſuit. Henricum iuniorem Ducem Brunſuicenſem fœ-
deratorum auxilijs ditione eiecit, deindè eam repetentem cum ſociis Principibus ad deditionem adegit. Ex-
orto bello germanico ex fœdere Smalcaldico religionis potiſsimum cauſa, cum Landtgrauio Haſsiæ, & alijs
Germaniæ Principibus proteſtantibus, aliquotq; Imperij liberis ciuitatibus percuſſo, Iohannes Fridericus toti-
us belli adminiſtrationem tanquam ſummus Dux ſuſcepit. Collecto igitur copioſiſsimo exercitu ad Ingolſta-
dium Bauaricæ ditionis vrbem caſtra poſuit, quo etiam Carolus Cæſar venerat. Vtroq; exercitu paruo inter-
uallo diſtante, multæ velitationes ſed parum memorabiles editæ ſunt Diuerſitas ſententiarum de belli geren-
di rationibus peperit inter Iohannem Fridericum & Landgrauium contentionem, Landgrauius enim Cæſa-
rea caſtra oppugnanda, & prelio decertandum ſuaſerat, cum Saxo Ingolſtadium omni tormentorum genere
abundare, quibus Cæſarem muris & turribus oppidum tutari poſſet, & idcò inde magnum periculum immi-
nere aſſeueraret. Alijs igitur aliud ſentientibus nihil determinatum, & appropinquante hyberno ad gerendum
bellum incommodiſsimo tempore exercitus diſtractus eſt. Saxo per Sueuiam proficiſcens Gmundam conceſ-
ſa oppidanis vita, & fortunarum integritate in deditionem pecuniam pactus accepit, quam etiam Francofur-
tenſibus, Moguntino Archipræſuli, Fuldenſi Abbati, vrbibusq; Bambergenſis & Herbipolenſis Antiſtitum
extorſit. Interim Bohemi in Saxoniam effuſi cum Mauritio Saxonum Duce quantum agri in electoris ditione
eſſet vaſtarunt, arces, vrbesq; omnes tribus munitis exceptis in eadem regione occuparunt. Elector de his cer-
tior factus, aliquot peditum cohortes cum tribus equitum millibus ad Saxoniam tutandam præmiſit, cum re-
liquo exercitu ipſe ſecutus, & Saxoniam ingreſſus Lipſiam Mauritij vrbem obſidione cinxit, ſummaq; vi op-
pugnauit. Oppidanis verò mænia acriter defendentibus, & hoſtem aſcendentem deorſum præcipitantibus,
Elector clade ſuorum coactus receptui cani iuſsit, ac cum pridiè fruſtra oppugnationem tentaſſet obſidionem
ſoluit. Indè oppida ſua & caſtella amiſſa non tantum recepit, verumetiam vrbes, & arces omnes Mauritio pre-
ter Lipſiam & Dreſdam ademit. Magdeburgenſem Halberſtadenſemq; Epiſcopatus pactione cū Johanne Al-
berto Epiſcopo inita in ſuam poteſtatem redegit. Rochlitium ab Alberto Marchione Brandenburgenſi occu-
patum cum ſuis legionibus aduenięns vndiq; obſidione circumuallauit, & poſt oppugnationem primo impe-
tu cepit. Albertus dum in medio terrore fugam per amnem trepidus capeſſeret, captus ad Electorem in caſtra
ductus fuit, ſtetitq; ea victoria Electori modico ſanguine. Fridtbergum poſteà Miſniæ oppidum, atq; indè Al-
bim fluuium progreſſus Miſenum dimiſſo liberè Mauritiano præſidio ſinè incommodo occupauit. Accepto
de Cæſaris aduentu nuntio Elector omnes copias Albim raptim traduxit, & ad Mulbergum haud procul à ri-
pa loco aperto ad dimicandum conſedit. Cum autem Cæſarem Albim tranſgreſſum accepiſſet, VVittenber-
gam verſus cum copijs celeriter maturauit, ibi cum Cæſare de rei ſumma dimicaturus, in eam tandem neceſsi-
tatem adductus fuit, vt aut fuga arripienda, aut prælij alea iacienda foret, itaq; dimicandi nullam morā facere
decreuit. Atrox pugna vario euentu in octo ferè horas extracta eſt. Tandem inclinante, ad Cæſarē victoria E-
lector vſq; ad vltimum pugnæ euentum in prelio reſtitit, & è media cæde dilapſus, cum nihil ſpei reliquum, &
ad extremum diſcrimen ventum eſſet, cum paucis per ſaltus auia & deuia fugit. Sed modico temporis inter-
uallo aliquot Hiſpani & Itali cum vno Hungaro velite, qui palantes longius per ſaltum perſecuti Electorem
ceperunt armatum, & equo inſidentem, ac vulnere quod inter pugnandum læua gena acceperat deforma-
tum ad Cæſarem adduxerunt. Potuiſset quidem tantis copiis fuiſſe par Elector, & in ſpem victoriæ acie
congredi, ſi vniuerſum exercitum per præſidia diſperſum in vnum contrahere licuiſſet, ſed in re ſubita
inexſpectataq; omnes vndiq; copias coniungere non dabatur. Capitis damnatus nullum abiecti paui-
diq; animi aut trepitationis ſignum dedit. Verum iſta ſeueritate perculſi Principes Germaniæ, eam
Saxoni operam poſuerunt, vt mitigatus Cæſar, & damnationem illam reſciderit, & certis condi-
tionibus vitam conceſſerit. Vita donatus Cæſarem ſemper ſub cuſtodia ſecutus eſt. Poſt
quintum captiuitatis & exilij annum dimiſſus ad ſuos redijt. Mauritio in prælio cum
Alberto Brandenburgenſe conſerto ex ſclopeti ictu defuncto, cum Auguſto illius
fratre in conuentu Naumburgano abolitis omnibus controuerſijs totum ne-
gotium compoſuit. Obijt anno Milleſimo Quingenteſimo quarto.
Vinariæ cum vxore Sibilla filia Iohannis Ducis
Iuliacenſis ſepultus.



FRIDERICVS
COMES PALATINVS RHENI
BAVARIÆ DVX.

FRidericus qui ob multiplices de hoſtibus ſuis victorias relatas victorioſi cognomen meruit, Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux, Sacri Romani Imperij Elector, & Archidapiſer, Lodouici Barbati, ac Melchiltidis Sabaudiæ Duciſſæ filius anno M. CCCC. XXV. natus eſt. Infans adhuc, & puer maximam de ſe omnibus præſtantiſsimę indolis ſpem prębuit, valuit vi ingenij, & corporis robore, &, vt illud à pręceptoribus literis excolebatur, ita hoc quoq; quotidianis, & equeſtribus exercitiis confirmabatur. Vix enim ex ephebis eo egreſſo ſtatim apparuit ad quæuis ipſum natum, adeò æquales omnes cunctis exercitij generibus vincebat. Facies & corporis forma multum venuſtatis & eleganriæ habebat, ſingulari cum maieſtatis quadam grauitate coniunctæ, vt bonis certam de ſe clementiæ, & manſuetudinis ſpem præbuerit, improbis verò formidini eſſet. Fratrem habuit natu maiorem Ludouicum Electorem, is, relicto filio adhuc impubere Philippo, è viuis exceſsit. Vicinia tunc omni totoq; Palatinatu bellis ardente, & ob id ſtrenui Ducis egente, placitum eſt Palatinatus Ordinibus, & proceribus, vt temporibus tàm perturbatis ſumma rerum, & Palatinatus adminiſtratio Friderici fidei committeretur, ea tamen lege, vt Philippum pupillum iure adoptionis filiũ ſibi adſciſſeret. Id quod præſtitit, Imperij ordinibus ſolemni diplomate hoc factum Reipublicæ neceſſarium approbantibus. Amorem Friderici cùm erga filium adoptiuum, tùm erga Palatinatum, infinita comprobant pericula, quæ tot pro patria geſtis, & cõſectis ſumma fortitudine, & felicitate bellis adijt, ita tamen, vt non immerito quis dubitet, vtrum in ipſo maiór extiterit bellica fortitudo, an pacis ſtudium, & humanitas. Virtutis verò indiuidua ſemper comes inuidia, cum illum premere ſatageret, cõtrarium effecit, vt is iniuſtis hoſtium conatibus ingenti animo obuiam eundo nominis famam toto illuſtraret orbe, adeò, vt quæ in magno belli duce requiruntur, præcipuè militaris ſcientia, ſingularis animi vis ſumma, & fortuna ſemper aſpirans conatibus, cuncta in illo extitiſſe videri queant. Luzelſtainenſes comites præpoteutes quidem, ſed Palatinatus beneficiarios clientes fidei, & beneficiorum oblitos, vinculum obſequij abrumpere, &, quæ Friderici erant iuris ſibi vendicare conantes, ciuitatem & arcem eorum Luzelſtainenſem, quantumuis natura loci & arte munitiſsimam acerrimeq; propugnatam in poteſtarẽ redegit, comites profugos in exilium propulit, aliquot deinde & oppida & arces eorundem comitum partim expugnauit, partim deditione ſui iuris fecit, His rebus feliciter ſuccedẽtibus, quę anteà nec iure nec armis obtineri poterant, in integrum reſtituta ſunt. Ambergenſes adoptioni, & adminiſtrationi contradicentes, & tumultuantes ad obedientiam reduxit. Cum Albertus Marchio Brandenburgenſis, Archiepiſcopus Moguntinus, Vlricus comes Wirtenbergenſis, Dux Veldenſis, comites Leiningenſes & alij fædere iuncti contra Fridericũ mouentes, omnia hoſtiliter agerent, ad ſui defenſionem conſcripto exercitu Schauenburgenſem arcem firimiſsimam obſedit, & occupauit. Cum verò non quieſcerent aduerſarij, eos commiſſo prælio propè oppidum Pfedershaim cecidit, & aliquot comites capti ſunr. Cum Pius Quartus Pontifex Theodoricum Iſenbergenſem, Archiepiſcopum Moguntium electum ob certas aliquot prętenſiones depoſuiſſet, & in eius locum Adolphum Naſſouienſem comitem ſubſtituiſſet, iamq; Adolpho contra Theodoricum aliquot Principes adhęrerent, Fridericus Theodorici partes tuendas ſuſcepit. Conſcripto igitur hinc indè exercitu, & commiſſa pugna Fridericus victor euaſit. Capti ſunt Epiſcopus Metenſis, Carolus Marchio Badenſis, & Vdalricus comes VVirtenbergenſis, & cum his tota ferè eorum nobilitas, qui omnes cum triumpho ducti ſunt in arcem Haidelbergenſem, ibiq; ad annum propè ſeruati, donec tandem legibus, quas victor voluit, acceptis, & perſoluto lytro relaxati ſunt. Spirenſis vero Præſul vnus etiam ex confœderatis, qui prælio non interſuit, Epiſcopatum Friderici Cancellario cedere, Rodembergam quoq; ciuitatem cum arce tradere compulſus eſt, & ſic in gratiam redijt. Contra Ludouicum Ducem Veldenſem in ipſum Fridericum ex mandato Cæſaris proficiſcentem, ſolus ſine vllo alio auxilio, comparato exercitu, comitante filio ſuo Philippo expedirionem ſuſcipiens Arnhemium præcipuum Ludouici propugnaculum, Lankheimium expugnatu difficilimũ, Dorkheimium, Leiningenſium fortiſsimas ciuitates, Sibernhaim, Glomershaim, Monzichium, Nerphannum, Burkbekelhaimium, & VValdbekelheimium &c. cum plurimis alijs oppidis, & arcibus vì expugnata, deditione recepta, & aliquot incenſa dirutaq; ſunt, ita vt Ludouicus Dux Veldenſis quaſi toto ſuo dominio exutus fuerit. Reconciliatio tandem & pax facta eſt, cum Fridericus pauca, quæ iure belli acquiſierat, tàm Ludouico, quàm comitibus Leiningenſibus ex tranſactione reſtituiſſet. Tandem ſopitis tumultibus bellicis, cum Palatinatum egregiè auxiſſet, Philippo filio adoptiuo totius territorij ſui hęrede inſtituto obiit Haidelbergæ XII. Decembris, Anno M. CCCC. LXXVII. ætatis LI. Sepultus in Cœnobio fratrum Minorum. Sepulchro ſuo inſcripta ſunt hæc verba: Fridericus Dux Bauariæ, Salus patriæ, Prædonum fulmen, Tres illuſtres hoſtes vicit, Principatum auxit, & piè è viuis exceſsit. Fuit eius vitæ ſocia virtus, gloria mortis comes. Heros magnanimus imperterritus & inexpugnabilis.


Grata quies animo, sed sicubi bella uocarent,
Fortia pro patriæ finibus arma tulit.
Cæsaris agnati natum quod prole careret
Hæredem unius fecerat ipse sibi.

SIGISMVNDVS
ARCHIDVX AVSTRIÆ.

SIGISMVNDVS Archidux Auſtriæ, Comes Tirolis, patrem habuit Fridericum Seniorem, matrem, Annam Brunſuicenſem, fuitq; Friderici Quarti Imperaroris frater patruelis. Sub cuius tutela, cum prius Prouincialibus diplomate cauiſſet quarto poſt anno ſe ipſis principem tutela exemptum reſtituturum, fuit. Cum verò Fridericus Cęſar vltra conſtitutum tempus reſignationem tutelæ, & reſtitutionem cunctaretur, Prouinciales quoq; tumultuosè, dominum, & Principē ſuum expeterent, ex arbitrio Alberti Marchionis Brandenburgici ſublata eſt quæ de Sigiſmundi hæreditate paterna inter Fridericum Cæſarem, eiusq; fratrem Albertum, & Tyrolenſes interceſſerat diſceptatio, & Sigiſmundus tutela exemptus, Prouinciæ ſuæ gubernacula ſuſcepit, inducta omnium iniuriarum, & incommodorū obliuione, venia ſubditis promiſſa, & vtriuſq; principis fide confirmata. Arma in Heluctios mouens, ea recuperare voluit, quæ patri à Sigiſmundo Imperatore olim proſcripto erepta ab ipſis erant. Cùm verò bellum illud arduum imprimis eſſe videret, vt Carolum Burgundiæ potentiſsimū ea tempeſtate Principem cum Heluetiis committeret, pleraſq; ditiones illi pignori dedit, acceptis octuaginta aureorum millibus. Præfecto autem Caroli Ducis Hagenbachio ſubditos maximis iniurijs vexante, illi ad Sigiſmundi legitimi domini fidem cōfugiunt, ſupplicantq; vti ſeſe iniuſtæ eius tyrannidi eripiat, Sigiſmundus iuſtis ſuarum præcibus motus, pecuniæ ſummam à Carolo mutuo acceptam numerare paratus, ditiones pignori datas repetijt, & tergiuerſantibus Caroli præfectis apud Baſileenſes depoſuit. Heluetij nonnulli conuentu Conſtantiæ edicto, pacem cum Sigiſmundo, & fœdus denuò fecerunt. Igitur Sigiſmundus Hagenbachio iam à Briſaccenſibus in carcerem coniecto, qui poſtea accuſatus, & conuictus capite pœnas luit, accepto ab Heluetijs milite, omnes ſuas ditiones pecunia nō ſoluta nullo ferè negotio recepit; vbiq; enim non vti dominus, ſed vt pater accipiebatur. Poſt mortem Iohannis Epiſcopi Brixinenſis, canonici concordibus votis annuente quoque Sigiſmundo Leonardum VViſmair canonicum Brixinenſem prædicti Sigiſmundi intimum conſiliarium & cancellarium elegerunr, hunc cōfirmare nolens Summus Pontifex, illis Nicolaum Cuſanum Cardinalem virum eximiè doctum Epiſcopum dedit. Huic Sigiſmundus arcem Tauffers cum ſubiecta ditione oppignorauerat, cum verò ſe inuito factum eſſe Epiſcopum princeps non concoqueret, ac aliæ offenſiones quotidiè orirentur, erupit tādem in apertū odium ſimultas, & Sigiſmundus coacto milite captum Cuſanum in oppido Brunegga Oenipontem duxit, & aliquandiu in cuſtodia habuit. Ob quam rem Pontifex Sigiſmūdo ſacrorum vſu interdixit, multæq; ex eo turbę extitêre, quibus indies gliſcentibus, Pontifex Heluetios in arma contra Sigiſmundum excitauit. Hi quidem nulla priuata cauſa incitati, ſegnius negotium adminiſtrabāt, ſoli Bernardus, & Vigilius Gradleri tunc temporis Egliſouij domini antiquam cum eo ſimultatem habebant, à quo pulſi Tigurinorum in patrocinio erant, igitur ab ipſis adiuri Fuſſacum arcem expugnarunt, cumq; Vitodurum oppidum fruſtra tentaſſent, maiori militum manu, aduenientibus cæterorum quoq; Heluetiorum auxiliis oppidum denuò obſidione cinxerunt, in oppido erant duo & quinquaginta viri nobiles, & præſidium militum non cōremnendum, hiſq; ſtrenuè ſe gerentibus, hoſtes obſidionem ſoluere coacti. Sigiſmundus cum nihil de ſuo iure remittere, neq; Pontifici ſupplex fieri vellet, Pontifex contra dignitatem ſuam eſſe contendit, non agnoſcentem crimen & veniam petentem cenſura abſoluere. Ne igitur maius aliquod incommodum ex ea re oriretur, Fridericus Cæſar intercedens eô negotium adduxit, vti Sigiſmundus cum Cuſano prius in gratiam rediret. Eo non multo pòſt vita functo, Pontifex Epiſcopo Lauentino negotium dedit Sigiſmundum abſoluendi. Cum aliquot annis diſceptatum eſſer inter Ripenſes Benaci lacus accolas, & Arculanos regulos, quorum ſub Sigiſmundi fide hi, ſub Venetorum illi erant, neq; dum per legator ea lis componi poſſet, ac iam ad arma deuentum eſſet, Atheſini per agrum Tridentinum irrumpentes, Roboretum oppidum tormentis concuſſerunt. Veneti ad hunc nuntium copias conſcripſerunt, quibus Robertum Sanſeuerinatem excelſi nominis ducem præfecerunt. Cum autem Germani acrirer obſidionem vrgerent, & præcluſis vndiquaq; viarū anguſtiis nemo ſubuenire obſeſsis poſſet, oppidum cum arce occupatum eſt, & Veneti ponte per Atheſim facto omnem exercitum traiecerunt. Non multò poſt Germani propè Rupacionem inopinato metu hoſtem adorti multos ceciderunt, & Anronium Mariam Roberti filium ceperunt. Cum autem milites in oppido Roboretano non numerato ſtipendio tumultuarentur, & præfectus arce incenſa Tridentum rediiſſet, Sanſeuerinus recepto cum arce oppido Tridentum recta duxit. Sigiſmundus Archidux cognito amicæ ciuitatis periculo, laborantibus Tridentinis opem tulit, exercitumq; miſit, cui Fridericum Kaplerum virum in rebus caſtrenſibus verſatum præfecit, qui exploratis hoſtium conſilijs, eos ex compoſito repentè adoritur, & perterritos primo cōgreſſu fudit, fugientes in aquam quaſi cæci delapſi, & alij dum cunctantur in ripis oppreſsi obtruncati ſunt. Tum Robertus Sanſeuerinus dum in tanto diſcrimine ſuos à fuga in prœliū reuocaret, hortareturq;, vrgente ſuorum turba in flumen eques detruſus eſt, qui vorticibus correptus in vndis interiit. Vxores habuit Sigiſmundus duas Leonoram Iacobi Scotorum Regis, & Catharinam Alberti Saxoniæ Ducis filias, ex quibus nulla prole auctus, Maximiliauum Friderici quarti Imperatoris filium omnium ſuarum Prouinciarum hæredem inſtituit. Obiit anno M. CCCC. ICVII. Sepultus in Monaſterio Stamſenſi. Princeps fuit placidus, & pacis quā belli amantior, manſuetus, iuſtitiæ ac doctrinæ amator.



OCTAVIVS
FARNESIVS PARMÆ DVX.

OCTAVIVS FARNESIVS Parmæ & Placentiæ Dux, Aurei Velleris Eques, ex ſplendidiſsima Romanorom Herôum multis maiorum illuſtribus titulis clara progenie ortus eſt. Auguſtiſsimo Imperatori Carolo Quinto adeô charus & coniunctus fuit, vt vix annos adoleſcentiæ attingens, Margaritham Cæſaris filiam matrimonio ſibi copulatam habuerit. Eam ætatem optimis diſciplinis, ac ſuauiſsimis moribus ita excultam oſtendit, vt non coniecturis ſed certiſsimis documentis magnum futurum Principem quiuis facillimè affirmare poſſet, nec opinionem hominum feſellit. Cum enim illum gloriæ generoſa cupiditas iam inceſſeret, virtutiſque auitæ ſemina ſeſe diutius in ipſo continere non poſſent, quin ſe exercerent, Carolum Socerum ad bellum, quod infeliciſsimum ad Iuliam Cæſaream in Africa aduerſus Turcam tentatum ſequeretur, vt ſcilicet tanto ſub Duce prima militiæ rudimenta poneret. Quamuis etiam tanquam iuuentutis Princeps in Romana vrbe Paulo Tertio Farneſio Pontificatum tenente, imperio quodamodò potiretur, nulla tamen dominandi libido, non delitiæ, non voluptates vllæ eum retinere potuerunt, quo minus laborioſum virtutis iter ingrederetur. Illo bello in maxima Chriſtianorum clade, maximiſq; propriis incommodis, aduerſę & ſæuientis fortunę vim atq; impetum tanta animi magnitudine, & tanta in rerum omnium inopia alacritate perpeſſus eſt, vt omnium in ſe vnum oculos animoſq; conuerterit. Bello deindè periculoſo, quod Carolus Cæſar contra Germaniæ aliquot confæderaros Principes glorioſiſsimè confecit interſuit, in quo Octauius Pontificij exercitus Imperator conſtitutus, quale heroicæ virtutis ſpecimen prę ſe tulerit, omnibus qui tùm interſuerunt teſtatum reliquit. Ab eodē verò Auguſto Cæſare, ob egregia & corporis, & animi òrnamenta Aurei Velleris equeſtri dignitate maximo cum honore inſignitus fuit. Defuncto patre Aloyſio, occupataq; huic Placentia, Ducatus quem vocant gubernacula ſuſcepit, ac Sacræ Romanæ Eccleſiæ Vexilliferum perpetuum Summus Pontifex eum deſignauit. Nec ſilentio prætereunda incredibilis ipſius animi magnitudo, qui quamuis in turbidis, & prorſus aduerſis tēporibus ab omnibus deſtitutus eſſet, amiſſo patre, Placentia nouo Imperio ſubiecta, Paulo Pontifice agnato deſuncto, Caſtri dominio in alienam poteſtatē redacto, Nouaria omnibusq; ditionibus quas in Regno Neapolitano obtinebat ſibi ademptis, ſolam Parmam, quæ in fide officioq; permanſerat poſsideret, videretq; Iulium Tertiū Pontificem, nec non Carolum Imperatorem longè potentiſsimum conſociatis armis in ſe vnum maximo impetu properantes, nullo metu perculſus Oratori Cæſareo tunc ſibi perſuadere conanti, vt accepta vrbium commutatione Parmam relinqueret, tanto armorum apparatu non expectato: Reſpondit, veniat Carolus ſocer ille meus & educator, quem ſemper inſtar numinis ferè ſuſpexi, portet flammas & arma, modò eius innata benignitas erga me adeò eſt immutata, Parmenſibus meis, qui omnem ſpem in me vno poſitam habent nuſquam deero, Parmenſium pectoribus pectus hoc erit propugnaculum. Quod ſi nihil aliud proficiam, ac certè id vnum aſſequar, vt agnoſcat Cæſar, ea me exempla & pręcepta, quæ de re militari mihi quondam adoleſcenti tradebat, vt ex ſe virtutem verumque laborem addiſcerem memoriæ mandaſſe, & me diſciplina ſua non indignum alumnum habuiſſe experiatur. Magnanimi certè ac prudentiſsimi Ducis verba, quę quamuis Cæſaris minas nihil penitus horrere præ ſe ferrent, eius tamen dignitatem adeò ſeruabant, vt non modò non haberet Imperator illi tunc malè affectus, vndè iram acueret, ſed potiùs vndè poſitis armis eum complecteretur & foueret. Exercitus è veſtigio vtrinq; lectiſsimus ac potentiſsimus aduolat, ijs maximè ducibus, qui Imperatoria laude excellebant. Octauius autem obſeſſus, cōſilio & manu ita ſe geſsit, vt vrbem aggeribus hoſtium vndiq; circumſeptam per integrum & amplius annum feliciter tutatus ſit. Pontifex autem & Cæſar detectis poſtremò & cognitis eorū inſidijs, qui ſynceram Octauij fidē mira calliditate & aſtu apud ipſos obſcurauerant, paterna beneuolentia eum loco filij receperunt, ſuoſq; duces cum vniuerſo exercitu ab obſidione reuocârunt. Qui relictis repentè caſtris & munitionibus Parmam liberam, Octauio verò & légitimo eius domino relaxârunt, agro quidē Parmenſi immaniſsimè deuaſtato. Quem felicem euentum aliarum quoq; vrbium & ditionum reſtitutio eſt ſubſecuta. Recuperata verò Placentia, ac pro Hiſpaniarum Rege aduerſus Ferrarienſem Ducem Imperator delectus, quanta prudentia ac rerum omnium vſu valuerit, ipſi hoſtes vt faterentur compulſi ſunt. Inita poſtea pace inter Catholicum & Chriſtianiſsmum Reges, ipſe Octauius pariter ad pacis ſtudia ſe contulit, ac ciuitates ſuas, quas penè ſitu obrutas, atq; bellorum tumultibus defædatas acceperat, ita reſtituit, adornauit, auxit & amplificauit, vt inter cæteras Italiæ vrbes conſpicuas reddiderit. Juſtitia autem conſtantiſq; animi fide talem ſe demonſtrauit, vt maleuolorum obtrectationes cōfringens arcem Placentiæ ſibi reſtitui meruerit. Liberalibus artibus, egregijs ingenijs, & doctis hominibus mirificè fauit, & naturæ admirabili quodam ac propèmodum diuino munere affabilitatis præditus, omnium hominum mentes, ſibi firmiſsimo atq; perpetui amoris vinculo, & canſtanti reuerentia obſtrinxit. Gloria demum domi militiæq; parta contentus, filium vnicum ex eadem Margaretha ſuſceptum Alexandrum ſucceſſorem relinquens anno ætatis ſuæ Sexageſimo tertio, duodecimo Calendis Octobris, Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo ſexto Parmæ piis cunctis & ſubditis vniuerſis eum impensè deſiderantibus mortuus eſt.



SEBASTIANVS
VENERIVS VENETIARVM DVX.

SEBASTIANVS ex nobilissimæ apud Venetos
familiæ stirpe anno salutis M. CD. XCVI. editus na-
talem habuit xij. Kal. Ianuarij. A legitima obeundis hono-
ribus ad grauiorem vsq; obitorum munerum ætatem fidem,
spemq; de sua virtute conceptam totam apud ciues suos cumu-
latè ita compleuit, vt propter spectatæ fidei summam rerum gerendarum prudentiam con-
iunctam maiora semper atq; ampliora promeruerit, ac domi, forisq; Reipublicæ vtilissimus iu-
dicatus per omnes magistratus decucurrerit. Communitatis enim tertiùm fuit aduocatus. Cretam
rexit, multis vicibus in eorum, qui continentis sapientes, & magni consiliarij appellantur, ordine cla-
rus eminuit. Senator allectus, Patribus conscriptis mutuam nauauit operam. Tribunatum prędidij Bri-
xiensis gessit. Præturam administrauit Veronensem. Tunc Athesis in eam altitudinem Veronæ accre-
uit, vt vndæ in suburbio Diui Zenonis domorum culmina adęquârint, & nisi eius diligentia cautum fo-
ret, maior vrbis pars inundatione interiisset. Confinia Veneta moderatum, generali Cypri, Corcyræq; cura-
tione functum, procuratoremq; Diui Marci factum, suffragantium ciuium consensus eo tempore ad maris
præfecturam euexit, quo Pontifex Maximus, Pius Quintus, & Philippus Secundus Hispaniarum Rex con-
tra Selymum Secundum, abrupta vetere pace, Cypri regnum summa vi adortum auspicato fædere conso-
ciatis classibus, & armis defendendos, ac hostis classem excidendam susceperant. Ex Creta in Cyprum naui-
gans cum tribus triremibus in mari Ægæo Andrum insulam, & alia loca occupauit, vt quosdam caperet, ex
quibus Turcarum consilia, & studia cognosceret. Dum autem Corcyræ præfuit, Acroceraunij fidos nuncios
ad eum miserunt, & arcis Chimeræ deditionem polliciti sunt, in qua erant milites trecenti, ea tamen lege,
si ipsemet cum pedestribus copiis præstò ibi adesset, & naues aliquas vel triremes ea parte, quæ sinu Am-
bracio alluitur, ad eos mittendos curaret. Vt verò illius animum omni hæsitatione sublata magis magisque
confirmarent, nonnullos obsides ei destinârunt. Venerius igitur conditione accepta, illùc aduenit cum ali-
quot cohortib⁹, & turmis equitum (numerus ad tria millia militũ fuisse dicitur) & duabus nauibus rostratis
moxq; Acroceraunij se circiter mille adiunxêre, quibus extemplò armatis, arcem adortus est, colleq; ab ipsis,
& Græcis velitibus occupato, præsidium, quod ab eis haud procul iam aderat, strenuè repulerunt. Itaq; mæ-
nium defensores ab hoste circumsessi, destitutiq; omni spe se in proximam ibi vallem demiserunt, quos in
secuti Veneriani partem interfecerunt, partem ceperunt, atque ita breui temporis spacio arcem alioqui mu-
nitissimam in potestatem citra cruorem redactam victor valido præsidio firmans abijt. In pugna nauali ad
Echinadas Venerius licet grandæuus, ac senio confectus, totus niueis armis conspicuus, clypeo ac ense ho-
stilem impetum fortissimè reprimens omni ex parte suspiciendum se omnibus intuentibus exhibuit. Ho-
in prælio nunquam suo muneri defuit, dum aciem disposuit, singula prospexit, suos hortatus rogauit, vt
meminissent se contra perpetuos, atque acerbissimos Christiani nominis, & perfidissimos hostes pro fide,
patria, parentibus, vxoribus, liberis, fortunis pugnare, & sic graui oratione, suaq; venerabili canicie militum
animos ad dimicandum inflammauit. In hoc conflictu Ioannis Austrij Regiam triremem mediam ab Haly
Bassa occupatam liberauit, & illi auxilio fuit, vt Selymiana Austrius potitus sit. Cum sua prętoria tres hostiles
rostratas cepit, sagitta exterius femur se læsum dissimulauit, donec sauciorũ vulnera fuerint curata. Posteaq;
obtenta victoria Ioannes Austrius, & Marcus Antonius Columna cum classibus se Messanã recepissent, Ve-
nerius, classe sua refecta, statim triginta naues rostratas cum sex millibus bellatorum ex Italis, & Epirotis cõ-
stantium ad oppugnandum arcem in Epiro sitam, & Margaritam ab incolis vocatam, misit, his Paulo Ior-
dano Vrsino præfecto. Qui, illa sex minoribus tormentis quassata, acri obsidione instans, compositione po-
titus est. Hinc Venerij Venetias reuersuri consilia conatusq; subsecuta est Sybotæ recuperatio. Cum igitur
domi militiæque suas in Republica partes eximia cum moderatione, dexteritate, fortitudine, sapientia sem-
per impleuisset, perpetuo tenore gratiosus apud populum, maximeq; probatus apud proceres esset, ac pa-
triæ commodis integra fide propensissimè studuisset, vniuersa ciuitas constanti iudicio ei summam in Rep.
dignitatem destinauit. Quod principe ipso creato, quem præter arma alioquin trabea pellibus nobiliori-
bus suffulta cum scipione amictum eius effigies repræsentat euenit. Virtutibus actibusq; ad exemplũ
vixit integerrimus. Diuinitus quasi ostensum est, quàm Deo charus fuerit ab eo electu, vt administer
felicissimæ naualis pugnæ circa Echinadas cõmissæ esset, quoniam duos menses in sarcophago Mu-
rani, vbi conditus est, & in ęde Sanctorum Angelorum inhumatus iacens, nulla putredine corru-
ptus sit, nec vllum marcoris signum visum, sed albus, morbidusque apparuerit, nec membra
obriguerint, sed vti libuit, brachia moueri, & in pugnum manus flecti potuerint.

Fato concessit anna ætatis Septuagesimo quinto, redemptionis hu-
manæ M. D. LXXVIII. V. Non. Martias.



STEPHANVS
BATHOREVS POLONIÆ REX.

STephanus Bathoreus Rex Poloniæ, Stephano Palatino ex Schomloniana ſamilia ſub Iohanne Zapolio Tranſſyluaniæ Dynaſta, poſteà Solymanni conceſsione fiduciario Hungariæ Rege, matre Anna Thelegdia, anno Milleſimo Quingenteſimo Decimo tertio, quarto Calendas Octobris natus. In pueritia bonarum litterarum ſtudia ſub doctiſsimis prudentiſsimisq; inſtitutorib⁹ domi attigit. Adoleſcentiam in aula Ferdinandi Imperatoris, ſimul Hungariæ, & Bohemię Regis agens reliquis victus amictusq; ſplendore prænituit. Ad maturiorem ætatem perueniens, & ardore militiæ accenſus, totum ſe Marti conſecrauit, inq; bellis Hungariæ ciuilibus prima rudimenta poſuit, in quibus candentes globos nouum incendiorũ genus omnibus aliis pręſtantius inuenit, & inſtituit. A Ioanne Sigiſmundo Principe Tranſſyluaniæ primum ad Ferdinandum, & Maximilianum filium, Imperatores, iterũ ad Maximilianum ſolùm legatus miſſus eſt, quas legationes ita prudẽter grauiterq; ſubiuit, ac expediuit, vt ob ſingularem prudentiam, & dexteritatem omnibus admirationi fuerit. In ſecunda tamen ob turbatas eo abſente pacis conditiones captus, vltraq; biennium in cuſtodia habitus, totum id tempus optimarum artium ſtudiis, antiquorumq; omnis generis authorum lectionibus tranſmiſit. Poſt mortem Iohannis Sigiſmundi Principis Tranſſyluaniæ, Caſpari Bekheſio, quem Ioannes Princeps ſucceſſorem ſibi deſtinârat, popularium ſtudiis pręlatus, ad eum honorem aſſcitus fuit. Beckheſium res nouas molientem eiecit, iterumq; ad Maximilianum Imperatorem profectum, ac præſidiis ex arcibus Hungaricis ditionis Cæſareæ deductis Tranſſyluaniam inuadentẽ ſudit & ſugauit. Non multo deinde tempore interiecto, poſt diſceſſum Henrici Valeſij Poloniæ Regis ad capeſſendam ob mortem fratris Caroli Noni Regni Gallici coronam, maiorem rerum materiam fortuna ſtruente, ab ordinibus Regni Poloniæ in duàs partes diuiſis, vna Maximilianũ Cæſarem eligente, ab altera in Regnum vocatus fuit. Quod mox, vt nunciatum erat, ingreſſus, celeritate ex incerto certum ſibi fecit. Maximarum diſcordiarum ſemina primo aduentu oppreſsit, Rempublicam maleuolorum hominum conſilijs labeſactatam, & propè conuulſam, ex turbatiſsima tranquilliſsimam reddidit, læſæ Maieſtatis perduellionisq; reos ſupplicijs affecit, præſidiumq; aduerſæ partis ex Landskoruna ejecit. Gedanenſes obſtinatiores, & iuſſa detrectantes, primum prælio Derſauienſi, deindè aliquot menſiũ obſidione ad officiũm reduxit. Comitijs inde Varſouiam indictis, iudicia à nobilitate interregni tempore ſine certo ordine ac ratione vſurpata firmauit, conſilio ac prudentia certis legibus circumſcripſit. Jiſdem Comitijs bellum contra Iohannem Baſilij filium Magnum Moſcouię Ducem ab ordinibus decretum ſuſcepit, cui ob crudeliſsimam tyrannidem, & Liuoniam excurſionibus miſerè vaſtatam bellum per nobilem quendam Polonum litteris nudo acinaci appenſis bellum indixit, & per triennium ita fortiter, ac egregiè geſsit, vt Moſchum primo anno Polotia, Sokola, Suſza, Kraſna, Vſuita, Sitna, Iezieriſcia, Icoſiano, Noſierda, totoq; Ducatu Polotienſi, altero Lukiſa, Neuela, Zauolocia, agroq; Lukano vniuerſo exueret, tertio, Oſtrouia primũ capta, Pleſcouiam per iniquiſsimum anni tempus eôusq; obſideret, donec ad pacem petendam, cedendamq; Liuoniam vniuerſam, Ducatum Polotienſem, ac territorium Vieliſienſe potentiſsimum hoſtem adigeret, ac quæ ille triginta ferè annorum ſpatio maximo cum ſuorum ſanguine ac labore vix ſibi pepererat, hic triennali bello recuperaret, omnium cùm externorum, tùm domeſticorum hoſtium partim armis, partim clementia ac iuſtitia victor. His victoriis potitus, Vilnam ouans ſpolijs onuſtusq; opimis ingreſſus, à clero populoque arcu triumphali erecto, honorificentiſsimè, & ſummo cum applauſu exceptus eſt, vbi etiam Turcieos & Scythicos legatos audiuit. In Liuonia ſtabilem Reipublicæ formam reſtituit. Vectigalia auxit. Gedanenſes & Rigenſes ad pendendum portorium compulit. Mahometum primùm, deindè Aſchlanum Tartaros Regno imminentes terruit, & ad mittendam legationem coegit, Podoliamque eorum depopulationibus obnoxiam pacauit. Arces multas in Lithuania & Liuonia reſtaurauit. Craccouiæ, Vilnæ, Lublini, Claudiopoli, templa & gymnaſia partim fundauit, partim locupletauit. Rigenſes pernitioſas res machinantes in ordinem redegit. A Sueco per legationem Naruam aliaque Liuoniæ oppida & arces repetijt. Jànculam Valachia eiecit, captumque ſupremo ſupplicio affecit. Tandem cum ex venationibus Grodnam reuerſus eſſet, atque ex magnis illarum regionum frigoribus morbum contraxiſſet, paucis pòſt diebus obiit, anno Millleſimo Quingenteſimo Octuageſimo ſexto, ætatis Quinquageſimo quarto, cum regnâſſet annos decem & menſes ſeptem.

Vxor Anna filia Sigiſmundi Regis Poloniæ ſterilis. Rex longiore vita dignus, pius, ſapiens, amans Reipublicæ, doctus, iuſtus, ſortis, manſuetus, ſrugalis, temperans, & comis. Quæ virtutes omnes in eo eluxerunt, & quantò plura laudari tantò pauciora reprehendi potuerunt.



SOLYMANNVS
TVRCARVM IMPERATOR.

SOlymannus Turcarum Sultanus Selymi primi ex Bosphotani Regis filia Tartarotum stirpis vnicus filius, anno M.D. nascitur, moderatorem habuit inpueritia Pirrhum Bassam Cilicem virum prudentissimum. Statim in principio sui regiminis per Ferhatem Bassam Gazellem Syriæ præfectum apud Damascum profligauit, & Syriam in potestatem suam redegit. Posthæc secundo imperij sui anno in Pannoniam arma sua conuertit, & Belgradum adortus expugnauit, cum anteà frustra tentata oppugnatione Amutathes auus, & proauus Mahometes magnis acceptis detrimentis indè repulsi re infecta discesserint. Posthanc victoriam Rhodum obsidione cinxit, quam dediditione cepit, & pacta conuentaq; cum Rhodiis fideliter seruauit. Hungariam denuò adortus, Ludouicum secundum Hungarorum & Bohemiæ Regem fudit, qui in eo prælio interiit. Budam captam diripuit. Euboeam insulam infestis copiis nemine impetum eius sustinente petiit, & tractum illum vniuersum occupauit. Calenderium Zelibini in Anatolia seditiosum vicit & oppressit. Contendentibus de successione in Regno Hungarię Ferdinando Austriaco, & Iohanne Scepusio, iterum in Hungariam irruens, eodem Iohanne Transsyluaniæ præfecto occurrente, & supplice Rege Hungariæ constituto. Viennam Austriæ grauiter obsidione cinxit, quàm tamen spe potiundę vrbis abiecta soluit, sexaginta hominum millibus & amplius in oppugnatione amissis. Conscripto rursus exercitu Canstantinopoli egressus, in Hungaria Gunzam arcem, & oppidum frustra tentauit, propugnante fortiter Nicolao Iurischitio, & in Styriam vsq; excursiones faciens, cum à Carolo Quinto Imperatore castris omnibus Viennam positis expectaretur, cõsilio mutato Byzantium remigrauit In Techmasium Persarum Regem ducens, Babilonia & Assyria potitus, Taurisio occupato & direpto ingenti clade affectus, domum ad regiam in Thraciam rediit. Corcyram ditionis Venetæ, Zachyntum & Cytheram Solymannus depopulatus, Agniam expugnauit, Pharon cepit, Naxum tributariam fecit. Tyrheni Maris oram totam in Apulia per Hariadenum deprædatus est, Moldauiam, cum Vaiuoda in apertum non prodiret dedentibus se in colis sibi subiecit. Castellum nouum oppidum Illyrici in Sinu Adriatico à Cæsarianis occupatum, pet Hariadenum Barbarossam recepit, qui cum Andrea Doria feliciter nauale prælium conseruit. Venetorum in Peloponeso ciuitates suæ ditionis fecit. In Hungariam præmisso Mehemete Bassa exercitum ducens, viduam Iohannis Scepusij Regno Hungariæ præesse indignum existimans, in Transsyluaniam cum filio puero destinauit. Budam occupauit, atq; præsidium sub Mehemete imposuit, Perenij arces recepit. Sauo flumine ponte traiecto Amurathem Dalmatam, Vlamonemq; Persam ad expugnandam arcem Valponiam præmisit, qua dedita proximum fuit Soclosium oppidum, quod primo impetu captum, direptũ, & incensum fuit. Post è Buda cum vniuerso terrestri naualiq; exercitu ad expugnandum Strigonium contendit, illudq; obsedit, cuius occupationem direptionemq; Albæ Regalis deditio subsecuta. In Persiam iterum contendens, vt Ercassem Imirsam restitueret, Wanum & VVastum oppidum & arcem non sine labore expugnauit. Temesuarum, Lippam, Solimosum, Chianadiam, cum aliis castellis occupauit, Dregeliam arcem, Giarnatam. Setschinum, aliaque loca vicina sub iugum misit, Zolnokio præsidiariis vltro cedentibus potitus Agriam irrito conatu tentauit. A Persis iterum magno prælio victus est. Plumbinum & Ilua frustra obsessa. Per Tuigonem Bassam Budensem Caposuiuarij præsidiarios ad deditionem adegit, Babotza simili modo occupata. Zigethum tentato tunc fortiter defendẽtibus stationariis Budam rediit. Per Dragutum Tripolitanũ Sangiacum Carauennę Regem Maurum maiore sui Principatus parte priuauit Fillekium in superiori Hungaria per Carahalym Bassam Budensem in potestatem redacto, induciæ inter Ferdinandum & Solymanum factæ. Cum Ecelestæ Dux quæ Medina cœli dicitur Hispaniarum Regis legatus Menyngem insulam occupasset, Solymannus Duce Biali Bassa classem expediuit, qui Hispanicam maiori ex parte cæpit, Christianos trucidauit. & in captiuitatem Constantinopolim abduxit. Astutè fouit pattes Ioannis Sigismundi Scepusiensis Maximiliano bellum inferentis, apostatam Cibiniensem ad Maximilianum Imperatorem misit, qui eum ad pacem cum Transsyluano colendam exhortaretur. In Melitenses classem ducentarum quinquaginta triremium instruxit, Turcæ in Melytes descensione facta Sancti Hermetis castellum cæperunt, Sancti Michaelis arcem oppugnarunt Sed cum totos quatuor menses in hoc bello absumpissent, fugam fœdam arripuerunt. Biali Bassa ne nihil egisse videretur, Chium Aegei Maris insulam obtuit & subiugauit. Melytensis clades, & successus Maximiliani Imperatoris contra Iohannem Sigismundum Transsyluaniæ Principem Solymannum irritauerunt, qui in Hungariam cum exercitu iturus Bassæ Budensi commisit, vt Palotã obsideret, hic cum tormentis muros disiecisset, ac Georgius Thurius Hungarus vir magnanimus, & multis rebus strenuè gestis clarus fortiter defenderet, superuenientibus suppetiis, relictisq; papilionibus, & machinis profugus soluit obsidionem. Solymannus autem transito primum Sauo deindè Drauo ponte constructo cum ingenti exercitu ad subiugandas regni Hungariæ reliquias Zigethum adortus est, quod licet acerrimè propugnaretur à Nicolao comite Serinio præsidij præfecto, tandem expugnatũ fuit, ipso Comite cum multis Hungaris nobilibus interempto, cum triduò ante Solymannus ex disenteria animam exhalásset. Cadauer Constantinopolim vectum, ibiq; in monumento, quod ipse sib viuus extruxerat illatum est.



MEHEMETHES
SOKOLOGLIPASSA AZEMVIZIRIVS.

HAC capitis turbinati & candidiſſimæ bomby-
cinæ telæ cyclis epicyclisq́; inuoluti effigie repræſen-
tatur Mehemethes ille, cui à genere & gentilitio in Croa-
tiæ finibus vico Miti Sokolovvitſchij & Sokologlipaſſæ co-
gnomentum fuit. Hic graui, non tamen ferocem ſeueritatem
præſeferente vultu,conſtantibus ſine auſteriore obtutu , oculis compoſiti animi indicibus,
quadrato compactorum firmorumq́; membrorum habitu,robuſti atq; neruoſi corporis proceri-
tate conſpicuus,magna ingenij iudicijq́; vi bellicorum munerum adminiſtratorum , & amplifsimi
Othomanici imperij prudente & ſolerte moderatione apud omnes orbis Reges , Dynaſtas & Reſp:
clarifsimi ſui nominis famam extendit. Ad luculentas vberrimasq́; opes , & inter purpuratos Othoma-
nicæ aulæ ſenatores principem dignitatem, potentiamq́; conſcendit , & apud tres Turcarum Imperato-
res, Solymanum,Selymum II.& Amurathem III.vnicè belli & pacis, totq́; regnorum negotia ſapienter,
& ex illorũ rationibus commodiſsimè gerens, atq́; in honoris faſtigio collocatus eminentiſsimè peruiguit.
Puerum à parentibus ſacris deſtinatum Amurathes Sicenſis cum prædatoria manu incurrens, Cliſſà in po-
teſtatem redacta, monaſterio eripuit, ac Solymano inter alia munera Byzantium dono miſit. Receptus in-
ter ephæbos in regijs ſeptis adoleuit,Mahometanorum ſacrorum legibus imbutus, & in belli artibus erudi-
tus,per officiorum gradus ingenio & induſtriæ innitens aulæ militiæq́; munia obiuit,virtute impleuit.Eu-
ropæi equitatus antè magiſtrum , deinde inter purpuratos cooptatum ad vicarij dominatus culmen Soly-
manus , cùm prius eum plurimis beneficijs auxiſſet,euexit. Selymus II. ſocer à patre amplitudinis honori-
bus cumulatum confirmauit,& ſibi dignitate quaſi æquauit.Amurathes III. affinis propter toties ſpectatã
virtutem, fidem, prudentiam,ſagacitatem in conſilijs, conſtantiam,morum temperantiam,ſolicitudinem,
vigilantiam ad clauum relicto,ſummam imperij poteſtatem communicauit. Mehemetes æquo in expen-
dendis rebus iudicio Turcarum inſolentiã,duritiem,violentiamq́; moderabatur. Anteceſſoribus lenior, mã-
ſuetior,ad pacem,niſi quatenus belli neceſsitas poſceret pronior,omnibus illis fortuna ſuperior euaſit. Arri-
dens fortuna adeò ei ſuffragata eſt,vt eum cunctos gratia prętereuectũ herôum ſuorũ alius poſt aliũ elegerit,
cui ſummam rerum committeret , quam in eorum emolumentum dexteritate.& longo vſu comparata pru-
dentia oportunè rexit. Viziriorum nullus maiorem authoritatem poteſtatemq́; adeptus eſt , cuius vtriuſq;
ratione in immenſum poſt Haly Dalmatam ſigillo & ſcriniis potitus creuit , honoribus validum , & firmiſ-
ſima gratia omnes anteeuntẽ cuncti ordines poſt Imperatores obſeruantiſsimè colerent , tanquam imperij
latiſsimi conſortem quiſque domi & foris ſuſpiceret , ille ſibi quoſlibet ad officium obſequiumq́; paratos
adduxerit,tantò maior inſigniorque,quantò Turcicum Imperium,quod adminiſtrauit,ſub Solymano viri-
bus, opibus,victoriis potentius glorioſiusq́; extilit. Tertium inter purparatos tenens locum,orto inter So-
lymani filios Baiazethem & Selymum diſsidio , eum Solymanus pro officij monitore miſit. E qua legatio-
ne reuerſus, exardeſcente fraterno bello, Solymani iuſſu cum fidiſsimis prætorianorum in Aſiam iterum
abijt,& cum Selymo ac equitum Europæorum magiſtro profugum Baiazethem perſecutus eſt. Perpetuo fe-
licitatis tenore vtens , & muneris amplitudine florens è gratiæ fortunæq́; faſtigio nunquam præceps datus
eſt, vti alij,qui loco moti,aut vita priuati , vel facultatibus exuti in exilium relegati ſunt Multa quidem ſub-
dola , tectaq́; vafricie egit ,præcipuè cum Solymanum aduerſus Maximilianum II. Imperatorem incitauit,
vt ſeptimùm in Pannoniam mouerit,Sygethum obſederit,futurum haud falſò ratus,illum in ea expeditione
ſenij,valetudinis affectæ, itineris incommodis foris obiturum, Selymum ſucceſſorem,multo grauem abdo-
mine, inertem vitam per vinum, ſomnum , voluptates traducturum , nec in Imperij curas incubiturum,a-
deòq́; ſibi illius adminiſtrandi authoritatem ſtabilitum iri. Aſtutia profecit, vt, perocculte Solymani morte
celata à prætorianis Sygethum extrema vi occupatum,Regia Gaza,& caſtrorum uaſa non direpta,Selymus
ſine æmulo, fratribus ſublatis,ſolio potitus ad victorem exercitum expeditis itineribus pertigerit,Maximi-
lianus Auguſtus victoriam non obtinuerit,quam vtiq́; conſecutus eſſet , ſi detecta Solymani morte,Turci-
cus miles impotenti libidine & furore caſtra diripuiſſet. Muſtaphæ Selymi nutricio clàm(ſiquidẽ huic
ille , ſi patri ſuccederet,ſupremam inter purpuratos dignitatem promiſerat) infenſiſsimus fuit,cui Æ-
gypti pręfecto,quòd maturius Arabicos motus non compeſcuiſſet, negligentiæ inſimulato necem
machinatus. Byzantiũ tamen appulſo,& purgato,inter purpuratos allecto,ac Cyprium bellum, vt
Selymus,abrupta pace,in Venetos arma & claſſem ad proferendas vires,& ad extendendum im-
perium expediret,ſuadenti doloſè aſſenſus eſt, vt amoti ab aula æmuli metu ſe liberaret, ac ille
vel militiæ occumberet , vel conſilio dato infeliciter ſuccedente , & clade inflicta, ſupplicio
afficeretur Sed imperij continuationem cum vita amiſit,& dignitatis ſuę funeſtiſsimum
tulit exitum , interfectus à Deruiſio è ſecta facinoroſorum ſanctimoniam mentien-
tium tenebrionum audaciſsimo ſicario, qui longiuſculum enſem in eius ven-
trem adegit,anno noſtræ ſalutis M. D. XC VII.In huius theſauro præter
gemmas,& præcioſiſsimam ſupellectilem repertæ multorum millio-
num diuitiæ,quas Amurathes ſibi vendicans
ærariò ſuo applicuit.



IOANNES
ZAMOISKI.
MAGNVS CANCELLARIVS POLONIÆ.

IOANNES ZAMOISKI de Zamosczie eruditionis laude excellens, militari virtute, rebusq; domi, belloq; cum gloria gestis perillustris, natus est anno Millesimo Quingentesimo Quadragesimo secũdo, decima nona Martij patre Stanislao Zamoiski de Zamosczie Castellano Chelmense, Capitaneo Belsense, & Aulicarum copiarum præfecto, matre ex familia Herburtorum. In Galliam missus, vt inter purpura nitentes pueros Francisci Delphini Franciæ versaretur. Verum longè splendiori candore studia literarum visa sunt illi lucere, quapropter multa salute vitæ aulicæ dicta, toto animo ad liberalem, & dignam homine nobili doctrinã percipiendam se contulit, in quo ita breui excelluit, vt & in Gallia Parisijs, & in Jtalia Patauij consensus omniũ primas illi partes inter studiosos in omni literarũ, & artiũ genere deferret. Reditu in patirã suo, & opinionẽ, & expectationem, quam parens singularem de ipsius ingenio habebat vicit. Sigismundo Augusto ea tempestate Regni Poloniæ sceptra tenenti, optatissimus accidit adolescentis aduentus, qui ingenij ipsius vim, maturitatemq; iudicij perspiciens, eum primum in Cancellaria versari voluit, deindè in intimis habere, grauioraq; cõsilia committere, ad extremum illi Archiuum Regium, in quo priuilegia, iuraq; omnia Regni asseruantur à Rege mandatum, quod antiquitate confusum in ordinem redegit. Post obitum patris præfectura Belsensi ornatus est. Erat iam authoritate, & existimatione Zamoiscius apud omnes magna, itaq; decessu Augusti Regis bona pars nobilitatis cum eo sentiebat, & in Gallias ex autthoritate omnium ordinum vna cum alijs nobilibus viris ad Henricum Valesium creatum, & denunciatum Poloniæ Regem legatus missus est. Repentino discessu Henrici Regis, cum res ad interregnum redijsset, antiquissimam suis in consilijs patriæ charitatem habuit, Annam Sigismundi Iagellonis filiam Regio trono collocandam suasit & vt ea Principi Transsyluaniæ Stephano Bathoreo coniugio iungeretur non repugnauit. Qui cum ex Transsyluania in Poloniam venisset, primo congressu, atq; colloquio mirabiliter Zamoiscium adamauit, & cum multa eius ingenio, multa prudentiæ, multa literis tribueret, Vicecancellarium, & altero anno Cancellarium Regni creauit. Sedato Landscorunensi tumultu Rex ad pacandam Prussiam Gedanum profectus, cum belli consilia, pacis consilijs potiora Gedanenses duxissent, eruptionesq; identidem ex vrbe facerent, comperit Zamoiscium non in literis tantum, & toga, sed in armis etiam, & sago præstantem, primum aduersus erumpentes prodijsse, vltimum prælio excessisse, multum consilio, multum manu valere. Bello, quod cum Basilio magno Moschouiæ Duce gestum est, virtus eius singulariter enituit. Stephanus Rex Nicolao Melecio imperium militare administrante, cum Poloteum fortiter recepisset, sequenti anno eodem Melecio aduersa valetudine detento, & vltro se abdicante, partitis agminibus, octo circiter milia equitum, & peditum Zamoscio commisit. Is antegressus, viam densissimis syluis & plaudibus interclusam aperuit, Velisium arcem ad Dunam flumen omni apparatu præsidijsq; munitam cæpit. Oppugnationi Lucorum à Rege præfectus, arcem hanc munitissimam, & decem millium hominum præsidio instructam in potestatem redegit. Post Zauolotium diuertit, & hoc in lacu positum ac natura manuq; egregium propugnaculum expugnauit. Tertio post anno Rex ad Plescouiam profectus oppugnandam, summam totius exercitus ducendi regendiq; ad Zamoscium detulit, Capitaneumq; generalem Regni perpetuum creauit. Ostrouium arduo situ nobile ad dedendum se adegit. Relictus à Rege ad Plescouiæ oppugnationem continuandam, acerrima hyeme hostem vehementissimè adursit, intra mænia magna strage sæpè compulit, astus eius omnes sagacitate ingenij anteuertit, multis cladibus fracto, & metu amittendi totius imperij Moschouitici hoste perterrito, arbitratu, & legibus Stephani Regis sui pace facta, totã Liuoniam summa solertia recepit. Inde Rex eum affinitate sibi coniunxit, Griefeldi Christophori defuncti fratris sui Transsyluaniæ Principis filia illi in matrimonium collocata. Constituendorum Regni iudiciorum Regi autor potissimus, & grauissimus fuit. Summa in iure dicundo æquitate vtendo, ac vexationibus ciuitatibus liberatis, earum summa voluntate Regni etiam vectigalia auxit. Rege Stephano extincto, omnem vim suã eò contulit, ne cuiusq; opibus, & potentia libertas in deligendo nouo Rege opprimeretur. Itaq; cũ vniuersa Respublica sententiam suã in Sigismundum Ioannis Tertij Sueciæ Regis filium flecteret, ad eandem ipse sua suffragatione accesit. Cum autẽ propter contrarias partes turbæ orirentur, ex Senatus Ordinumq; omniũ iussu Cracouiam à partibus contrarijs fortiter defendit, & Regi creato defensam tradidit. Submota ad Cracouiam Poloni exercitus parte, ipse primus vt restitueret pugnam in hostem irruit, & eũ repulit, ac tormentis exuit. Partes contrarias iussus insequi, maxima celeritate vsus, ad Bicniæ oppidum consecutus eas, collatis signis dimicatum est, contraria acies fusa, & Dux partiũ in potestatem redactus est. Cũ Turcarum Jmperator statuisset Achmet Bassam Tehinensem Moldaniæ præficere, granis ea videbatur vicinitas Regno Poloniæ, & quod contra ius Regũ Poloniæ, contraq; iura conditionesq; pacis hoc fieret, Zamoiscius à Rege ex Senatus consilio mandatis acceptis, vt in Moldauia ita rem gereret, ne pacem cum Turca turbaret: profectus cum sex tantum circiter equitum & peditũ millibus, barbaricum illum conatum elusit, talem se aduersus barbarum præbuit, vt is multis suorum amissis, acceptis vltrò ab eo conditionibus, re infecta domũ Valachia discesserit, & Hieremias genere Valachus donatus iam ante ciuitate Polona prouinciæ præesset, quem prouinciales expetebant.



ALPHONSVS
SECVNDVS
FERRARIÆ DVX.

ALphonſus Secundus Ferrariæ, Mutinæ, & Rhegij Lepidi Dux Quintus, Scartrenſis Secundus, Marchio Ateſtinus, Princeps Carpi, Comes Rhodigij, & Giſoris, Dominus Comachij, Montananæ, & Romandiolæ, Hercule Ateſtino Tertio Ferrariæ Duce, & Renata, Ludouici Duodecimi Galliæ Regis filia progenitus prima rei militaris exercitia in Henrici Secundi Galliarum Regis contubernio fecit, cui circa annum humanæ redemptionis Milleſimum Quingenteſimum Quinquageſimum ſecundum centum equites haſtatos ex Italia adduxit, bellisq; omnibus, quæ eo tempore in Pedemontana regione gerebantur, interfuit, donec Senis à Caroli Quinti Imperatoris copijs obſeſsis biennio, poſtquam abierat, in Italiam rediret. Anno ſexto & Quinquageſimo iterum in Gallias ad Regem profectus, paulò pòſt cum Guiſiano Duce in Italiam reuerſus eſt, ibi patris militares vices gerens, Corregium, & Gaſtallam multis damnis incommodisq; affecit. Teſtam palicanam, & Albineam muniuit, ac hoſtium conſilia fecit irrita. Scandiano deindè ad inopiam adacto, in exercitum Parmenſis Principis armata manu irruit, cuius viribus imminutis, Gardaſonum, & Canoſſum cum alijs nonnullis locis vicinis expugnauit. Itaq; pace domi parta, ne in otio torpeſceret, iterum ad Galliarũ Regem ſe cõtulit. Anno ſupra Mille Quingentos Quinquageſimo nono patris obitu nunciato, in Italiam ad ſuos reuerſus, patriæ Dux ſolenni more creatus eſt. Anno deinde Sexageſimo quarto Carolum Nonum Galliarum Regem, ſequenti poſt Maximilianum ſecundum Imperatorem Viennam ibidem tùm temporis funeralia patri Ferdinando celebrantem adijt. Sexageſimo ſexto eidẽ Maximiliano Imperatori in Vngariam contra Turcam mouenti circiter quadringentos nobiles, & trecentos ſclopetarios perquam egregiè inſtructos ſuis ſumptibus adduxit, & caſtra in agro Iaurinenſi locata, quemadmodum aggeribus cingi deberent, conſilium dedit. Cum autem anno Septuageſimo primo Chriſtiani Principes fædus contra Turcam inirent, Alphonſus ſe, ſuasq; fortunas vltrò obtulit. Sequenti anno ſeditionem Vrbinatium contra ipſorum Ducem excitatam conſcripto milite extinxit. Anno Nonageſimo ſexto Turcarum Sultanus famam vulgauerat ſe cum numeroſo exercitu in Transſyluaniam profecturum, bellumq; ſuis auſpicijs coràm geſturum, & iam perhibebatur ſuam ſupellectilem Adrianopolim præmiſiſſe. Rudolphus igitur Imperator, cum hæc ab exploratoribus, & captiuorum confeſsionibus didiciſſet, ipſe quoq; qua potuit celeritate, & diligentia arma, auxilia, & pecuniam vndiq; in futurum bellum conquiſiuit. Decreuit Cæſar, & omnes Imperij ordines, vt Archidux Maximilianus exercitui ſummo cum imperio præeſſet. De Legato ſeu Vicario ei dando erat deliberatum. Tandem placuit, vt Dux Ferrarienſis Alphonſus eam prouinciam obiret, ea conditione, vt Italorum octo millia ſecum in Vngariam adduceret, eosq; ad tempus ſuis expenſis aleret. Ipſe enim hoc receperat, ſi Cæſar Ferrarienſis Ducatus beneficiarium ius poſt ſuum obitum in nepotes extendendùm pro eo à Pontifice Gregorio Decimo tertio impetraret, quod vehementer vrgebat. Antea enim anno Nonageſimo primo cum ſplendidiſsimo Baronum, nobiliumq; comitatu in vrbem ad Pontificem eadem de cauſa contenderat, à quo magnificentiſsimè exceptus, diebus quadraginta, quibus Romæ fuit, ſuis ſumptibus totam eius familiam aluit. Obtulit etiam Pontifici (vti fama fuit) tredecies centena millia aureorum ad exercitus Pontificij in Vngaria ſuſtentationem. Commiſit Pontifex negotium concilio tredecim Cardinalium, qui cum diploma Pij Quinti de non alienandis bonis Eccleſiæ Ferrarienſis petitioni contrarium recognoſceretur, admiſsis in concilium Ducis cauſidicis, de negotio Ferrarienſi diù multumq; diſſeruerunt. Cauſidici aſſeuerârunt diploma de ijs, quæ tunc erant deuoluta, non de ijs, quę adhuc deuoluêrentur intelligendum, inter quę erat Ferraria, Cardinales de deuolutis, & non de deuoluendis intelligendum cenſuerunt. Dum ſententia in ambiguo hæreret, ac Pontifex in congregatione Cardinalium eam cauſam ſe benignè deciſurum pollicitus eſſet, febri continua conflictatus non multum pòſt deceſsit, atque ſic re infecta Ferrarienſis domum abijt. Vxores habuit tres, Lucretiam Coſmi Florentiæ Ducis, Barbaram Ferdinandi Imperatoris, & Margaretam Gulielmi Mantuæ & Montisferrati Ducis filias, ex quibus nulla ſuſcepta prole, poſt mortem eius propter Ferrariæ Principatum inter Pontificem Clementem Octauum, & Cæſarem Ateſtinum belli motus obortus tranſactione conquieuit, & Ducatus Ferrarienſis ſedis Apoſtolicæ iuri ceſsit.



CAROLVS
ARCHIDVX AVSTRIÆ.

CAROLVS Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ,
& Carinthiæ, Carniolæ, &c. Comes Habſpurgi, & Tyrolis &c. Fer-
dinando primo Auguſto Romanorum Imperatore, nec non Hunga-
riæ Bohemiæq; Rege, & Anna Vladiſlai Hungariæ Bohemiæq; Regis fi-
lia parentibus Anno Milleſimo, Quingenteſimo Quadrageſimo, die ter-
tia Iunij Viennæ Auſtriæ natus, natura & liberali inſtitutione duabus quaſi alis ſubuectus amplisſi-
mum ad virtutum gloriam aditum, lenisſimumq; aſcenſum ſibi patefecit. Elucebat enim in illo etiam
tunc puero amabilis quædam egregiaq; virtutis indoles, quàm pater prudentisſimus conſpicatus, & ſin-
gulari illum amore complexus, ſumma diligentia educandum expoliendumq; curauit. Ea verò filius pa-
rentem obſeruantia coluit, vt non eſſet celeritas tanta ad iubendum, quanta obſequentis ad parendum
alacritas, prçibat exemplo pater, atque ad ſummum laudis faſtigium non ſe filio monitorem tantùm, ſed &
ducem præbebat, ille è veſtigio ſequebatur, vt quæ impreſſa pater reliquiſſet, continuò iiſdem veſtigijs pe-
dem imponeret. Ex quibus tam præclaris initiis quanta poſtmodum in Carolo Principe iam maturo lau-
dum virtutumq; ſeges fuerit ſecuta, omnibus iam pridem innotuit. De moribus quidem illud affirmari
poteſt, Principem hunc cum annum viceſimum attigiſſet, adeò ſuauisſimis & integerrimis fuiſſe, vt ho-
rum amænitate omnium animos facilè ad amorem ſui illiceret, integritate etiam excitatum ſemel ſui deſi-
derium mirifice tueretur. Temperantiæ modum fixosque modeſtiæ fines etiam inter ſummas delitiarum
occaſiones & tentationes nunquam tranſiluit. Prudentiæ ſuæ licet in illo ſumma reſidebat, haud nimium
tribuit, ſed ſi quædam negotia alicuius momenti ingenij ſublimitate diſſoluenda occurrebant, Senatorum
aliorumq; prudentum conſilia libenter patienterq; audiuit, nunquam vel in ſententia ſua retinenda per-
tinax, vel in aliorum conſiliis repudiandis ſuperbus viſus, æquius videlicet arbitratus, vt vnus ipſe plurium
præmeditatum ſequeretur conſilium, quam vt cæteri omnes ipſius vnius voluntati aſſentirent. Affabili-
tas verborum comitasq; incredibilis, quam in ſuo Cyro Xenophon laudat, Archiducis grauitatem ita tem-
perabat, vt & ipſorum Principum animi quibus cum verſaretur mirificè deuincerentur, nobilitatis ſubdi-
torumq; ſuorum gratia artificio optimo colligeretur. Nec minor rei militaris inſignis virtus in hoc Archi-
duce eluxit, fuit ſanè non tam pugnando pacis ſtudioſus, quàm vincendo belli cupidus, quod Turca imma-
nisſimus Chriſtiani nominis hoſtis non renui ſuo incommodo aliquoties expertus eſt. In hunc immodicè
Chriſtiani ſanguinis ſitientem & ſæuitia graſſantem, Chriſtianæ religionis zelo accenſus multo coacto mi-
lite irruit, cum longè vltrà Styriæ ac Carinthiæ fines profligauit, adeò, vt clades ſæpè grauisſimas infli-
xerit & aliquot interdum millia parua manu profligaret, hoſtisq; omnibus incaſſum tentatis nulla cum
laude domum redierit. Turcarum immanem exercitùm Carolopoli firmisſimo finium ſuorum propu-
gnaculo à ſe ædificato ſuoque nomini in omnem memoriæ æternitatem conſecraro non ſolùm propul-
ſauit, ſed ne facilè deinceps illud inuaderet, aut prælium conſereret deterruit, ſapienter animo verſans,
minus benè conſulere, rebusque gerendis minus aptiorem eſſe illum, qui cum longius hoſtem ſubmo-
uere poſsit, hunc tamen intra limen admittat. Lycæum amplisſimum conſtruxit, redditibus ditauit,
Academiæque priuilegiis cumulauit, virisque doctis commiſit. Hæc hiſtoriarum noſtri æui conditores,
quiq; pro rebus ab illuſtribus viris domi foriſq; præclarè geſtis ocio liberius fruuntur, amplificè celebrent,
nobis ſummo hæc digito attigiſſe ſufficiat. Coniugem habuit Mariam Alberti Boiorum Ducis filiam,
ex qua numeroſam vtriuſque ſexus prolem, ſed fœminea tanto feliciorem, quod binæ duobus vna
Philippo III Hiſpaniarum, altera Sigiſmundo III. Poloniæ Regibus in matrimonium
locatæ ſint ſuſcepit. Obiit Anno Milleſimo Octuageſimo nono Laxenburgi
in Auſtria, vbi ſalubrium aquarum lauacro recuperandæ corroboran-
dæque valetudinis gratia vtebatur. Corpus Græciam
Styriæ primum, funus deindè Seccouiam
tranſlatum & hic conditum.



CAROLVS
MAYNII DVX.

CAROLVS à Lotharingia Maynij ſeu Cenomanorum Dux, Franciſci Guiſię Ducis ex Anna Ferratienſi filius, à prima ſtatim adoleſcentia arma tractare cępit, cum anno Septuageſimo ſecundo in victricibus Chriſtianorum claſsibus ſpontaneam militiam cum nobiliſsima Gallorum iuuentute obiret. Poſt crudeliter iuſſu Henrici Tertij Valeſij Regis occiſos fratres Guiſios Ducem, Cardinalemq́; Gallia erat in tres partes ſciſſa, vna eorum, qui religionem Catholicam tuentes nullum Regem niſi Catholicum agnoſcere volebant, & confędetati dicebantur, horumq́; caput erat Cenomanus, altera eorum, qui Hugenoti vocabantur, & horum Dux, Rex Nauarræus, tertia illorum, qui à legitimo Rege toti dependebant, quicunq; tandem ille ſit, Catholicus, an alterius religionis, Politici hi nominabantur, & Regij. Vbi igitur Pariſienſes Catholici huius Guiſianorum cædis certiores facti, primi ex templò Regias ædes diripuiſſent, inſignia laceraſſent, conculcaſſent, ſtatuasq́; euertiſſent, Guiſium Gallię liberatorem, Pariſienſium ſeruatorē, Catholicæ religionis vindicem appellaſſent, Picardi quoq; à Rege defeciſſent, ambæ partes Henrici Valeſij Regis Imperio obedire renunciaſſent, & alium ſibi Principem, cui parerent eligendum ſtatuiſſent. In frequenti conſilio, poſtquam omnia tam præſentia, quam futura incommoda demonſtráſſent, communibus tandem ſuffragiis Ducem Cenomanorum Guiſij fratrem Franciæ Proregem, Regniq́; Gallici defenſorē, donec Ordines Regni aliud conſtituerent declarârunt. Ordines autem, vt omnia tàm ciuilia, quàm militaria legitimè, & maiori cum authoritate adminiſtrarentur, conſultum rati ſunt, Ducis Cenomani nomen omnibus placitis, edictis, & conſtitutionibus præfigere. Cenomanus Prorex electus, & ad Regni adminiſtrationem vocatus Lutetiam venit, vbi omni honoris, & beneuolentiæ ſignificatione exceptus eſt. Poſt Monpenſerij de confæderatis obtentam victoriam Cenomanus Lutetia diſcedens, poſtquàm cum exercitu ſuo Vendomium veniſſet, per exploratores didicit, Candalium, Comitem Briennium, Alborunium, aliosq́; Politicos nō procul ab Amboſio caſtrametare, ac locum biduò aut triduò abſq; multis tormentis bellicis occupari poſſe, hanc occaſionem minimè ſibi negligendam ratus, Cenomanus Dux intempeſta nocte cum octingentis lectiſsimis equitibus, peditibus verò bis mille, & duabus machinis bellicis ad hoſtem ſumma cum celeritate contendit, eoq́; adegit, vt certis conditionibus cum eo paciſceretur. Briennius Principi cuidam ex Regijs capto libertatē impetrârat, ita tamen, vt nec ipſe, nec nobilitas, neq; gregarij, qui cum illo erant, toto anno contra ſancti fæderis ſocios militarent, vndè multi ad Cenomanum deſecerunt. Parta hac victoria, eam proſecutus eſt, Politicos vbicunq; potuit bello laceſsiuit, nunc victor, nunc victus, Regi multum negotij fecit, ita, vt Rex de fædere cum Nauarræo feriundo cogitare cæperit, quemadmodum etiam annuas inducias cum eo pepigit, & in ſocietatem belli adſciuit. Cenomanus interim non quieſcebat, audendum aliquid ratus, antequam Nauarræi vires cum Rege coniungerentur Lutetia cum expeditis copiis exceſsit, tectaq́; Regem petiit. Vnidorinum, & in eo plerosq; è iudicio aulico (magnum Iudicium vulgò dicunt) cæpit. Poſtridiè profunda nocte, cum duobus tantum miliaribus à Turonenſium vrbe abeſſet, intellexit Regias copias in ſuburbio, & circà pontem caſtrametari, inter quos plurimi nobiles exercitatiſsimiq́; erant belli Duces. Viſum eſt Cenomano cum illis manum conſerere, & ſuburbium occupare, quod ſi benè ſuccederet, fieri poſſe putabat, quod etiam vrbem occuparet. Cum verò difficilis eſſet aditus, Cenomanus primò cum hoſte aliquamdiu velitatus eſt, indè duo tormenta bellica in illos diſploſit, & exorto fumo ſubmiſit ſelectiſsimorum militum turmam, qui ſinè vlla trepidatione in hoſtem delati, ea animorum pertinacia cominus vtrinq; pugnatum eſt, vt neutra pars cedere voluerit. Tandē victoria ad Cenomanum inclinante, Regij in vrbem fugerunt, & confæderatis ſuburbia reliquerunt, hæc vſq; ad occiſionem Regis Henrici per Cenomanum geſta ſunt. Cum poſtridiè à Regis morte Henricus Nauarræus in ipſo tumultu Rex Franciæ proclamatus eſſet, iamq́; ſe bello contra confæderatos accinxiſſet, Cenomanusq́; intellexiſſet, Nauarræum Rothomagenſem agrum infeſtare, cum ſuo exercitu, Rothomagum cōtendit, ſed vbi in itinere nunciatum eſſet Nauarræum iſtinc Dieppam exercitum abduxiſſe, Gornachum Cenomanus ſuas copias duxit, quod oppidum hoc à Nauarræo ſteriſſet, aduenienti hoſti fortiter reſtitit. Captum tandem, & ſpoliatū eſt, trucidatis omnibus, qui in armis erant. Non multò poſt Pontiſarenſes vulgo Pontoyſi, qui nuper in hoſtium poteſtatem tranſierant, obſedit. Lanoijus vt Cenomanum caſtris exueret, & à mænibus pelleret, oēm mouit lapidē, Cenomanus prius arcē Boyſiam expugnauit, & occupauit indè ad Pontiſaram conſedit, & muro ducentis pedibus proſtrato, mox fortiter (deſideratis tamē multis egregijs militibus) expugnauit. Cenomanus poſteà in inferiorem Normandiam profectus, oppidum Pontem Marinum obſedit, oppugnauit, & expugnauit. Indè Chilebocfium mouens, fluuium, vbi naues Anglorum, & Batauorum in anchoris ſtabant, obſtruxiſſe dicitur. Recuperata pòſt Caudebeka, huius mænibus dirutis, & munimentis ſolo æquatis, vtramq́; Sequanæ ripam inter Rothomagum, & mare tutam ab hoſtibus reddidit, & nauigationi libertatem reſtituit. Quæ deinceps pòſt Nauarræi in Galliæ Regem confirmationem à Cenomano cum illo reconcilito in militia geſta ſunt, Gallicarum rerum ſcriptoribus memoriæ relinquo prodenda.



PHILIPPVS COMES

PALATINVS RHENI BAVARIÆ DVX.

PHILIPPVS bellicosus Ruperti virtuosi ex Elisabetha filia Georgij diuitis Bauariæ Inferioris Ducis, filius, Philippi ingenui Palatini Comitis, & Electoris nepos, Ludouici iunioris pronepos, in lucem editus fuit Anno Millesimo Quingentesimo tertio. Hic Princeps ad summa quæque ingenio & virtute sua excellentia spirare potuisset, nisi à fortuna destitutus, & inuidia iniquè retractus fuisset Animo æquè fortissimo, atq; à natura moribus; & ingenio suauissimis prǽditus fuit. Hinc factum, vt illum nemo iratum viderit, aut indignantis verba etiam contra eos, à quibus violatus fuerat, ex ipso audierit. Literis ita deditus fuit, vt qui familiariter eo vsi sunt, testentur, cum à negotijs publicis discessum est, nunquam eum in otio inuentum, quin librum in manibus haberet, atq; legeret. Virtus ipsius, & in patriam studium, atq; fides maximè enituit periculosissimis illis temporibus, cum Solymannus Turcarum Sultanus innumerabilibus copiis, Buda & alijs Vngariæ vrbibus subactis, Germaniæ ceruicibus Anno Millesimo Quingentesimo Vicesimo nono tremendus immineret, atq; Viennam superioris Pannoniæ ciuitatem nondum munitam, omnib9 viribus, & obstinatissimo animo vehementissimè oppugnaret, quam Philippus defendendã alacriter in se suscepit, & sua, & pręsidij fortitudine conseruauit. Certis autoribus constat, cum classe Danubiana incensa, cunctisq; pontibus recisis, spes omnis auxiliorum obsessis adempta esset, & partim minis, partim amplissimis Solymanni promissis militum animi ad deditionem consternati viderentur, Philippum re intellecta, & cõcione aduocata abiectionem illam animorum, & detestabilè cõsilium grauissimis verbis increpasse, & palàm affirmasse, si omnes contingeret locum illum & stationem turpiter deserere, sibi tamen sententiam stare, vel solùm corporis sui obiectu mœnia defendere, & honesta potius morte pro patria, & fide Christi pugnando occumbere, quam flagitiosa eiusmodi trepidatione & nomen suum, & gentis Germanicæ auitam gloriam indelebili ignominiæ nota inquinare. Posteà ob cognitam & perspectam suam fidem Vdalrico Duce Wirtenbergio à confæderatis Sueuicis in exilium acto, prouinciæ illi nomine Ferdinandi Romanorum Regis præfuit, donec anno Millesimo Quingentesimo Tricesimo quarto Philippus Hassiæ Landtgrauius pecunia Gallica exercitu conscripto, & in agrum VVirtenbergicum adducto, Vdalricum armis restituit. Huic Philippus Palatinus ex officio collectis non contemnendis copiis obuiam iuit, utque militem ad operam nauandam sibi obsequentiorem redderet, magnam pecuniæ summam obstricta fide sua mutuo sumpsit, & postea ex suo ereditoribus satisfacere coactus est. De hinc cum hoste prælio congressurus, forte fortuna, vti fama perhibetur, accidit, vt voce iubentis sese acies stipare, sinistrè à milite percepta, recipientes se versus Lauffen oppidum ordines primum turbarentur, moxq; præcipiti se fugæ mandarent. Philippus resistere militem, & aciem restaurare omni diligentia adnitens globo maiore in calce pedis grauiter saucius, equoq; subter labente captus est. Sequentibus annis in ipsis tumultuum Germaniæ initijs Henricus Octauus Angliæ Rex de virtutibus, & probitate Philippi certior factus, non quieuit, donec eum in aulam accersitum videret, quem summo in honore habitum, per triennium liberali stipendio aluit, atq; Germanici exercitus Ducem expeditioni quam tum animo agitauerat destinauit. Philippi morum suauitas, & ex vultu elucens virtus, vsque adeò cunctis grata in Anglia atq; amabilis extitit, vt generum ipsum adsciscere, & filiæ Mariæ maritum esse Rex voluerit, & effecisset etiam, si consanguineus Fridericus Secundus Palatinus Septemuir fortunæ Philippi tunc spontè se offerenti paululum sua voluntate, & auctoritate se adiunxisset. Interea ipse absens, insons, & quæ in Germania agerentur nescius, ditione sua Norica spoliatus fuit. Tandem imbecillitatis ex vulnere, tenuissimæ fortunæ, atque diuturnioris otij pertæsus, dum terram Sanctam adire in animo haberet, vitam cum morte, fastidiumque humanæ sortis cum exoptata beatitudine cælesti commutauit, anno Millesimo Quingentesimo Quadragesimo octauo, cuius ossa ad Sancti Spiritus Heidelbergæ monumento à fratre Ottone Henrico Septemviro procurato, sunt recondita.

EPITAPHIVM

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Philippi, Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ &c.

Caetera qui circum lustras monumenta viator,
Hæc quoque, non longa est, perlege pauca, mora:
Si ducis audita est forsan tibi fama Philippi,
Clara Palatinæ quem tulit Aula Domus,
Qui modo Pannonicam defendit ab hoste Viennam,
Et soluit trepidos obsidione viros,
Tunc cùm Threitij vastarent omnia Turcæ,
Et tremerent subito Norica Regna metu,
Mox etiam impleuit magnum virtutibus orbem,
Vtilis hinc armis, vtilis indè toga.
Illius hac tegitur corpus venerabile terrâ,
Hic animam, hic vitam reddidit ille Deo.
Quo te si pietas, si quid mouet inclita virtus,
Iunctaq; cum summa nobilitate Fides,
Huic opta vt Cineres placidâ cum pace quiescant,
Condita nec tellus durior ossa premat,
Nam pius ad cæli sublatus spiritus Arces
Cum Christo vixit tempus in omne suo.



PHILIBERTVS EMMANVEL SABAVDIÆ DVX.

SABAVDIÆ comites atq; Duces originem suam ex antiquissima Saxoniæ Regum Ducumq; VVitikindeaq; stirpe habere constat. Ex qua directa continuataq; linea vsq; ad hæc nostra tempora Philibertus Emanuel Sabaudiæ Dux & Princeps Pedemontij, Comes Astæ & Aurei velleris Eques patre Carolo & Beatrice Emanuelis Lusitaniæ Regis filia matre descendit. Primis adolescentiç annis in Hispaniam missus ad Carolum V. Cæsarem ei apprimè charus extitit, ita, vt eum in omnibus expeditionibus bellicis comitem habere voluerit, summisq; militaribus posteà honoribus cumulârit. Bello illo Germanico omnium nobilium aulæ Cæsaris circiter quadringentorum equitum leuis armaturæ, qui ad custodiam ipsius Imperatoris destinati fuêre, præterea quingentorum equestrium sclopetariorum, item equitatus Belgici, qui ex quinq; cataphractorum turmis quas Bendas vocant constabat præfecturam gesit. Quo finito Cæsarem ad expeditionem Mediomatricensem, & inde in Belgium secutus, omnibus bellis tam ab ipso Augusto, quam eius filio Philippo contra Henricum Galliæ Regem gestis supremi Tribuni militaris munus obiens interfuit. Terrouana Morinorum munitissima ciuitate vi expugnata, cum cognouisset Imperator militũ præfectos altercatione æmulationeq; de prærogatiua contendere, Philibertũ summũ totius exercitus legatum constitutũ misit, qui Terrouana mouens Hesdinũ oppidum adortus, primo incursu occupauit, sed supererat arx firmissima. Hanc vndiq; circum dispositis copiis obsedit, cuniculis factis ijsdemq; accensis longum muri ambitum, & castris oppositi propugnaculi partem vna cum defensoribus subuertit. Post quod propugnatores statim ad compositionem animum adiecerunt, cæterum dum nimis securè Hedinenses paciscerentur, Cæsareani hac opportunitate freti in arcem irruperunt. Occisi sunt Horatius Farnesius Dux Castrensis Regius ex filia notha gener, multi Francicæ nobilitatis proceres, nec parui capti, inter hos Bullionius magni nominis Dux. Arx à fundamentis diruta, ex cuius & Terrouanæ ruinis ad Cancem annem noua, & cognominis, priore autem longè firmior anno sequenti breuissimo temporis spatio à Sabaudo condita est. His cõfectis Sabaudus ad Dorlenij expugnationem animum conuertit. Verum in Rhemos iter ducẽs, à Momorantio Equitum Magistro collocatis insidiis cæsus est. Gallo Rhentheium nouum Cæsareanorum munimentum arctissimè obsidente iamq; duabus simul ex partibus tormentis maioribus pulsante, Imperator minimè cunctandum ratus, eò cum Sabaudo cõtendit, displosis tormentis signum obsessis dedit se ad ferendum opem adesse. Inter vtrumq; ergò exercitũ magnum & atrox prælium commissum, & ancipiti Marte pugnatum, Galli quidem victores primum, cum ad victoriæ laudem aspirarent, & inclinantes Cęsateanos vrgerent, horribili machinarum fulmine in eos contorto omnes pedem retulerunt. Obsidione postmodum soluta Gallus receptui canens Monstrolium copias misit. Sabaudus autem cum Anglorum & Scotorum equites vlterius progressos esse resciuisset, præmissis aliquot equitum turmis media nocte in improuisos irruit, cosq; ad internecionẽ cecidit. Cæsar Bruxellas à diuturnis & continuis bellis tandem cõquiescendi causa reuersus est, vbi paulò pôst Philippo filio omnia sua Regna Prouinciasq; resignauit. Philippus verò Sabaudum consobrinum Belgarum Dictatorem constituit. Pactæ quidem erant induciæ quinquennales anno Quinquagesimo sexto, sed quia Gallus sequenti anno Neapolim & Mediolanum inuadere statuisset, iamq; exercitum in Italiam transmisisset, nec minus Arthesiam quoq; flamma ferroq; vastare incepisset, bellum vltrò citroq; redintegratũ est. Philippus ergo in Picardiam pergens, comperto SanQuintinum Veromanduorum Augustam perexiguo præsidio teneri, Marianum versus exercitum cui Sabaudus præerat misit, suburbio occupato, & propugnaculo, quod erat in aduersa ripa Sabis non exiguum capto, Sabaudus tormentis admotis expugnationem inchoauit. Aliquantò verò pôst vbi illic Sabaudus castrametatus est, è Perona egressus Dandelotus cũ quindecim signis, vt obsessis suppetias iret, in Philippicorum conspectum veniens nullo ferè labore profligatus à Sabaudo tertiam copiarum partem amisit. Gallorum posteà exercitus numerosissimus & instructissimus Ducibus Sabaudo & Egmondano regulo ad Sabim fluuiũ profligatus est. In qua pugna Ioannes Borbonius Dux Auguianus Nauarrei Regis frater cum alijs præcipui nominis proceribus occubuit, captus Guisius Magister equitum, & totius Gallicani exercitus summus Dux, & multi præfecturis militaribus insignes. Sabaudus post hanc victoriam, cum iam cuniculos egisset, SanQuintini expugnationem summa vi aggressus est, tormentis per sex dies integros continenter displosis, tanta vi & pertinacia turres mænia & pinnacula demolitus est, vt à defensoribus desererentur. Cuniculis etiam tribus locis simul incensis, corruentia progugnacula plurimos oppresserunt. Eodem momento milites tribus ex partibus non minore animorum ferocia quàm virtute in propugnatores inuaserunt, qui licet aliquantulum vim atq; impetum fortiter sustinuissent, tamen relinquere stationem coacti sunt. Pax tandem inter duos potentissimos hos Reges certis conditionibus facta. Scilicet vt Philippus Isabellam Franciæ Regis filiam vxorem duceret, Sabaudus in Allobrogum ditiones de integro restitueretur, & Margaretæ Regis sorore ei nuberet, cum qua Sabaudus matrimonium posteà contraxit. Quietus posteà vixit vsque ad annum Christi M.D.LXXX. quo mortuus est.



HENRICVS
GVISIÆ DVX.

HENRICVS Guiſiæ Dux ex Illuſtriſſima & an-
tiquiſsima Lotharingiæ Ducum familia, quæ à Caro-
lo Magno originem ducere fertur oriundus, Franciſci ex
Anna Ferrarienſi filius. Sedecim annorum adoleſcens cum
inſigni Baronum nobilitatisq́; Gallicæ comitatu ſuis ſumptibus
ad Maximilianum Secundum Imperatorem anno M. D. LXVI. contra Solimannum Tur-
carum Tyrannum expeditionem ſuſcipientem in Hungariam profectus eſt, vbi prima militiæ
rudimenta poſuit, egregiusq́; Martij ſpiritus animus in eo apparuit. In Galliam reuerſus, eam pro-
pter nouatam religionem bello inteſtino vexatam inuenit. Quapropter vt tam Regi ſuo fidelem na-
uaret operam, quam etiam Catholicam religionem defenderet, arma ſumere coactus eſt. Cum Pictauiũ
ab Admiralio Caſparo Colignio arctiſsimè obſidereur, Dux Andegauenſis Regis frater conſiderans ma-
ximum Regni detrimentum, ſi ciuitas Pictauienſis in hoſtium poteſtatem perueniret, collecto ſumma ce-
leritate, & ſilentio exercitu, Guiſium cum mille quingentis ſelectiſsimorum equirum Gallicorum, nec non
turmã equitum Germanorum eò miſit, cui etiam frater Carolus Maynij Dux cum aliquot equitum pedi-
tumq́; copiis Italicis ſe coniunxit, cum quibus emmenſo ſine requie maximo itinere, tanto ſilentio, vt ho-
ſtis non perciperet noctu ciuitatem intrauit. Populus viſo tam magnanimo Principe ſumma cum lætitia af-
fectus, & quam maximè recreatus eſt. Guiſius ſtatim de omnibus quæ ad defenſionem neceſſaria erant.
ſumma cura, & diligentia prouidit, oppugnationes varias ſumma cum fortitudine ſuſtinuit. Aliquot à Gui-
ſio eruptionibus factis, & velitationibus commiſsis, hoſtis, quod Andegauenſem cum nouis ſubſidijs ad-
uentare intellexiſſet, obſidionem ſoluere coactus eſt. Cruento illi prælio, vbi Hugenoti cum Admiralio ad
internecionem cæſi ſunt interfuit, & in pede vulnus accepit. Simultate inter Regem, & frarrem eius Alen-
conium orta, cum hic in Normandiam perueniens ſub prætextu defendendæ nobilitatis, libertatisq́; Galli-
cæ vtriusq́; religionis exercitum colligeret, iam etiam Germanorum, Heluetiorumq́; copiæ Condæo adue-
niſſent, ex Languedocca Galliæ Narbonenſis regione quoque Galli Duce Vicecomite Torenio Mareſcalci
Anuillani fratre Alenconium ſequentes coniunctis viribus contra Regem proficiſcerentur. Guiſius certior
factus partes Regias tuendas ſuſcipiens, obuiam cum exercitu hoſtibus factus eſt, edita pugna ſanguinolen-
ta, Guiſius in facie glande plumbea vulneratus victoriam obtinuit. Tandem cum Ordines Catholici, vt fu-
turis incommodis occurrerent fœdus inijſſent, & Guiſium exercitus Imperatorẽ conſtituiſſent, Rex Henri-
cus Valeſius de hac confœderatione edoctus, dies noctesq́; meditatus eſt, quibus modis creſcentem Guiſio-
rum authoritatem minueret, & eorum vires frangeret. Non enim latere potuit Regem, quæ apud populum
& ſua, & Ducis Guiſij eſſet exiſtimatio, plerią; enim Regem tanquam ignauum, Guiſij verò pietatem, forti-
tudinem, dignam Imperio formam extollebant. Apud Regem igitur quorundam maleuolorũ obtrectatione
traductus, & varijs inſimulationibus oneratus, tantum effectum, vt omnia Guiſij acta Regi eſſent ſuſpecta,
obliuioni traditis, omnibus Guiſij in Eccleſiam, in Rempublicam Gallicanam, in ipſum Regem beneficiis,
quod pater, quod ipſe Reges, Regnumq́; Galliæ in tam ancipiti ſtatu conſeruaſſent, ab aula, aulicisq́; nego-
tiis vnà abſtinere iuſſus eſt. Vndè Guiſius multorum ordinum, quorum ſimulata fides erat odium incurrit,
authoritas etiam eius, exiſtimatioq́; magis, magisq́; imminuta eſt. Erat tum temporis Rex Pariſijs, ad quem
Guiſius licet contra mandatum Regis, eius priſtinæ ergà ſe beneuolentiæ confiſus paucorum nobilium co-
mitatu peruenit, & vti nullius ſibi criminis conſcius cubiculum Regis ingreſſus Regem intrepidè ſalutauit,
increpatus à Rege quod contra mandatum eius venire auſus eſſet, humiliter, & placidè reſpondit, ſe non alio
conſilio veniſſe, quàm vt ſe purgaret, & immeritò ab æmulis ſuis traductum oſtenderet. Regis autem diffi-
dentia quotidiè creuit, admiſſo in vrbem Pariſienſem numeroſo exercitu, hoc ancipiti ſtatu, iuuentus literis
addicta primùm, ciues deindè armati prodierunt. Efferbuit haud exigua ſeditio, & Guiſius inuocatus, Hel-
uetios adoriens victoria potitus eſt. Felici hoc euentu ciues maiores ſumpſerunt animos, & in Gallos non
minus, quam Heluetios ſæuierunt, Guiſius tamen ne vlterior cædes fieret, quantum licuit cohibuit. Rex vr-
be relicta ad tutiorem locum, ſe transferens in Carnutes acceſsit. Poſt cuius abitum Guiſius Armamenta-
rium, palarium, aliaque loca Lutetianæ vrbis munitiora occupauit, præſidiis firmauit, ſcripto de hoc
facto ſe purgauit, quo promulgato, cum omnibus Catholicis ſatisfactum eſſet, & Rex ſua manu illud
ſubſignaſſet, quietura videbatur omnis inter Regem, & confœderatos diffidentia. Rex autẽ poſteà
Bleſis Comitia indixit, ad quæ cum Guiſius magnis Regis pollicitationibus allectus perueniſſet,
perbenignè à Rege exceptus eſt, ſupremæ Regni dignitates ei decernuntur, imò Regni admi-
niſtratio omnis, & tantum non Regium nomen ei tributum. At non diuturna ei fuit hæc feli-
citas, paulò enim poſt in palatium accerſitus, ſub prætextu, quod ardua, & arcana quædam
cum eo cõferenda negotia ſuppeterent, cubiculum Regis ingreſſus, hunc ibi non inue-
niens, inſidias ſuſpicari cæpit, leuatis vna parte auleis, mox ſiccarij ad hoc à Rege cõ-
ducti ſtrictis gladijs proſilientes, Guiſium læthalibus ictibus confecerunt, qui-
bus conſumptus, atq́; alta voce miſericordiam diuinam implorans con-
cidit. Quem poſteà eodem mortis genere ſecutus eſt eius frater Car-
dinalis Archiepiſcopus Remenſis, vtriusq́; corpus rogo con-
ſtructo impoſitum exuſtum, & cineres in præter-
fluentem Ligerim proiecti ſunt.
Anno M.D.LXXXVIII.



FRANCISCVS
MOMORANCII DVX SECVNDVS.

FRANCISCVS Momorantius Annæ filius natu maior, qui & ipse post parentis obitum Ducis titulum adeptus est, inter Pares Franciæ annumeratus, legatione Germanica ad Mauritium Saxoniæ Ducem functus est, anno Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo secundo, Terrouana Morinorum vrbe expugnata, cum reliquis eius loci propugnatoribus ab exercitu Caroli Quinti Imperatoris captus, post aliquot menses à Rege Henrico redemptus, atq; militari Gallici ordinis dignitate, & insignibus donatus, vrbis ac Insulæ Lutetianæ præfecturam cum laude gessit. Anno deindè eius seculi Quinquagesimo septimo memorabili ad Sanctum Quintinum prælio interfuit, ex quo discessisse & hostium manus effugisse insimulatus virtutis estimationem non parum minuit. Ad Druydum posteà vrbem, & alijs ciuilibus per Galliam bellis summa cum fide Regias vbiq; partes, quoad potuit, tutatus est. Audito in prælio Dionysiano cæsi parentis occubitu, non ad luctum sese, sed ad vindictam conuertit, summaq; cum virtute in hostes irruens magnum ad victoriam, quam Regij milites obtinuerunt, momentum attulit. In eo conflictu his ipsis armis, quibus hîc imago eius depicta videtur, vsus est. A morte patris Mareschallatus dignitatem vnà cum hæreditario Ducatus titulo Carolus Nonus Rex ipsi contulit, ante cuius obitum ex iniquo hominum inuidorum calumnia, & hanc secuta sinistra Regis suspicione, de initis contra Reipublicam consiliis custodiæ traditus, ex qua tandem sub Henrico Tertio, causa tectius cognita, liberatus, & in pristinum dignitatis gradum restitutus est. Non multò pòst Epilepsiæ morbo correptus nullis relictis liberis diem extremum clausit.



FERDINANDVS
TOLETANVS ALBÆ DVX.

FERDINANDVM hunc Albæ Principem Federici aui Bætico, & Cantabrico bello trophæa excitarunt, Garziæ patris Lybicis armis inſepulti manes vrſerunt, vt magnanimus militiæ lætis initiis efflorueri t, perpetuo virtutis, atq; victoriæ curſu ad ſummum gloriæ faſtigium contenderit, ita, vt quosq; duces ſui temporis conſilio, vigilantia & ingentibus auſis antecelluerit, antiquaq; Toletanæ familiæ decora cumulatè renouauerit. Cæſari Carolo Quinto maxime conſpicuus, inter ſplendidiſsimos proceres fidei, virtutisq; nomine dilectus perpetuò Comes in Auſtriaca contra Solymannum Turcarum Tyrannum, Tunetana, Algerienſi, Germanica, Metenſiq; expeditionibus adſtitit. Profligato ad Albim captoq; Saxonum Duce Iohanne Friderico Electore, triumphalem laurum Carolus Cæſar ipſi Albano deberi faſſus eſt. In eo enim difficillimo bello, (cuius adminiſtratio Albano commiſſa erat,) optima quidem ſpe, & ſingulari perſeuerantia, quando ſemper antecurſor, ſemper hoſti proximus, ſemper ex ſua peculiari diſciplina munitiſsimis vallatus caſtris ita progreſſus eſt, vt maturè obuenientis victoriæ fructum delibârit, & perceperit. Cæſar poſteaquam eum Germanis Principibus concordiam ſanxit, prçporentem, & copioſum exercitum conflauit, cui denuò Albanum prçfecit, eo quidem conſilio, vt recepta Mediomatricum ciuitate in Franciam poſteà inſultaret. Poſt Ferdinandi Gonzagæ gubernatoris Mediolanenſis diſceſſum, & furente bello Pedemontano, Albanus à Philippo Hiſpaniarum Rege in eius locum ſubmiſſus, à Mediolanenſibus magna pompa exceptus eſt, vbi dimiſsis Italis, & acceritis Hiſpanis Vulpianum à Gallis obſeſſum annona iuuit, & firmiori præſidio muniuit. Neapolim poſteà profectus, Prorex ibidem à Philippo conſtitutus, ſummam diligentiam in conſeruanda iuſtiria, & recognoſcendis munimentis adhibuit. Orto tunc inter Pontificem Paulum Quartum, & Philippum Regem propter deturbarum èditione ſua Marcum Antonium Columnam, & alijs de cauſis bello, Albanus conſcripto milite in hoſtem duxit, primaq; incurſione Fruſinum, Verulanum, Taracinam Anagniam, Tybur, Vicum Varronis, Algidum, & Villam Luculli in Latio, multaq; alia loca occupauit, Oſtia Tiberina obſedit, deditioneq; recepit, Regnum Neapolitanum contra Guiſium Pontificiarum partium aſſeruit. Pace inter Philippum, & Henricum Secundum Valeſium facta, ille Albanum in Gallias miſit, vt fidem publicam pactis adderet, tum vt illa honorifica legatione deſponſam ſibi non multò ante in matrimonium Iſabellam Henrici filiam vxorem haberet. Qua legatione Albanus peracta, eum iuſtructiſsimo exercitu in Belgium ſui Regis iuſſu contendit, ac indè Margaretha Auſtria Octauij Farneſij Parmenſis Ducis vidua diſcedens, omnem ſuam authoritatem in ipſum Albanum tranſtulit, qui ſtatim copias ſuas in loca vicina ea ratione diſtribuit, vt ſi opus foret, intra biduum omnes ad ſe euocare poſſet. Egmondanum, & Horniū Comites ob ſuſpitionem, quod fædus contra Regem inijſſent capite plecti iuſsit. Vt Anruerpienſes ſi qui pergerent eſſe refractarij facilius domare poſſet, Antuerpiæ caſtrum munitiſsimum ædificandum curauit. Geldriam ita præſidijs communiuit, vt nihil ſibi ab hoſtibus, tametſi quotidianæ ad eos acceſsiones fierent metuendum exiſtimaret. In Friſia Ludouicum Naſſouium ad internecionem cæcidit, vbi hoſtium, ſeptem millia periêrunt, regiorum verò non niſi octo deſiderati, & totidem vulnerati, Ludouicus vero nauicula Embdam confugit, qui rurſus vires colligens Auraico Principi fratri ſuo ſe adiunxit. Albanus non ignorans quid molirentur, obuiam profectus ad miliare vnum à Traiecto aduentum eorum præſtolans conſtitit, Auraico quidem progeſſo, confligere tamē non audente, ſenſim abeunte, fluuiumq; tranſmittere feſtinante, eum iam quidam tranſiiſſent, miſſo pedite, & equiratu non contemnendo, hoſtem fudit, & non paucos cepit. Etſi autem Albanus alia ratione debellare Auraicum potuiſſet, attamen noluit dux prudentiſsimus ſuum militē temerè periculo, ancipitiq; euentui objicere, quod multo illuſtrior laus ad eum reditura foret, cum nulla ferè ſuorum iactura in Friſia hoſtē conciderit, & eiecerit. Decimi nummi cenſum pro belli continuandi ſumptibus irrogauit, quæ nouatio magnum Albano non ſolùm apud Belgas, ſed etiam apud exteros, vt quidam ſcribunt, odium peperit, nec paruam oportunitatem attulit proſcriptis, & exulibus, ſub hoc prætextu multa in Belgio loca occupandi. Montes Hannoniæ obſedit, Gallos qui ad ciuitatem obſidione liberandam acceſſerant, magna ex parte ſtrauit. Ludouicus Naſſouius, qui in ciuitate erat, omni ſubſidij ſpe deſtitutus poſt triduani colloquij impetratas inducias vrbem dedidit. Albanus vero animaduertens belli ſucceſſus infelicius euenire, Antuerpiam, Bruxellasq; ſe cōtulit, ibiq; abdicato Imperio in Hiſpanias redijt. Mortuo Henrico Luſitaniæ Rege, cum Philippus potiore iure Regnum Luſitanicū ſibi vindicans, quod, quia Henricus Philippum legitimum ſucceſſorem declaraſſet, arma parari intelligeret, Luſitaniq; ſe patriam contra vim defenſuros non obſcurè ꝓfiterentur. Albanus à Philippo huius expeditionis ſummus Imperator conſtitutus eſt. Cum claſſe igitur, numeroſoq; exercitu in Luſitaniam profectus, Antonium quondam Regis Edoardi Emanuele patre geniti nothum pro rege ſe gerentem profligauit, & Vliſſiponem Metropolim cepit. Poſt hanc victoriam ſubindè alia atq; alia loca, & Caſsiterides Inſulæ, quas Azorras vocant, partim vi adactæ, partim dediticiæ in Philippi Regis dominiū, & obſequium conceſſerunt. Luſitania ſubacta pacataq;, Albanus tot bellorum laboribus fractus, & grandæuus, Vliſſiponæ Anno M.D.XXCII. mortalitatē expleuit.



VDALRICVS
TERTIVS
VVIRTENBERGÆ DVX.

VDALRICVS Tertius, ex Henrico VVirtenbergæ Comite, & Eliſabetha Bipontina natus, pueritiæ rectorem habuit Adamum Hoſmannum Canonicum, ſub quo ingenuè educatus, circa annum Domini Milleſimum Quadringenteſimum octauum, cum Eberhardus junior Wirtenbergæ Dux, eius patruus gubernationem abdicaret, à Maximiliano primo Cæſare rebus impoſitus eſt, additis ei propter immaturam ætatem ex proceribus prouinciæ duodecim conſiliariis. Ei Sabina Alberti Bauariæ Ducis filia ex Cunigunde Maximiliani Imperatoris ſorore nata in vxorem deſponſata, cum qua decimotertio anno poſt nuptias celebrauit. Anno poſt Mille Quingentos quarto, cum proximo ante anno obiiſſet Ludouicus Diues inferioris Bauariæ Princeps, deque eius hæreditate inter ipſius generum Rupertum Palatinum, & Albertum Bauarum bellum eſſet, Vdalricus eius mandato bellum Philippo de more denunciatum intulit, & cum exercitu octingentorum equitum, ac peditum bis mille eius fines ingreſſus Mulbrunnum monaſterium præſidio Electoris impoſito munitum expugnauit. Eodem modo Beſikhemium oppidum, Leoſtainum, VVeinsbergam, Neoſtadium, & Mökmolam oppida, cum arcibus nonnullis in ſuam poteſtatem redegit. Finito hoc bello, cum Cæſar Maximilianus Venetos armis adoriretur, Vdalricus eum trecentis equitibus in Italiam comitatus eſt. Anno Milleſimo Quingenteſimo Decimotertio cum Maximilianus in Burgundiam expeditionem faceret, Vdalricus aliquot equitum & peditum copias duxit, verum ab Heluetiis auri Gallici ſpe deceptis, deſertus, Diuionis ciuitatis obſidionem feliciter ceptam deſerere coactus fuit. Sequenti anno abſente Vdalrico ex leui quadam cauſa tumultus inter nonnullos eius ſubditos exortus eſt, qui non impunè id ſibi futurum præuidentes, pluribus in ſocietatem adiunctis ad arma concurrunt, horum furores Vdalricus domum reuerſus, cum paucis ad eos adequitans, ſua authoritate placare ſtuduit, quod cum fruſtra eſſet, ſumptis & ipſe armis compeſcuit, paucis quibuſdam capite plexis, & ædibus, in quibus coniuratio facta erat dirutis, facto decreto, ne vnquam inpoſterum illæ inſtaurarentur. Poſt hæc nimirum anno poſt Mille Quingentos Decimo nono bellum illi cum Reuthlinga Imperiali ciuitate fuit, quam media hyeme armis ad deditionem compulit, ſuiq; iuris fecit. Cum hoc facto contra Imperij iura feciſſe videretur, Gulielmus Bauariæ Dux Sueuici fœderis præfectus, cum ingenti exercitu omnem eius ditionem inuadit, breui diſcordes inter ſe ciuitates, deſerto ab omnibus Vdalrico occupans. Ille verò aduocato ex Heluetiis auxilio, cum omnem propè ditionem recuperaſſet, iterum à Sueuico fædere pulſus eſt, & VVirtenbergicus Ducatus interuentu pecuniæ ad Carolum Quintum Cæſarem, atque indè ad fratrem ipſius Ferdinandum eſt deuolutus. Cum igitur præcibus & Principum interceſsione nihil efficeret, tandem decimoſexto exilij anno inchoato, à Philippo Haſsiæ Principe adiutus, Ferdinando Turcicis bellis occupato, pleraq; ditionis loca recepit, moxque re cum Ferdinando tranſacta ſuis reſtitutus eſt. Bello deindè Smalcaldico Carolus Victor omnem propè ditionem ei ademit, quam implorata ipſius venia pactis quibuſdam recepit. Ita pace iam parta, anno Quinquageſimo ſupra Mille Quingentos Sexto die Nouembris ſenio & morbo confectus obiit, cum vixiſſet annos Sexaginta tres.



ALEXANDER
FARNESIVS PARMÆ DV.X.

ALEXANDER Farnesius tertius Parmæ Dux,
Octauij Farnesij & Margarithæ Austriacæ filius, Caro-
li Quinti Imperatoris nepos fuit. Romæ natus à Proauo
Pontifice fœlix illud vaticinium summum eum ducem futu-
rum habuit, quod citò eius acta probauerunt. Educatus primum
in Italia, deindè in Belgio, & in Hispania apud Philippum Regem auunculum. Cum ad Sanctũ
Quintinum & Durlanum prælium inire prohiberetur, ægrè ac non sine multis lachrymis in ca-
stris contineri potuit, multa deindè puer præbuit animi inuicti signa, Idem adolescentiæ, & bello-
rum initium fuit. In nauali ad Lepantum felicissima contra Turcas pugna priuatus ferè miles absolu-
tam perfecti Imperatoris formam expressit, & sequenti anno ingentem Turcarum equitatum, qui octo
millibus constabat ad Nauarinum fugauit. In Belgium reuersus, Iohanni Austriaco consulendo, pugnan-
do, maxima & minima ducis ac militis munia obeundo maximo vsui fuit. Huius præsertim virtute ma-
gnus ad Gemblacum fusus hostium exercitus, Sichemium, Diestam, Liauium, Limburgum, & Dalem ex-
pugnauit. Irruentibus Belgarum, Germanorum, & Gallorum exercitibus fortiter obstitit, quorum copias
dissipauit. Receptis vltra Mosam opportunis locis Germani, qui à Casimiro Palatino conducti aduenerant,
eò angustiarum redacti, vt cum elabi non possent, conditiones quas voluit victor accipere cogerentur, dele-
tis propè Antuerpiam multis hostium peditibus, Traiectum post diuturnam obsidionem expugnauit. Eius
opera Hannoniæ & Artesiæ prouinciæ, vna cum Lilla, Duaco, & Orsira in Regis potestatem redierunt. Ca-
ptis Breda, Cortraco, Zutphania, & Gröninga, variæ trans Rhenum relatæ victoriæ. Erumpentem ex Gallia
cum ingentibus copiis Alenconium repressit, Tornaco & Aldenarda domitis, Lyra & aliis Branbantiæ oppi-
dis receptis. Bironium Magnum Gallię Mareschalcum cum Gallorum exercitu ad Stienbergam insigni prę-
lio profligauit. Roręmondam, Gandauum, Bruxellas, Mechliniam, & alias ciuitates, atque Antuerpiam post
deletum penitus ad Ceurastanium hostium exercitum admirabili supra Scaldim ponte exædificato ad dedi-
tionem compulit. Quo victoriæ cursu opulentissimas Brabantiæ, & Flandriæ prouincias recuperauit. Neo-
magum & Geldriam vrbes obtinuit. Hinc gradu promoto, & expugnatis Grauio, Venlonio, & Nouesio co-
mitem Licestrensem cum Anglorum & rebellium agminibus parua manu profligauit, ac dedita Dauentria
potitus est. Subactis Brugis Flandrorum & Seclusa, eum florentissimis copiis in Angliam parantem maxima
Hispanicarum nauium classis, quæ Medinæ Sidoniæ Duce præfecto loco minimè tuto in anchoris steterat,
vi æstus abrepta, ac dispersa ab incepto reuocauit. Bonnam Coloniensis Diocœseos vrbem ab hostium armis
vindicatam Ernesto Bauaro Archiepiscopo reddidit. Montem Sanctę Getrudis Maritimum oppidum vltrò
oblatum recepit. Post Henrici secundi Gallorum Regis mortem fædere inter Hispaniarum Regem, & Galliæ
Catholicas partes inito, Parmensis cum octodecim millibus in Galliam profectus est, & Henricũ Borbonium
Nauarræ tũc Regem qui in Parisienses duxerat, suburbia occupauerat, spoliauerat, & multos secum captiuos
abduxerat, obsidionem soluere coëgit, atq; immensam vim omnis generis cõmeatus in vrbem Parisiensem
intulit. Postea ad oppugnationem Ligniaci se contulit, tanta vi tantoq; impetu tormentorum ad oppidum
fulminauit, stratisq; ruinis tanta contentione illud oppugnauit, vt inspectante Nauarreo Rege expugnaue-
rit. Corbelium oppidum arte, natura, & præsidio munitum iniquo Parisiensibus loco situm obsedit, & post
tres septimanas non sine cæde tamen, & suorum sanguine in potestatem recepit. Jnterea Parmensi nouæ co-
piæ submissæ fuerant, ne in tam felici rerum gerendarum progressu retardaretur. Dissolutis postea hostium
copiis ad Belgij prouincias dum reuertitur, insequentem se equitatum fudit & fugauit. Iterim vt in Galliam
rediret per Brisaccum solicitatus, propter Belgij motus se excusauit, pecuniam tamen transmisit. Tandem &
ipse cum nouo exercitu secutus est, hostem in insidiis latentem cæcidit, vbi Mareschalcus Laurestinius occu-
buit. Oppidum Contis & arcem iuxta Fornescam deditione cepit. Caudebekamium quod Rothomaghensi-
bus munitiones inuehendas impediebat, obsidione cinxit & expugnauit, vbi in velitatione inter collum &
humerum dextrum vulneratus est. Nunquam tamen decubuit, sed equo insidens castra obequitauit, & in
præliis primus animos militum ad fortiter pugnandum incitauit. Nauarreus aliquoties cæsus, vterq; exerci-
tus continuò in armis versatus, anceps victoria vbiq;, & Rothomagenses obsidione liberati sunt. Qua in
re tanto maiorem meruit gloriam, quantò eius exercitus numero inferior fuit. Vrgente Põtifice vt ter-
tium in Galliam moueret, ac noui Regis electioni interesset, Atrebati subsistere morbo coactus intra
paucos dies decessit. Anno M. D. XCIX. ætatis suæ Quadragesimo octauo. Corpus Parmam de-
latum. Romani antiquo more in Capitolio militarem statuam posuerunt. Fuit Alexander ma-
gna animi moderatione præditus, assiduis vigiliis exercitatus, benignitate, clementia, magni-
ficentia, pietate, fide præstantissimus, ab omni priuati commodi cupiditate alienus. Ita pa-
tiens laboris, vt vrente sole per multas horas in prima acie steterit, sæpè in aquis per-
noctârit, indè factum est, vt qui firmo admodum corpore adolescens fuerit, debilita-
tis posteà viribus aduersa valetudine sit vsus. Animo ita magno & inconcusso,
vt nunquam in summis vitæ periculis, quibus sæpè conflictabatur formi-
dolosi speciem præbuerit, erga milites non liberalis sed profusus vi-
debatur. Belli gloria adeò excellenter claruit, vt ex omnibus
Christiani orbis partibus ad eum venirent, qui
militarem disciplinam, & laudem asse-
qui cupiebant.



VESPASIANVS
GONZAGA SABIONEDÆ DVX.

VEſpaſianus Gonzaga Sabionedę & Minturnarum Dux, Comes Fundorum, & Sacri Romani Imperij Princeps, ſplēdidiſsimis natalibus ortus, patrē habuit Aloiſium Gonzagam, qui ob incredibiles corporis vires Rodomontes appellatus fuit, matrem verò Iſabellam Columnam Veſpaſiani filiam. Apud Iuliam Gonzagam amitam vſq; ad decimum quartum annum ætatis educatus, & in Hiſpaniam miſſus, inter iuniores Philippi Regis (qui tùm Princeps erat) proceres maximam futuræ gloriæ indolem præ ſe ferens triennium manſit. In Italiam reuerſus Placentiæ Dianam Cardonam Hiſpanam ſummæ nobilitatis, prædiuitem, multaque oppida in Sicilia poſsidentem vxorem duxit. Qua paulò pòſt abſq; ſobole mortua, Philippum Regem ad Carolum Quintum patrem anno M. D. XLVIIII. in Germaniam proficiſcentem comitatus, apud eum triennium moratus, & ludicra militaria ad hilaritatem Principis edita ſumma cum laude exetcuit. Eum iam ætate validum, & adipiſcendæ gloriæ ſtudio flagrantem Carolus Quintus Cæſar ſolertiſsimus militarium virorū æſtimator, quadringentis leuis armaturæ equitibus præfecit, cum rerum bellicarum ſumma penes Ferdinandum Gonzagam eſſet. In Pedemontana igitur regione talia virtutis militaris ſpecimina primum edidit, & ſummo duci obtemperans, breui in eam claritudinem peruenit, vt omnibus rerum maximarum curis, conſilioq; militarium expeditionum ſemper adhibitus fuerit. Cum quatuot ſolumodò equitum alis, duorum millium peditum Heluetiorum phalangem adortus ad tertium vſque ordinem tranſiens, ſi ducis ardorem cæteri equites ſequi maturâſſent, ea die præclaram victoriam conſecutus foret. In cuius rei teſtimonium Briſaccius ſummus Gallorum dux, cum à Ferdinando (factis induciis) conuiuio exceptus eſſet, Veſpaſianusque tanquam acerrimus Martis alumnus collaudaretur, ipſi enſem in illa pugna (qua etiam vulneratus erat) è manibus elapſum, & à militibus repertum, à prandio ſumma cum comitate dono dedit. Cum Vlpianum & Ceua obſidione premerentur, in ſumma neceſsitate ibi conſtitutos, Veſpaſianus nouo adducto impoſitoq; præſidio firmauit & ſeruauit. Demum Albanus Dux relictis Pedemontanis, Mediolanenſibusq; rebus, Neapolim profectus eſt, vbi bellum contra Paulum Quartum Pontificem parans, Italo peditatui Veſpaſianum præpoſuit, & belli conſiliarium elegit. Veſpaſianus oppidum Bacconum loci aſperitate expugnatu difficile, & ſtrenuis defenſoribus munitum aggreſſus, breui eo potitus eſt. Anagniam quoque cum Veſpaſianus tormenta maiora machinis in altum ſuſtuliſſet, & altiſsimis montibus ſuper impoſuiſſet, Torquatus Comes Romanus, qui oppido præerat, rei miraculo motus, cum mænia diruta, & jam via ad oppidi occupationem vi pateſacta eſſet, noctu cum militibus & omnibus ferè oppidanis profugit. Poſtremò ad Hoſtiam capiendam iter arripuit, cum bellicis rebus ſumma cum poteſtate præeſſet, conſtrato Tiberi ponte vrbem cepit, arcem per aliquot dies oppugnauit, exercitum Pontificis, qui in altera fluminis ripa conſedetat, tranſitu prohibuit. Nolam deindè nouo opere breui muniit, vt aduerſus iuſti exercitus oppugnationem ſatis tuta videretur. Ciuitatellæ quæ à Guiſio Gallorum Duce obſidebatur, cum Albano ſubſidium adduxit, cumq; Gallus bis copias in aciem eduxiſſet, ſeq; ad pugnam paratum oſtendiſſet, Veſpaſianus non detrectauit conflictum, depreſſa hoſtis audacia, qui pedem retulit. Exindè ſecuta pax cum Pontifice, Veſpaſianus autem ſtatim ad Hiſpanorum Regem in Belgio agentem ſe contulit, qui eum coram plurimis militaribus viris ob res præclarè geſtas mirum in modum laudauit, eumq; peditibus Lombardiæ & Pedemontanæ regionis præfecit. Finito bello cum arma Gallorum atq; Hiſpanorum quieſcerent, domi ſe continuit, vrbemq; Sabionetam condere cepit. Anno verò Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo octauo in Hiſpaniam quietis inſolens, & gloriæ appetens rurſus profectus eſt, quem Rex lubentiſsimè vidit, atq; hilari animo fronteq; excepit, & confeſtim excitato Maurorum in Hiſpania tumultu, ad muniendam Carthaginem nouam cum magno Hiſpanorum numero miſit, quam breuiſsimo temporis ſpatio munitiſsimā cum Portu reddidit. Euocatum Rex Gubernatorem, & ſummum belli ducem in Regno Nauarræ ordinauit, addita etiam belli adminiſtratione Prouinciæ Guibuſcoæ, in qua Fonterabiā, & Sanctum Sebaſtianum oppida in ripa Oceaniſita munitiora effecit, arcem Populoniæ in expugnabilem condidit. Peninſulam foſſa, & muto cinxit, qua nihil munitius in tota Hiſpania conſpici poteſt. Prorex deindè Valentiæ conſtitutus, omnia ſumma integritate prudentiſsimè egit. Demum ob aduerſam valetudinē in Italiam inuitus rediit, nec tamen torpere otio in animo fuit, ſed ad ornandam, muniendamq; Sabionetæ ciuitatem, omniaq; ſuæ ditionis loca animum appulit. Dum domi moratur, Philippus Rex, vt gratiſsimi animi vices exſolueret, Veſpaſianum ob res laudabiliter pro ſe geſtas inter aurei Velleris equites adſcripſit, quæ dignitas non niſi ſummis viris, & natalibus, & ſingulari virtute præſtantiſsimis tribui ſolet. Anno Milleſimo, Quingenteſimo, Octuageſimo octauo iuſſu Regis Philippi Pragam contendit, vt Cæſari Rudolpho in cōſilio adeſſet, cum liberatio Maximiliani Archiducis fratris electi in Poloniæ Regem ageretur, vt ſi ita res poſceret, & bello eſſet decertandū, ipſe bellicis rebus ſumma cum poteſtate præficeretur, agnouit ipſius virtutem Cæſar, magnificeq; collaudauit, cum magna munera eſſet ei largitus.

Domum reuerſus tot laboribus exantlatis febri correptus Sabionetæ obiit tertio Idus Martij, Anno Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo primo.



GEORGIVS
A FREVNDSBERG.

GEORGIVS à Freundſberg eques auratus, Domi-
nus in Mindelhaim, Petetsberg & Sterzingen, à primis ado-
leſcentiæ annis ſub Maximiliano primo Romanorum Impera-
tore in bello Bauarico contra Bohæmos ante Reginoburgum cæ-
ſos, & Heluetico primum miles meruit. Ad Vicentiam partem du-
xit copiarum, quando Cæſareus exercitus iniquitate loci, hoſtium multitudine circumuentus, &
in vltimum diſcrimen adductus, incredibili vigore animorum, & audacia deſperatam victoriam re-
tulit. Apud eandem Vicētiam infeſtis, & obſeſsis ab hoſte itineribus, exercitum toto biduo grauiſsimè
ab incurſionibus laborantem incolumem in tuta duxit, magno cum hoſtium detrimento, etiam eorum
tormentis interceptis. Ad vallem Auſugij, & Stainum cum parua manu Mille & octingentorum militum,
multoties cum Venetorum nouem millibus felicitet pugnauit. Inter Baſsianum, & Aſculam hoſtium mili-
tes ex agro collectos mille ſexcentos cum centum, & quinquaginta tantum fudit. Veronam à Gallo, & Venetis
acriter oppugnatam ſeruauit, & hoſtem turpiter obſidionem ſoluere coëgit. Quapropter ab Imperatore eque-
ſtri dignitate donatus fuit. Maximiliano Cæſare è viuis ſublato, nepoti eius Carolo Quinto in præcipuis quæ ge-
ſsit bellis fidam, & ſtrenuam nauauit operam. Iulij Secundi Papæ exercitum apud Bononiam ſocio Gallo vicit.
In expeditione contra Vdalricum Vvirtenbergæ Ducem ſuſceptà, viginti peditum millibus præfectus eſt, eun-
demque Ducatum depulſo veteri Domino ditioni Impetatoris, domuique Auſtriacæ adiecit. Ad Valencenam in
inferiori Germania, cum exercitus inſtructus ad pugnam, nec tamen ſpes eſſet victoriæ, copias pari audacia, &
felicitate, ab hoſte inſtructiſsimo ſe cum ſuis illeſum recepit. Apud Bicocham Heluetios aggreſſus, eorum quatuor
millia cecidit. In pugna ab Ticinum commiſſa antè aciem progreſſus, aduerſi agminis ducem ad ſingulare certa-
men euocatum iuteremit, vbi Franciſcus Galliarum Rex, dum Papiam maximis copijs, terribilique apparatu tor-
mentorum obſediſſet, in ipſa ſpe expugnandæ vrbis à Cæſateanis fuſus, & captus eſt, Freundsbergius capti Re-
gis gladium tanquam rei benè geſtæ præmium dono accepit. Colonos per Comitatum Tyrolenſem, & vicinas
Alpes tumultuantes repreſsit. Quindecies iuſta acie & ſtataria pugna, vicies tumultuaria, & velitaria cum hoſte
ita conflixit, vt ſemper aut ſuperior, aut æquo Marte diſceſſerit. Anno Septimo, & vigeſimo ſupra Milleſi-
mum Quingenteſimum, poſtquam Clemens ſeptimus Pontifex fædus cum Gallo, & aliquot Italiæ Principibus
contra Carolum Cæſarem pepigiſſet, Georgius cum validiſsimis peditum legionibus ſuo ære conductis Alpes
ſuperans rapidi torrentis inſtar Italiæ campos inundauit, Pontificios fugauit. Venetos ex aduerſo iugo, & angu-
ſtijs vbi tranſitus erat inſpectantes eluſit, ac militem inter foſſas agri Mantuani concluſum, & in traiectu Padi im-
peditum, cum hoſtis ſolutos ordines infeſtaret, ipſe incredibili promptitudine copias toto die laborantes incolu-
mes ex iniquo loco eduxit, Borbonioque ſe coniunxit. Ob eam perpetuam fortitudinem, felicitatemque milita-
rem & ſummam in principes fidem, Imperatoribus Maximiliano primo, Carolo Quinto, Ferdinando Hungariæ,
Bohemiæque Regi à conſilijs fuit, atque Germanici exercitus, ſi opus foret in Italiam ducendi, & Comitatus Ty-
rolenſis militiæ ſupremus Dux declaratus eſt. Vir fuit heroïca magnanimitate, & corporis robore inuictus, vſque
adeo, vt extento tantummodo digito validiſsimum quemque innixum firmo veſtigio facilè dimoueret, preter-
currentem equum arrepto freno ſiſteret, tormentum murale ſolus innitens humero quo vellet propelleret. Sum-
ma, & germana in dictis, & factis conſtantia, tam alienus à rapinis, & innocentium iniuria, vt ſua potius in mili-
tes erogauerit, quam inuaſerit aliena, vereque iuxta Pyrhi Epirotarum Regis ſententiam ferto, non auro bellum
geſſerit. Hunc Centuriones Annibalem, milites Germanorum peditum patrem appellabant. Tandem in iti-
nere Romam verſus, cum propè Ferrariam milites ob non ſoluta ſtipendia tumultuarentur, Georgius in medium
procurrens, verbis tumultum ſedare tentans, cum nihil proficeret, ex rei indignitate in iram, ex ira in morbum
incidit, & lectica Ferrariam delatus, virtutis ratione habita, tutum etiam inter hoſtiles animos hoſpitium
inuenit, vbi annum integrum commoratus, valetudini operam dedit. Deindè in patriam reuerſus
morbo quotidiè ingraueſcente vita deceſsit Vigeſimo menſis Auguſti Mindelhemij in
arce ſua Anno à natali redemptoris Chriſti Milleſimo Quingenteſimo Vi-
geſimo octauo, poſtquam vixiſſet annos quinque, & quin-
quaginta. Eius laudes à militibus etiam
hodiè paſsim decantantur.



IACOBVS SVPERANTIVS VENETVS.

IACOBVS Superantius patre Franciſco Senatore, & matre Clata Capella Illuſtribus & clatiſsimis familijs anno Milleſimo Quingenteſimo Decimo octauo Venetiis natus, à primis adoleſcentiæ annis ad litetatũ ſtudia animum applicuit, variasq; orbis tettatum regiones peragrauit. Orto inter Venetos, & Turcam eo tempore bello, in pattiam tediens, vix decimum octauum annũ attingẽs in Senatum admiſſus fuit, & pòſt Legati munere dignus habitus, vt ad Eduatdum Sextum Angliæ Regem mitteretur, qui ob ſingularem eius in negotijs dextetitatem equeſtti ſui ordinis dignitate illum decorauit. Reuerſus ex hac legatione Senatot creatus, ad Henticum ſecundum Galliæ Regem, deindè ad Ferdinandum Imperatorem, qui ipſum magno fauote & beneuolentia ptoſequebatur, Orator deſtinatus eſt. Quo munere perfunctum in reditu vix ad patriæ limen pertingentem Senatus Venetus in pręfectum Btixianæ ciuitatis elegit, cui officio dum ptæeſt, termino ptæfixo nondum completo, ad Pium Quattum Pontificem Maximum proficiſci coactus fuit, qui inctedibili eius admiratione ductus Cardinalem efficere ſtatuit, quam dignitatem cum modeſtè abnueret, donatus tamen fuit palatio Romę inſigni ad Sanctum Marcum, quod poſtea Reipublicæ Venetæ reſignauit. Patre primario Senatore mortuo, licet tantum quadtageſimum tertium ætatis annum attingeret, præter conſuetudinem in eius locum abſens conſtitutus, & ad Solymannum Turcarum Imperatorem Orator ablegatus, ipſo verò in Hungaria in caſtris ad Zigethum mortuo, cum Selymo filio ſucceſſore pacem inter ipſum & Venetos tenouauit. Rediens ex hac legatione paulò pòſt præfectus Patauinæ ciuitatis creatus fuit. Laborabat eo tempore ciuitas maxima fame, quam tamen comparato proprijs ſumptibus frumento ita iuuit, vt Pataiuij ſeſqui precio vilius quàm Venetijs, & horum toto dominio venderetur. Icto aduerſus Selymum ſecundum inter Summum Pontificem, Hiſpaniarum Regem, & Venetos fœdete, Supetantius ad Maximilianum ſecundum Cæſatem Spiræ comitia Impetij celebrantem, vt & ipſum contra Turcam incitaret miſſus, idem poſtea apud Poloniæ Regem tractauit. Parta ad Echinadas memotanda & feliciſsima victoria nauali, Auguſtino Barbarigo ex vulnere mortuo Senatus decreto in munere Prouiſoris generalis claſsis ſuffectus eſt. Quod obiens, cum ſexaginta Tritemibus confœdetatis ſe coniunxit. Vniuetſa Chriſtianorum claſse è Communitiæ portu ſoluente, dextrum Cotnu Supetantio commiſſum, &, vt cum hoſte confligeret, ei ab Iohanne Auſtriaco mandatum eſt. Intrepidè igitur hoſtis parti occurrit, tormenta magno impetu vtrinque diſploſa, hoſtis omiſſa pugna ſe recepit, quem dum Superantius perſequitut, maiorem Turcicæ claſsis vim ſibi imminere videns, ne ineundi ptælij oportunitatem negligeret, pugnam magna cum Turcarum clade, & tanta conſtetnatione commiſit, vt in fugam Turcæ conuerſi ſint, in quos quamuis Chriſtiana claſsis expanſis velis contenderet, illi tamen in tutum ſe receperunt, & maris vndam multo ſanguine Turcico tubentem, multaq; tabulatorũ, & remorum fragmenta natantia reliquerunt. Varbegnam famigeratam Turcarum munitionẽ, delectis triginta ſex expeditiſsimis Triremibus, cum tribus mille peditum, nõ ſuſpicantibus Turcis, Supetantius obſedit, eamq; pluribus ex partibus vno tempore oppugnauit, hoſte locum deſetere coacto. Ea munitio cum omnibus tormẽtis, annona, & bellicis apparatibus in poteſtatem Superantij ceſsit, qua ſolo æquata Rizonicus Sinus liber tedditus, Aſctiuij obſidio ſoluta, ac porta ferrea munitionis ad ſempiternam Superàntianæ virtutis memotiam in loco publico pro trophæo ſuſpenſa. Dum hæc feliciter ſucceſsiſſent, pax inter Rempublicam Venetam & Turcam publicatur. Cum Brixię in binas factiones diuiſę graues eſſent enatæ turbę, & magnus ſiccariorum numctus introductus, cæde & rapinis immaniter in illa vtbe graſſaretur, ad eos tumulrus ſedandos Superantius cum ſumma authoritate ex Senatus mandato eò ſuperueniens ita tem ſua prudentia moderatus eſt, vt vna die ſpatio ſeptem hotarum octo millia armatorum vtriusq; factionis ciuitate exiuerint, atq; ſic vrbs ptiſtinæ ttanquillitati reſtituta, & authores factionum reconciliati. Non multò pòſt accitum Supetantium Venetias, in Suptemum claſsis, quæ magna diligentia inſtruebatur, præfectum Senatus elegir, atq; cum ea ad ptotegendos Veneti Imperij fines contta Tutcam, qui cum magna quoq; claſſe exire dicebatur, mouete iuſsit. Ab hac expeditione ad Gtegorium Decimumtertium Pontificem miſſo, dum ibi moratur, mortuo Selymo Tutcatum Imperatore, ad Amutathem tertium legatio decreta eſt, pto cum eius patre pactis conuentis confimandis, & finitimorum locorum in Dalmatia, quæ proximo bello Veneti perdiderant, negotiis ttactandis, quorſum iter facienti, eum à ſummo Senatu Procutatorem ſancti Marci creatum nuncius attulit. Ex illa legatione Iaderam tediens, Senatus literas & mandatum ibidem inuenit, vt cum Fetrathe Baſſa Boſnenſi de ponendis limitibus in cõfinibus Iadetæ, Sebenici, & tota Dalmatia ttanſigeret. Quod negotium licet difficilimum magna cum conſilij ſui prudentiſsimi dexteritate & felicitate confecit. His legationibus perfunctus, & negotijs conpoſitis in pattiam reuertens eam peſtifera lue infectam & afflictam inuenit, ſtatimq; à Senatu in Prouiſorem generalem ſanitatis conſtitutus eſt, cuius ſumma diligentia voto præcipuè de ædificanda æde in honorẽ Saluatoris noſtti IeſuChriſti nuncupato vrbs incolumis euaſiit. Deniq; in Prouiſorem generalem terteſtris dominij Veneri ordinatus, totam militiam tàm equeſttum, quàm pedeſttem, Cameram Fiſcalem, redditus, & expenſas publicas reformauit. Poſtrema eius legatio fuit, quòd Senatus inuitatus ab Amurathe Turcarum Impetatore ad citcumciſionẽ Mahometis filij ſui, eũ vt illius nomine intereſſet deſtinauetint.



GVLIELMVS
BARO A ROGENDORF.

GVLIELMVS ex Illuſtri Rogendorffiorum in Auſtria procerum proſapia anno Milleſimo Quadringenteſimo octuageſimo primo natus eſt. Decimum tertium annum attingens in aulam Philippi Archiducis Maximiliani Primi Romanorum Regis filij in Burgundiam miſſus, ibidem cum alijs nobilibus educatus, adoleſcens anno ſupra Milleſimum Quingenteſimo quarto eidem Philippo tunc ratione Iohannæ vxoris Hiſpaniarum Regi à cubiculis, & conſilijs, decimatertia Octobris fidei iuramentum præſtitit. Sequenti anno poſt Eliſabetham Iohannis Oettingenſis Comitis filiam vxorem duxit. Paulò pòſt à Maximiliano Rege bellum in Italia gerente ad ſuæ militiæ adminiſtrationem euocatus contra Venetos ſupremus exercitus Tribunus creatus eſt, vbi poſtquam Callianum opidum & arcem dies noctesq; oppugnâſſet, tandemq; in poteſtatem ſuam redegiſſet, plumbea glande in dextero femore vulneratus fuit. Probata iam eius virtus, vtpote variorum caſuum periculis excitata, cum ad maiores dignitatum honores euexit, ita, vt Carolus Quintus Cæſar eum in Belgium accerſitum Friſiæ gubernatorē declarâuerit. Indè ad Ferdinandum Archiducem, Infantemq; Hiſpaniarum Caroli fratrem profectus, eius conſiliarius & Curiæ moderator factus eſt. Cum eidem Ferdinando Anna Vladiſlai Hungariæ Regis filia deſponſata eſſet, Rogendorffius ex Belgio legatus Ocnipontem miſſus iuxta regiam conſuetudinē Ferdinandi nomine cum ſponſa paranymphum egit. Poſt celebratas Linzij nuptias Rogendorffius à Carolo Quinto in Belgium adſcitus, vt ſimul Leodenſium Antiſtiti aſsiſteret, totius exercitus contra Sicambros imperium obiit. Carolo anno Viceſimo ſecundo in Hiſpaniam nauigante, Rogendorffius vniuerſo Germanico peditatui militari præfectus eum comitatus eſt, contra Mauros miſſus, eos Hiſpaniam infeſtantes ad internecionem cecidit, montemq; Spadanum occupauit, vbi etiam pontem à ſuo nomine Rogendorffium denominatum conſtruxit. Poſtero anno cum exercitu Andiæ limites tranſſcendens ad Montem Rotundum in confinibus Galliæ caſtra poſuit, Gallis verò cum claſſe aduenientibus dum Oeaſopolim commeatu, & munitionibus ſubleuare conantur, eorum naues interim in portu conſiſtentes incendi curauit, ſuosq; quod hoſtes numero ſuperiores eſſent ſaluos in caſtra reduxit. Cum exercitu deindè Galliam verſus profectus in itinere multa opida, ciuitates, & arces recepit, & inter alias Saluaterram, & VVideſium fortiſsimam arcem, in cuius expugnatione non exiguus numerus fortiſsimorum ducum, & præcipua nobilium militum pars mortem oppetijt, quorum necem vt luerent, præſidiarios occupata arce ſuſpendio addixit. Reliquam deindè Vbernię Prouinciam Nauarreo Regi obedientem totam ſuæ poteſtatis fecit. Ex Gallia diſcedens in Cantabriam contendit ad Oeaſopolim diſpoſitis machinis æneis crebris fulminationibus ciuitatem ad faciendam deditionem, & Gallicos præſidiarios excedere coëgit. Hac durante obſidione à Carolo Cæſare literas accepit, in quibus ei præfecturam ſatellitij non minimæ authoritatis apud Hiſpanos dignitatem cōtulit. Non multò poſt in ordinem equeſtrem Oretanenſem adlegauit, quo vt initiaretur, ad iſtius collegium Oretum, & indè poſt duos menſes à Carolo reuocatus ad exercitum ſe contulit. Ruſcinonem veniens Carolus Rogendorffio ſupremam adminiſtrationem Gothalaniæ, Ruſcinonis, & Cardonæ conceſsit, vniuerſiq; exercitus in ijſdem regionibus ſummum imperatorem ordinauit. In qua dignitate & gubernatione multas itidem ciuitates arcesq; Narbonam vſq; ad Galliæ Regnum pertinētes occupauit, & Regno Hiſpaniæ aſſeruit. Anno Viceſimo nono Turca Viennam obſidente, equitum magiſter quem ſupremum Mareſchalcum vocant, in conſeruanda ciuitate fidelem operam præſtitit. Cum Ferdinando Romanorum Rege Auguſtam Vindelicorum ad comitia profectus, indè cum auxiliarijs copijs decem millium militum exercitu in Vngariam miſſus, vbi poſtquam fortiſsimi duci bellatorisq; officio funggens res præclaras geſsiſſet, hoſtiumq; conatus repreſsiſſet in Auſtriam reuerſus aliquandiu Ferdinando Regi ab intimis, & bellicis conſiliis eius aulam rexit, ſed impetrata miſsione Gunerſtorffij reliquum vitæ quietè tranſacturus aula abijt. Mortuo verò Ioanne Scepuſio, quo adnitente Solymanus Hungariam inuaſerat, à Rege Ferdinando propter ſingularem eius experientiam, in militari diſciplina conſeruanda authoritatem, & in bellicis rebus adminiſtrandis prudentiam citatus, belli dux declaratus, ſecundùm inuitus quidem in Hungariam cum exercitu mouit. Budam igitur arctiſsimè obſedit, eruptionibus aliquot ab hoſtibus factis aduerſus Turcarum impetum maxima illorum parte occiſa fortiter & feliciter pugnauit. His victorijs animoſior factus, tametſi plæriq; ne temerè ſui exercitus iacturam faceret diſuaderent, & Turcæ cum ingentibus auxiliarijs copijs, vt obſeſſos ab obſidione liberarent iam aduenire dicerentur, nihilominus confligere voluit, præſtabilius eſſe iudicans fortiter pugnando in hoſtium turba mortem oppetere, quam obſidionem poſt tot felices ſucceſſus turpiter ſoluere. Animatis igitur militibus ſuis, & ad rem fortiter gerendam adhortante Rogendorffio pręlium commiſſum, dubia vtrinq; fortuna aliquantulum fuit, ſed defagitati tandem laboribus milites, recentis hoſtis vim atque robur ferre diutius non poterant, Rogendorffius innumeris Turcarum copijs circumuentus & caſtris exutus eſt, deniq; dum ſe viriliter hoſti opponeret, ſtrenueque dimicaret, brachio ex ſclopeti globulo læthaliter traiectus eſt, ex quo vulnere in Danubij inſula Chiorum obijt, funus Pekſtalium tranſportatum ibidem in Diui Egidij templo terræ mandatum eſt.



IOHANNES
RANZOVIVS.

IOHANNES Ranzouius Eques auratus, & Dominus in Bredenberg, ex illuſtri nobiliq; Ranzouiorum in Holſatia familia parentibus Henrico, & Olegarde Bokuoldia natus eſt. Tredecim annorum poſt mortem patris inuita matre, & amicis clam inſtructo domi equo, proxima caſtra ſecutus eſt. Demum vir effectus, duriſsimis belli laboribus ſe totum dicauit, ſuſceptaq; nobili peregrinatione totum penè terrarum orbem circum vagatus Hieroſolymis Equeſtrem dignitatem ſuſcepit, quam ſuccedente tempore factis egregiis condecorauit, indè per Galliam, & Italiam in Germaniam, & ad ſuos rediit. Propter ſummam ingenij dexteritatem, & agendi peritiam Fridericus tum temporis tantum Princeps Holſatiæ eum Chriſtiano filio morum inſpectorem, & omnium rerum gubernatorem conſtituit. Cum Chriſtiernus Secundus Daniæ Rex immaniſsima crudelitate in proceres Danicos, Gothos, & Suedos ſæuiret, illiq; publicè conſpirarent, & Fridericum patruum Chriſtierni ad ſuſcipiendum Regium diadema adhortarentur, Ioannes Friderico ſuaſor & autor, vt oblatam prouinciam ſuſciperet extitit, & ſub ipſius auſpicijs exercitum in Daniam traduxit nonnulliſq; locis ibi prius expugnatis, Hafniam regalem vrbem plus anno integro obſidione preſsit, illamq; fame domitam in Principis ſui gratiã ſuſcepit. Quibus peractis cum cohortibus ſuis in Scandiam nauigauit, ibidemq; nobiles iſtius Prouinciæ Danos ſibi adiungens, & commiſſa ancipiti pugna cum Seuerino de Norbu viro ſtrenuo, & rei militaris perito, ſecum habente quindecim millia agreſtium, eum ſuperauit, & paulò pòſt eodem die Ottonem Stigenſem hoſtibus cum nõ contemnenda manu ex plebe collecta ſubſidio veniẽtẽ deuicit. Friderico Rege ex humanis rebus ſublato, relictis tribus filijs impuberibus, & Chriſtiano tertio virilem ætatem ingreſſo, Lubecenſes facto prius fœdere cum Duce Alberto Megapolenſe, & Comite Chriſtophoro Oldenburgenſi, Daniciſq; quibuſdam Proceribus, nouis rebus ſtudentes, Holſatienſibus bellum intulerunt. Iohannes igitur collecta parua manu, cum Chriſtiano Rege Lubecenſes non procul ab oppido Oittino deſideratis multis auffugere, Segebergenſem obſidionem relinquere ac de ſua propria ciuitate defendenda ſollicitos eſſe coëgit. Trauemondam poſtea vi occupauit, & iuxta Schlucopium octo bellicas naues hoſti ſubſidio miſſas, multoq; apparatu inſtructas expugnatas cepit. Hac parta victoria Lubecenſes ſex menſibus arctiſsimè obſedit, tantumq; effecit, vt pacis conditiones ſuſceperint. In Iutlandiam contra ſeditioſam agreſtium multitudinem profectus, oppidum Alborch, in quo ruſtica plebs Duce Clemente Nauilero congregata erat feliciter expugnauit, captiuum viuum Clementem quaſi Regem plumbea corona decorauit, & capite plecti curauit. Indè in VVentzhuſel cum copiis contendit, vbi vacillantes in fide continuit, nouoq; iuramento obſtrinxit. Hinc in Fioniam traiecit, plebem maiore numero congregatam cum parua manu adortus in fugam conjecit, ac paulò pòſt non procul ab Aſſenſi oppido exercitum Comitis de Oldenburg iuſta acie, ac prælio ſuperauit, caſtris hoſtium, & vrbe potitus eſt. Vnde in Seelandiam profectus, pleriſq; locis illic vi ſubactis, Hafniam iterum vt ante decennium obſedit, Ducem & Comitem ſuperiores, conſumptis in ciuitate alimentis, ac deſperatis auxilijs, quæ à Carolo Quinto Cæſare expectabantur, culpam agnoſcere, delicti veniam petere, & ſe Chriſtiano tertio ſubijcere compulit, quibus rebus confectis Chriſtianus demum regio diademate ornatus, ac patri ſuffectus eſt. Poſtea inter Carolum Quintum ac ipſum Chriſtianum Spiræ in Comitijs pacem conſtituit ac ſtabiliuit. Qua pace facta, domum reuerſus, Principes ſuos occupatos in diuidendis Principatibus offendit, & ob hoc facilè inter Principes oriri difficultates timens, omni magiſtratu, & Pręfecturis ſponte ſe abdicauit, cumq; ſuis domi honorificè viuere decreuit. Elapſis poſteà paucis annis cum Daniæ Rege Friderico Secundo, nec non Holſatiæ Ducibus Iohanne, & Adolpho Dithmarſicam expeditionem ſuſcepit, eiuſq; belli ſummus Dux creatus fuit, quem honorem primum repudians iam ferè ſeptuagenarius, tandem victus illorum precibus annuit. Qua expeditione primò oppidum Meldorff diuiſo exercitu tribus locis vno tempore adortus expugnauit, ibique caſtra tanquam in medio Dithmarſiæ inter Suderſtrandt & Nortrandt poſuit, atq; ſic eorum copias ne coniungi poſſent diremit, ac ſeparauit. Inde Suderſtrundum cum parte copiarum profectus, reliquis copijs in caſtris, & apud ſuos Principes manentibus, vt ſi fortè hoſtis opem ferre vellet, illis obijci poſſent. Quo in loco felici ſucceſſu magna ſtrages Dithmarſorum edita, reliquaq; multitudo exercitu circumdata ſe dedere coacta eſt. Tertio Heidam nobile Dithmarſorum Emporium circa veſperam caſtra mouens per noctem contendit, ac indè non procul cum hoſte conflixit, ab hoſtibus ter prælium redintegratum, eo tamen euentu, vt libertatem ac terram ipſam amiſerint. In quo bello conficiendo acutiſsimi Ducis nomen, & humaniſsimi ſibi comparauit, quod, licet ante annos quinquaginta nouem à Dithmarſis ipſius frater occiſus eſſet, ipſe contra multorum ſententiam Quingentos Dithmarſos alioquin trucidandos incolumes conſeruauerit, non enim eos è medio tollendos crudeliter iudicauit, quos ſpes erat fideles, atq; obſequentes, non perduelles deinceps futuros. Orta deindè ſeditione inter legiones ijſdem in diuerſa loca ablegatis, tormẽtis abductis, & diſpoſitis equitibus, vi ac metu ad imperium redire, & ex Prouincia ſine maleficio diſcedere coëgit. Friderico primo, Chriſtiano Tertio, & Friderico Secundo victrici manu cum cæteris Proceribus diadema regium impoſuit. Obiit placidè anno M. D. LXV. cum vixiſſet annos Septuaginta tres. Sepultus Itzrhoæ.



NICOLAVS CHRISTOPHORVS RADZIVIL.

NICOLAVS CHRISTOPHORVS RADZIVIL, Nicolai ex Elisabetha de Schidlouiecz filius nepos Ioannis, Abnepos Nicolai primi, Dux Olicæ & in Niesuiesch Sacri Romani Imperij Princeps, Comes in Schidlouiecz & Mhir Palatinus Trocẽsis anno decimo quarto ætatis à patre in Germaniam missus, osculata manu Diui Maximiliani Imperatoris (in Comitijs Imperialibus Augustæ Vindelicorum) qui eum summa clementia prosequebatur, in Italiam profectus, & illa ferme tota perlustrata à Pio Quinto Pontifice Max. Romæ benignè acceptus, propter expeditionem Sigismundi Augusti Regis contra Moschum reuocatus durante bello, voluntarijs stipendijs militauit; postea vsq; ad mortem prædicti Regis cùm officio Marschalcathus in Aula versabatur. Electo Henrico Valesio in Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithuaniæ cùm cæteris oratoribus Regni nomine Magni Ducatus Lithuaniæ interfuit, ac cùm Rege in Poloniam redijt. Electo postea Rege Stephano contra Moschum cùm ferme totam Liuoniam occupauerat, & dum Rex bello Gedanensi impediretur, collectis copijs cùm proceribus Lithuaniæ adfuit. Tandem cùm Rege in obsidione Polocensi, dum circa Mænia arcis versaretur in frontem ex scelopeto læsus; Voto suscepto in terram Sanctam, ob pestem grassantem eo tempore in Syria, sequenti anno ex Italia redijt, Absoluta autem Plescouiensi expeditione, vbi etiam cùm Rege aderat, tandem gloriosissimum sæpulchrum Saluatoris nostri adijt, Palestina, Græcia, Syria, Ægypto peragrato, multisq; emensis laboribus & periculis (dum missi iam erant aliquot Czausi à Turca cognito nomine eius, vt illum interciperent) ex Alexandria in naui elapsus primò in Insulam Cretam, post in patriam redijt. Electioni Sigimundi Tertij Regis interfuit. In ditione sua multis templis erectis, Collegio Societatis IESV, & Monasterijs, fundatis, extructis propugnaculis, generosis occupationibus, vacat, & nunc Anno M. DC. I. ætatis agens quinquagesimum secundum &c.



DANIEL RANZOVIVS.

Nobilis ac ſtrenuus Daniel Ranzouius ex equeſtri & veteri Ranzouiorum familia in Cymbrica Cherſoneſo patre Godeſcalco Regum Daniæ quondam conſiliario, ac domino caſtrorũ Nienhouen, Wammendorp & VVilſtede, matre vero Margareta Bokuoldia natus, ſcientia rei militaris, virtute, authoritate, & felicitate præſtans fuit bellator. Hic in teneris annis à patte manſuetioribus literarum ſtudiis addictus, feliciſsimè his incubuit, & præter Germanicam, quæ ipſi vernacula & natiua fuit, linguas latinam, & Italicam exactè & expeditè didicit. Poſtea verò cum gloria ingenij bellicæ etiam diſciplinæ laudem coniungeret, progreſſu ætatis generoſum ac heroîcis vittutibus excellentem animum ſiue diuino quodam inſtinctu, ſiue naturæ etiam impetu, atq; inflammatione inductus, ad rem militarē omnino adiecit. Proindè vna cum Illuſtriſsimo Holſatiæ Duce Adolpho in Imperatoriam Caroli Quinti aulam profectus, ibidem pet ttiennium ferè commoratus, poſtea in Italiam contendit, vbi intet Caroli Quinti procetes, ac præfectos per quinquennium vetſatus, tei militaris vſum acquiſiuit, quodq; ex eo ſingularis fortitudinis cum ſumma ptudentia coniunctæ eluceret ſignificatio, cohortis præfectutam adeptus eſt. Ex Italia teuerſo, adminiſttatio atcis Peynę in Ducatu Brunſuicenſi ſitę, à Principe Adolpho commiſſa eſt. Cum autem tum temporis ab eodem Holſatiæ Principe in Diethmarſiam bello domandam expeditio ſuſciperetur, Daniel Ranzouius eum in vſum copijs vndiq; comparatis, primum duabus cohortibus præfectus. Deinde verò legionis Tribuno Schonueſio ab hoſtibus intetfecto, ptopter ſtrenuam in bello nauatam operam, reiq; militatis inſignem peritiam in cæſi locum ſurrogati à legionarijs poſtulatus eſt. Diethmarſica gente ſub iugum redacta, nouum bellum inter Regem Denorum, & Suecos ortum eſt, in quo Daniel Regiæ Maieſtati ſuam quoque operam tecuſare noluit, cum alioquin iuſtam excuſationem ptoptet natam ex nobiliſsima in Suecia familia Damia tum ſibi deſponſam virginem pretexere potuiſſet. Itaq; ptimum vigintiquatuot cohottes peditum Regi adduxit, quarum ipſe ſupremus Ttibunus, mox ob ſummam in rebus gerendis prudentiam, & felicitatem totius belli adminiſtrator, & copiarum militatium in Suecos Imperator conſtitutus eſt. In quod bellum difficillimum etiam ſeptennale vir animoſus ſummis laboribus, & ſudoribus bellicis perfunctus, pro Rege ſuo, & tegno Daniæ, vitam, fortunas, ac omnia in ſe ſita contra Suecos magna horum edita ſtrage impendit. In campo Aſtorffheyde quatuor millibus viginti ſex millia hoſtium in fugam vertit, quinq; millibus ex his cæſis. Spatio ſemeſtri regnum Suetiæ, ad quod omnis aditus arduus, & penitus obſtructus videbatut, magna itinetum difficultate, admirabili tamen adhibita celeritate in ipſa hyeme per loca inacceſſa, anguſta, & ob copioſum numetum hoſtium ſpe Danici exercitus delendi, & omni commeatu, reliquisq; copiis intercludendi eò confluentium impetuia petuaſit, multasq; arces, pagos, & agros vaſtauit, ac depopulatus eſt. Inter quæ id raræ felicitatis eſt, quod ttibus diuetſis prælijs, totidem ſummos belli duces in poteſtatem redegerit, & captos ſuo Regi viuos tradidetit. Cum vetò Erico Regi propter procerum cædem, tyrannidem, & grauiſsimam criminum defotmationem fratres Regni gubernacula eripienda eſſe indicarent & illotum natu maior Dux Finlandiæ Ioannes peticuli imminentis ratione hahita, tractationem pacis à Rege Daniæ pet literas peteret, Daniel Suecorum ingeniorum non ignarus, cum ſimulatè id magis temporum neceſsitati ab ipſis dari, quam ſerîo à Suecis fieti præuidetet, victoriæ potius curſu vtendum, donec hoſtis ex animo pacem flagitaret eſſe cenſuit. Qua in re illum militati prudentia rectè conſuluiſſe exitus comprobauit. Cum enim Daniæ Rex Suecorum in ſpeciem pacis conſtituendæ ſimulatas actiones pro veris admiſiſſet, Dux Ioannes fratre Erico capto terum in Suetia potitus, tabulis per ſuos de pace cum Danis conſcriptis, minimè ſe teneri ptætulit. Itaq; bellum rectuduit, & Daniæ quidem Rex arcem VVarpurgam arctiſsima obſidione cinxit. Dum omnibus ad oppugnationem comparatis, Daniel collibrandis machinis æneis occuparetut, impacta capiti ex hoſtili totmento Spheta eliſa vitam ei ſubitò eripuit, non ſine præſentis Regis, totiusq; exetcitus gemitu, & luctu. Et hoc modo vit omnium iudicio generoſiſsimus, ac fortiſsimus habitus, in milites liberalis, & beneficus, acritet pto Rege, & libettate Daniæ pugnans, in ipſo ætatis flore, (annum enim quadrageſimum tantum attigetat,) ac ſplendoris honorisq; faſtigio immatura morte occubuit, & victor in ipſa victotia periit. Ad cuius laudem hoc etiam accedit, quod vtroq; parente huius belli tempote defuncto, Regem poſthabita paternæ hæteditatis aditione non deſeruerit, ſed opetam ei ſuam vſq; ad exttemum vitæ halitum ptæſtiterit fideliſsimam.

Exuuiæ mortui duabus turmis equitum vſq; ad mare Balthicum deductæ, iuxta tenotem teſtamenti conditi, ad ptogenitorum, ac maiorum ſuorum ſepulchrum in ædem Parochialem VVæſtenſeenſem ſitum illatæ, à Duce Adolpho, Legatis Lubecenſibus, ac totius Holſatiæ nobilitate honorificè tumbæ mandatæ ſunt.



LAZARVS
SCHVENDIVS
BARO A HOHENLANDSPERG.

LAZARVS Schuendius ex nobili antiquissimaq́; Suendiorum familia, qui olim ex Heluetia cum nobiles expellerentur lares in Sueuiam extructo ibidem castro cognomine transtulerunt ortus. Basileæ studiis liberalibus operam dedit, in quibus egregiè profecit. Rem deindè militaré colere instituens sub Carolo Quinto Cæsare stipendia fecit. Bello Smalkaldico feruente, legationem pro Cæsare Augustam Vindelicorum, Argentinam, & Vlmam obiuit, easq́; vrbes arma deponere, & paci studere admonuit. In eodem bello Suendius ducendis ordinibus, & periculis prohibendis magnam famam sibi comparauit. Capto Iohanne Friderico Electore Saxoniæ cum haud mediocri manu Gotham iussu Imperatoris se contulit, vt eam arcem dirueret, & Albertum Marchionem Brandenburgicum in custodia ibi detentum liberaret. Sebastianum Vogelspergerum, qui contra Cæsareum edictum decem millia peditum è Germania in Galliam ducere moliebatur, Caroli mandato comprehendit, & Augustam adduxit. Cum Mauritio, qui Joanni Friderico in Electoratu Saxonię succesśit, Magdeburgum oppugnare, & summæ rerum præesse iussus est. Soluta obsidione copias in Hungariam duxit. Tribunus item peditum fuit bello contra Gallum, ad Sanctum Quintinum: Grauelinganq́; oppida in Belgis cęsis Gallis cum decem signorum legione quam ipse duxit strenuam operam nauauit. Prius tàm insignia virtutis militaris exempla ediderat, vt Maria Regina Caroli Quinti soror tum temporis Belgicarum prouinciarum gubernatrix eum magni æstimans huius in maximis & periculosisśimis belli negotijs consilio vsa sit. Tumultibus aliquantulum sopitis, apud Reginam in aula mansit, negotiisq́; Germanicis, siquidem ingruente rursus bello opus foret summa cum fide præfuit, ea consilio iuuit, liquidò constantisśimus, quod ad Gallicas partes propositis præmiis vocatus, ad eas se conferre renuerit. Ferdinandus Primus Imperator tantis virtutibus motus, intimis suis consiliarijs eum adscripsit, atq; in Comitijs inter alios eo vsus est. Nec minus à Philippo Hispaniarum Rege liberali annuo stipendio conductus fuit. Maximilianus Secundus postquàm Ioannes Sigismundus Transsyluanus violata pace Zathmarum occupasset, & belli recrudescentis motus iam triennium cum maximo subditorum damno perdurâsset, vlciscendæ iniuriæ, belloq́; ducẽdo idoneum præ cæteris Schuendium elegit. Huic consensu Regis Philippi adscito negotij bellici summam cum plena authoritate potestateq́; commisit, & quia illi Hungariæ ditiones non visæ nec cognitæ essent, & de quorundam Hungarorum fide dubitaretur, præstantisśimos quosdam istius Regni, & in bellis exercitatos Germaniæ proceres adiunxit. Copias Germanicas sine mora Schuendius in Scepusiensem agrum deduxit, Hungaro equitatu peditatuq́; auxit. Quia verò Tokayum arx natura & arte firmisśima, & in Transsyluaniam aditu commoda potisśimum objiciebatur, neglectis alijs leuioribus in itinere castellis Tokayum versus militem promouit, ac vt oppidulum Kersterium ob commoditatem rei gerendę præoccuparetur iusśit. Quod etsi Tokayenses impedire aliquotiès sunt adnixi, fortiter tamen & non sine illorum cæde sunt repulsi. Tandem arx àcerrimè oppugnata, & Francisco Nemethio eorum præfecto secundum tempus glande icto & occiso, Schuendio se dedidit, præsidiarij solo gladio accincti omni alia suppellectile relicta excesserunt. Ita Tokayum post tertiam oppugnationem deditione receptum, ingenti omnium ad vsum parandorum ibidem copia reperta. Quod fortisśmum propugnaculum expeditum in Transsyluaniæ fines aditum præbet, ac loci natura & aquarum inundatione Tibisci Bodagrique fluuios confluentes complexa, facilè vim insidiasque externas anteuertere omnes potest. Zathmarum posteà hostis oppresśionem metuens deseruit. Erdeud, Kyuar, Bathoruibania, Zendereu, Zabaska, Pelseniz, Munkatsch, Gombazek, Kraznahurka, Gadka, & alia circumiacentia castella & munimenta consilio, prudentia, celeritate, ac industria Schuendij expugnata, quemadmodum etiam Zaduar arx munitisśima Georgij Bebek, qui à fide Imperatoria defecerat, Turcis adhęrebat capta. Maximiliano Cæsare anno Millesimo Quingentesimo Sexagesimo sexto cum numerosisśimo exercitu ad Iauarinum consistente, Schuendius cum suis in superiori Hungaria, & Scepusiana prouincia manere iussus est, vbi multoties cum Tartaris, eam regionem ferro igneq́; vastantibus prædamq́; agentibus dimicatum; iusto enim prælio, quia munero longè superiores erant cum eis decertare Schuendius abstinuit, donec commestis immaturis fructibus morbis variis paulatim consumerentur, quos tandem aggressus eorum decem millia partim cecidit, partim Hungaria excedere compulit, eorum ducibus altero occiso, altero lætahliter vulnerato. Postquàm igitur virtute sua expugnatis & receptis tot fortisśimis oppidis, castellis & propugnaculis, Maximiliani in superiori Hungaria dominatum ad quadraginta milliaria vltro citraq́; Tibiscum extendisset, varias munitiones extruxisset, easq́; iustisśimis ex causis Germanico præsidio firmasset, in Germaniam reuersus, quietus domi vixit. Imperatores tamen, Reges, Principesq́; in grauisśimis belli, Imperijq; negotiis interdum, vti in coronatione Rudolphi II. Ratisbonensi præsentis absentisq́; eius consilium continuè requisiuerunt. Ea sanè gesśit, vt cùm multis anteferri, tum cuiuis etiam præstantisśimo duci comparari posśit. Obiit in Kilchouen vicesima octauo Maij, Anno M. D. LXXXIIII. sepultus in Kienshaim.



IOANNES
BAPTISTA DE TAXIS.

IOANNES BAPTISTA TAXIVS, perpetuo egregiæ fortitudinis felicitatisq; tenore, hoſtilia arma, à primis ſtatim initæ militiæ rudimentis, quo ad vixit, indomita virtute exercuit, vt vel antiquis exæquari ducibus licuiſſet, niſi inuida æquè immitis ſors, & ipſi eos, ad quos recto paſſu glorioſè contendebat, inſignes triumphos ſclopi glande traiectum, immatura nimis ac præpropera morte malignè eripuiſſet. Primus illi honor militaris, à Ioanne Auſtrio, collatus fuit iſte, ſub Tribuno Barlaimontio Comite, Vexillationis peditum pręfectura. Qua dum fungeretur, oppugnata expugnataq; Binſium atq; Philippeuilla oppida; & deindè dum ad obſeſſum ab Auſtrio Traiectum hæret, acceptum aduerſo ore decorum vulnus, ei & impigri peritiq; ducis, & ſtrenui militis nomen authoritatemq; conciliauêre. Indè poſt ſublatum è vita Auſtrium gubernacula Belgij tractante Alexandro Farneſio Parmæ Principe. Vicarius eſſe primum Bellinij Friſiæ Legionis Tribuni, eidem deindè legioni cum imperio ipſemet præeſſe, Bellinioq; ſuccedere ex merito iubetur. Schaffalterſilium primò ſummis viribus obſeſſum expugnatumq;: Auerdenſilium poſteá opere militeq; egregiè munitum, altera oppugnatione, præſidiariis cum Tribuno ad internecionem cæſis, captum. Quibus perpetuó victoriarum curſu poſteà continuatis, Winshumenſis propugnaculi ſucceſsit deditio. Neuenarium Comitem eò coniectum, tanta tamque incredibili celeritate circumſedit, ita, vt cum breui neq; qua reſiſteret, neq; qua elaberetur, Comiti conſtaret, cum eo quòd diximus, propugnaculo, quicquid præterea in Groningenti territorio ipſi parebat, Taxio Regis Hiſpani nomine cedere dedereq; coactum Eodem porrò impetu, eademque virtute, & ordinum militem, qui ad Auerdam ipſi inſidias collocauerat, ſuſtinuit, fudit, fugauit, & Garam profligato hoſte, captoq; Zelandiæ Troſſardo obſidione liberauit: & propè Suollam inſignem de Anglis, qui Ordinibus militauerant victoriam reportauit. Quam verò fortem fidelemq; operam Parmenſi in obſidione Antuerpiæ donec ea in poteſtatem redigeretur, præſtitit, eandem etiam in ſoluenda Bronkhorſtij firmiſsimi propugnaculi obſidione non minus feliciter adhibuit: immiſſoq; commeatu, & recenti milite, hoſtium conatus irritos fecit Zutphaniam porrò inſigni ſtratagemate recuperauit. Occupata is noctis beneficio per milites ſuos ea, quę excubiis diurnis deſtinata erat, portę vrbis penè cõtigua domuncula, ijsq; qui manè portas vrbis concluſerant, cæſis, vrbem penè in poteſtatem redegit, quam quid ageretur excuſſo ſomno ciues intelligere poſſent. Re iſthac fortiter patrata in Veluam poſtea excurrit. Iſthic etiam non tantum complures munitiones hoſtium ſuæ poteſtatis fecit, quin etiam vt hoſtibus tantò magis incommodaret, in vlteriore Iſolæ fluuij ripa vrbi Zutphaniæ oppoſita propugnaculum ipſe extruxit, & continuata opera egregiè muniuit. Id verò ordines vehementer pupugit. Milite igitur celerrimè coacto, ad depellendum vrbẽ, propugnaculoq; Taxium, cum expeditis copijs & exercitu Comitem Holachium mittunt. Hæ Taxianas duplò excedebant, & iam erectis hinc indè quindecim munitionibus, eam quam Taxium conſtruxiſſe diximus indagine propè clauſerant. Sed neq; vel hæ tantæ vires, efficere potuerunt, vt non obortus vel à ſola ſaltem Taxianæ virtutis memoria metus, hæc omnia facilè diſpulerit, arrepta enim deſertis munitionibus fæda atq; turpi fuga Taxio incruentam victoriam relinquere, quam aperta in planicie, in quam elicere eos è munitionibus omni arte ſtudebat, collatis cum eo ſignis ancipiti Marte confligere maluerunt. Hanc victoriam non longè poſt illa de ſtrenuiſsimo hoſtium Duce Schenkio ſecuta eſt Statiua is lectiſsimis cum equitum peditumq; copiis, atq; Neuenario Comite habebat in pago Amerongeſi. Eum indè depellere iuſſus, à Verdugio Friſię gubernatore Taxius, bona copiarum parte in inſidijs collocata, turmas aliquot in hoſtem progredi iubet. Inuadit iſtas Neuenarius, atq; vtrinq; acerrimè pugnatur: donec in inſidias præcipitatus hoſtis, & à tergo pariter & à fronte cæditur, ac ſuperatur. Venêre in poteſtatem præter Vilerium Vltraiecti Gubernatorem, tres & triginta præfectos atq; inſigniores nobiles alios, equites ſupra quadringenti, reliqui cum Schenkio atq; Neuenario fuga ægrê elapſi, pedes occidione deletus eſt. Zutphania poſteà iterum tentata, Roberti Leyceſtrij Comitis Angli vim impetumq; omniaque adeò grauiſsimæ obſidionis incommoda acerrimè propugnante Taxio fortiſsimé conſtantiſsiméq; ſuſtinuit. Qua demum obſidione, aduentante cum auxiliaribus copijs Parmenſe, ſoluta: atque Leijceſtrio cum ſummo damno, nec non minori ignominia caſtris excedere coacto, Taxius è ciuitate prodiens ab obuio Parmenſi oſculo, vrbisque honorificentiſsimis exceptus, ab excellenti fortitudine induſtriaque militari iuſtam, meritamque laudem abſpottauit. Pactus deindè cum Stenskio Anglorum Tribuno Dauentriam, mox etiam cum arce Burikium Schenkij oppidum: Alpenſem item Comitatum breui conditionibus in poteſtatem redegit. Quin vt hoſti vndiquaque grauiſsimè obſtaret, munitionem inſignem à ſe Taxiam dictam in Rheni ripa, vt libero fluminis vſu Ordines arceret, VVeſaliam propè conſtruxit. Poſtremò cum Carolus Chymæus Princeps flagitante Archiepiſcopo Colonienſe, ad recipiendam inſigni Schenkij ſtratagemate non ita pridem occupatam Bonnam à Parmenſe miſſus oppugnationem pararet, infirmiora vrbis loca incautius perluſtrans Taxius, ſphera traiectus vitam finiit. Corpus ab hoſte redemptum, Coloniæ apud Minoritas, inſtituti Diui Franciſci monachos, vti viuens iuſſerat, ſplendido ſepulchro conditum fuit.



PETRVS
STROZZA FLORENTINVS.

PETRVS Strozza ex nobili Strozzia familia, patre Philippo, matre verò Clariſſa, ſorore Laurentij Florentinorum Ducis Florentiæ anno Milleſimo Quingenteſimo & Decimo natus. Juuenis ſub Marcelli Ceruini (q poſteà ſummus Pontifex fuit) inſtitutione in literis magnos progreſſus fecit, & licet de ipſo iuuene in Cardinalium ordinem allegendo ageretur, animus tamen ipſius ad armorũ ſtudium inclinabat. Ad Galliarum Regem Franciſcum profectus, regiamq; aulam ſecutus, à Rege multo honore affectus in Galliam Subalpinam mittitur, vbi primum militiæ ſuæ gradum poſuit, ſtrenuiq; militis officia præſtitit, cum Borgia expugnata, noctu oppidum Raconiſium inuaderet, primusq; omnium Cæſare Fregoſio equitum ſubſidia adducente per arcem intraret. Ea tempeſtate inter Cæſarem Carolum V. & Galliæ Regem ob Cęſaris Fregoſij & Rangonis gallicorum legatorum ad Ticini Oſtium ſubmerſionẽ inducijs ruptis, proprio ſumptu quadringentos ſclopettarios equites per Italiam cõſcripſit, in Galliam penetrãs, Landreſium Cæſareanis nec quicquam reſiſtentibus, atq; ipſo Ferdinando Gonzaga pugnante, intrauit, Franciſcoque Atteſtino Ferrarienſi capto, oportuniſsimas Guiſæ oppido maximi momenti ſuppetias tulit, adeò, vt Cęſar qui ad id oppugnandum auguſta ſua præſentia feſtinabat, Strozziani præſidij nuncio audito, pedem retulerit. Luzemburgum ab ipſo quaſſatum, atque vi expugnatum, & à Cæſare continuò repetitum, pleniſsimo rerum omnium commeatu, per medios hoſtes vi illato oportunè iuuit. Quare à Rege non ſolùm opulentioribus in Gallia prouentibus, ſed illi etiam imperium ab omni alio ſuperiori, regio quoq; mandato immune in quinq; militum vexilla commiſſum. A Rege per Rheticas alpes in Italiam miſſus, impatiens moræ, quod promiſsi equites tardius aduenirent, & Teſij Montiferrato præfecti ſegnitie deceptus, ad Sarauallem oppidum incredibile totius exercitus ſui profligati & diſsipati detrimentum accepit. Inuictos nihiloſecius ſpiritus gerens, ex ſuo ęre nouo exercitu conſcripto, & ad Mirandulam coacto, inuſitatis tramitibus per Liguſticos montes in Pedemontanam regionem penetrauit, atq; eò pręclarius tunc ſuam operam probauit, quo fortius coniunctis cum Anghiano copiis Albam Pompeiam adortus eam in poteſtatem redegit. Cùm Rex naualem claſſem contra Anglos inſtrueret, ſolus Strozza vnam ſibi leuiſsimam triremem eamq; omni maritimo apparatu inſtructam delegit, multasque Britannorum naues cepit, & depreſsit, omnia demum hoſtium penetralia ſpeculatus, ad Regem nuncius rerum certiſsimus reuerſus eſt. Mortuo Franciſco Rege, à ſucceſſore eius filio Henrico in ordinem equeſtrem ſancti Michaelis conchiliatum aſſumptus paulò pòſt ab eodem vniuerſi Italici exercitus imperator creatus, Gallicæ Claſsi contra Scotiæ Regem cum ſummo imperio præfectus, adeò velox ad inimica littora appulit, vt omnes ad vnum milites intra breuiſsimum ſex horarum ſpacium ſtupenda celeritate in terram expoſuerit. Cum Parma duob9 lectiſsimis tùm Pontificis, tùm Cæſaris exercitibus vndiq; obſideretur, impauidus Strozza ſex peditum millibus, atq; quingẽtis cataphractis tàm feſtinum iter viginti quatuor horarum ſpatio confecit, vt, hoſtibus nihil tale ſuſpicantibus, cum cohortibus ſuis ciuitatẽ ingreſſus ſit, ſequenti die hoſtem aggreſſus, tantam ſtragem ediderit, vt ſi mille tantũ milites ſubmitterentur, inimicus toto campo cedere coactus fuiſſet, ſed ab Octauio Parmenſi Duce certis ex cauſis reuocatus eſt. Triduò pòſt certior factus aliquot vexilla Hiſpanorum militum ex Senenſi agro aduentare, mira celeritate obuiam procedens eos ad interneccionem cecîdit. Nec minorem militaris virtutis induſtriam in defenſione Metenſis vrbis apud Mediomatrices demonſtrauit, vbi licet, iam mænia ab hoſte magna ex parte continuis tormentorum ictibus proſtrata eſſent, ea tamen cum ſumma Cæſareanorum obſidentium admiratione contra omnem vlteriorem vim ita reſtaurauit & firmauit, vt breui pòſt obſidio ſoluta fuerit. In Senenſi bello à Rege rurſus in Italiam cum florentiſsimo, exercitu & ampliſsima autoritate miſſus eſt. Quę expeditio licet, fortiſsimi, prudentiſsimiq; ducis officium nullum intermiſiſſet, aduerſante tamen fortuna, cum minus feliciter procederet, & ob id apud Regem ab inuidis ignauiæ & militaris imprudentiæ accuſaretur, magnificentiſsimo illius teſtimonio ab hac calumnia non ſolum abſolutus, verumetiam propter probatæ virtutis merita Mareſchallus Regni, quod apud Gallos maximæ dignitatis officium, creatus eſt. Orto poſtea inter Paulum Quartum Pontificem & Hiſpaniarum Regem bello, Strozza Pontifici auxiliares copias adduxit, & primo impetu munimẽtum ab Hiſpanis ad Tiberim extructũ occupauit, nec minus Vicouarronium incredibili manus & ingenij ſtrenuitate expugnauit, Romamque veluti triumphator ingreſſus, infinita & gratulabunda hominum multitudine occurrente, vrbis liberator acclamatus eſt. Pontifex verò in virtutis ſuæ remunerationem fratrem ipſius in Cardinalium numerum cooptauit. Poſtremò cum Diuoduri, quod Theonuilla vulgò dicitur, obſidionem moliretur, vineis peritè conſtructis, & in margine foſſæ tormentorum munitione erecta, totam circumluſtrans vrbem, ad hanc capiendam neceſſariæ præparationis ſatageret fatali ſuo inſortunio tormenti minoris globulus ſecundum pupillam eum tranſiecit, ſubitaneoq; & improuiſo ictu proſtrauit. Strozzæ manibus Guiſius Teonuillæ vaſtitat emiſeraque militum trucidatione parentauit. Rex verò grauiſsimum optimi maximiq; Ducis interitum ex animo deflens atratas veſtes vnà cum tota regia aula doloris cauſa indutus non ſine gemitu tanti heròis iacturam teſtatus eſt: Theonuillæ victoriam propter vnam Strozzæ mortem maximo detrimento ſibi accidiſſe, vti eccontra Hiſpaniarum Rex, qui antea cleeberrima Strozzæ virtute incenſus eum ad ſua ſtipendia ſæpius inuitauerat, ſe non eo prælio victum, ſed victorem euaſiſſe, quando hoſtis Strozza cadente plus amiſiſſet, quam acquiſiuerat, profeſſus.



PHILIPPVS
LANDTGRAVIVS HASSIÆ.

PHILIPPVS Haſsiæ Landtgrauius Gulielmorum eiuſdem nominis fratrum medij ex Anna Megapolitana filius, anno Milleſimo Quingenteſimo quarto natus eſt decima tertia Nouembris, princeps fuit animoſus, prudentiſsimi ſagaciſsimique conſilii, ſuæ religionis ſub proteſtantium nomine acerrimus defenſor. Anno Viceſimo ſecundo Academiam Marpurgenſem fundauit.

Bellum contra Archiepiſcopum Moguntinum Albertum Marchionem Brandenburgenſem, eiuſque ſocium Epiſcopum Herbipolitanum, quos arma contra ſe parare, Vicecancellarij cuiuſdam Georgij Saxoniæ Ducis adulteratis literis, & efficto ipſius Ducis ſigillo munitis deceptus inaudierat, mouit. Quamuis autem fraus falſitasq; tempeſtiue detecta eſſet, Georgius quoq; Saxo innocentiam ſuam declaraſſet, Moguntinus tamen, & Herbipolenſis belli cladem à ſe niſi centum millia aureorum numerarentur auertere nõ potuerunt: Imparatis enim magnus imminebat exercitus, cui ditiones ſuas diuexandas, & populandas obijcere noluerunt. Vdalricum VVirtenbergenſem Ducem paterno regno expulſum, in Ducatum ſuum, quem Ferdinandus Rex poſsidebat reſtituere volens, pactus prius cum Galliarum Rege copias cõſcripſit, qua in re ne temerè agere videretur, tam ad Carolum Quintum Cæſarem, quam ad Ferdinandum fratrem legatos miſit, qui ipſius nomine rogarent, atq; peterent, vt Duci Vdalrico Ducatus VVirtenbergenſis, cuius ipſe ſit legitimus dominus, & hæres redderetur. Nam quod Vdalricus Reutlinga ciuitate occupata, ſtatus Imperij offenderit, & ob id Ducatu ſuo priuatus eſſet, non vſq; adeò magnam eſſe culpam, cum quidem mulctam ipſo delicto longè grauiorem tanto tempore ſuo Ducatu carens perſoluerit. Cum vero Landtgrauius reſponſum minus expectatum accepiſſet, & Ferdinandus Rex iure ac legibus agere vellet, conſeſtim cum vniuerſo exercitu in Ducatum VVirtenbergenſem rectà contendit, ibiq; cum hoſte, qui pro Ferdinando Rege ſub Philippo Palatino belli duce in præſidijs erat ſtatim conflixit, ac Palatinus cum Regio exercitu profligatus eſt. Poſt hanc victoriam in toto Ducatu ſtatim facta eſt deditio, quem paucis poſt diebus Dux Vdalricus in ſuam poteſtatem & regimen recepit. Cum autem his rebus peractis Landtgrauius de animo Cæſaris ac Regis dubitaret, an non ſortè contra ipſum aliquid molirentur, cum exercitu ſuo ſupra Vlmam ad Danubium conſtitit, atq; ibi cauſæ compoſitionem, vel euentum diuerſum expectauit. Intercedentibus autem Alberto Archiepiſcopo Moguntino, Georgio & Iohanne Friderico Saxoniæ Ducibus Cæſari ac Regi reconciliatus eſt. Monaſterienſem poſteà vrbem ab Anabaptiſtis occupatam coniunctis cum alijs Principibus copijs expuguare iuuit. Sub initio gliſcentis in Germania propter religionem belli, Landtgrauius Cæſarem nouationes in religione, non æquo animo ferre intelligens, cum Tigurinis, Argentinenſibus, & Baſileenſibus in ſex annos fædus percuſsit, vt ſi qua vis à Cæſare religionis cauſa inferretur, mutuis ſe auxilijs tuerentur. Re autem ad apertum bellum perueniente, fæderi Smalcaldico acceſsit. Huius fæderis poſt Iohannem Fridericum Saxoniæ Electorem ſummus legatus electus, Henricum Iuniorem Ducem Brunſuicenſem Cæſaris partes ſequentem, hoſtiliterq; agentem, vt ſuo muneri ſatisfaceret ditione pepulit, eumq; poſteà in prælio victum cum Carolo victore filio cepit. Cum Saxoniæ Electore à Cæſare proſcriptus ad defenſionem ſe parauit, & cum eodem ad Ingolſtadium coniunctis exercitibus caſtra metatus eſt, quò etiam Cæſar peruenit. De ratione belli ſententiam dicere iuſſus, cum legionibus duabus in caſtra Cæſaris, foſſoribus aggeres euertentibus, foſſasq; obruentibus primum aliquot cohortibus irrumpendum, deindè cum omnibus copijs ſtatim ſequendum, ſumma vi irruendum, nec ſine effectu tempus trahendum fore conſuluit. Quæ ſententia ſi in concilio viciſſet, victoria in manu fuiſſet, ſuperiores enim erant ipſi Duces equitum numero, & Cæſaris caſtra foſſa haud admodum alta, & aggere humili circumdata. Itaq; cum inter ipſos non conueniret, hæc diſſenſio Cæſari fuit prima ad inſecutam victoriam via. Oppugnationem tamen caſtrorum Cæſareanorum aliquoties nihilominus ſed fruſtrà tentauit. Appropinquante hyberno tẽpore diuiſo exercitu Elector in Saxoniam, Landtgrauius in ſuam prouinciam ſeceſsit. Capto poſtmodum Electore, Brandenburgicus, & Mauritius Saxoniæ Dux, vt Landtgrauio certis conditionibus pax impetraretur apud Cæſarem egerunt, quibus præſcriptis Halæ Saxonum ad Cæſarem ſupplex veniens, capitis quidem pœnam euaſit, præter ſpem tamen ab Albano retentus, Cæſarem ſequi iuſſus, & in Belgium ductus Mechliniæ cuſtodiæ traditus eſt, in qua ad quinquennium remanſit. Poſtea procurante eodem Mauritio iam Saxoniæ Electore, qui Cæſarem Oeniponte degentem nihil minus ſuſpicantem armis perſequebatur, patriæ reſtitutus eſt, quam poſteà in pace cum apud omnes exiſtimationis authoritate quindecim adhuc annos rexit. Deceſsit anno Milleſimo Quingenteſimo Sexuageſimo ſeptimo, anno Regiminis Quinquageſimo.



SEBASTIANVS
SCHERTELIVS A BVRTENBACH.

SEBASTIANVS Schertelius à Burtenbach pręcla-
ris parentibus in Sueuia natus, adoleſcens Muſas coluit, iu-
uenis herôica indole præditus animum ad rei militaris diſcipli-
nam applicuit, vniuerſum quaſi vitæ ſpatium in bellicis actioni-
bus conſumpſit, tantumq; hac in parte excelluit, vt equitis aurati
inſignibus bis fuerit condecoratus. Ætatis ſuę anno viceſimo ſecundo in eo bello, quando Maximi-
lianus primus Cæſar Franciſcum Sickingium tumultuantem perſequebatur, prima belli rudimenta
poſuit. Deinde Caroli Quinti Imperatoris auſpiciis in Geldrica, Picardica & Valencenenſi expeditioni-
bus ſub comite Friderico Fürſtenbergio bellicæ virtutis ſpecimen præbuit tàm eximium, vt Ludouicus
Comes Helffenſtainius exercitus illius, qui ad Crupam ab obſidione Turcica liberandam mittebatur, ſupre-
mus dux duobus eum militum ſignis præfecerit. Inde rege Galliarum Nouariam oppugnante Mediolanum
ſuis ſumptibus petens Cæſareis copiis ſe adiunxit, quorum auxilio hoſtes Galli cum Heluetiis ad quadragiuta
millia cæſi. Nec minorem laudem & gloriam ex pugna memorabili cum Gallorum rege Franciſco ad Ticinum
commiſſa reportauit, vbi tres Nauarræ, Angliæ, & Scotiæ reges occiſi, Gallus verò captus & in Hiſpaniam du-
ctus. Schertelius autem propter ſingulare militaris fortitudiuis & induſtriæ editum exemplũ à Prorege Nea-
politano prima equeſtris dignitatis inſignia recepit. Cum ruſticorum tumultus plurimis in locis Germaniæ
exorirentur, ad hos ſopiendos Schertelius pręcipuè à confœderatis principibus euocatur, & breui multa mil-
lia illorum partim trucidata, partim in poteſtatem ven[illegible]at, Wirzburgũ, Shueinfortum & Bamberga ciui-
tates anteà ab ipſis occupatæ rurſus receptæ. Poſteaq̃ in Germania turbæ quieuiſſent, cum Georgio Freund-
ſpergio Mediolanum ad obſidionem, qua filius eius Caſparus à confœderatorũ exercitu arctiſsimè preme-
batur, leuandam contendit. Hinc, ſoluta obſidione & hoſtibus retrocedentibus, ad Caroli Borbonij ſupremi
belli ducis imperium cum Cæſareanis Romam conceſsit, eiusq; expugnationi interfuit. In diſceſſu Narniam
ciuitatem exercitum nec intromittere, nec victualia pro numerata pecunia prębere volentem vi expugnauit.
Lotrechio Gallici exercitus Imperatore Neapolitanæ vrbis obſidioni imminente, Schertelius cum ſuis colle-
gis Neapolim profectus eſt, vbi duriſsimam perpeſsi obſidionem eruperunt, & Galli ad internecionem cum
Lotrechio ac aliis præclaris militum præfectis ceciderunt, & non minoris authoritatis quàm plurimi capti.
Neapolim relinquens, Vrſinos, qui Aquilam ciuitatem cum aliquot oppidis ceperant, ſuperatis præruptis lo-
cis & alpibus, recepta Matrice ciuitate, multisq; occiſis profligauit. Eo tempore, quo Turcarum Imperator So-
limannus ingentibus viribus Viennã appropinquaret, tyrannus tamen re ſibi minus ex ſententia ſuccedente
fugam turpiter arriperet, relictis poſt ſe viginti millibus leuis armaturæ equitibus, qui prædam ex Chriſtianis
agerent, ferroq; & igni finitima quęq; vaſtarent, ac iam â Turcis Gunzium oppidum obſideretur, Schertelius
à Bauariæ principibus, Republica Auguſtana, & aliis confæderatis Sueuiæ & Imperij ciuitatibus conductus,
cum aliquot equitum & pedeſtrium turmis in Vngariam contendit. Vbi à Friderico Palatino Rheni Ele-
ctore Imperialis exercitus ſupremo duce, omnium pedeſtrium copiarum Tribunus cum ſumma poteſtate
conſtituitur. Quo officio ita viriliter audacterq; functus eſt, vt Turcarum exercitum in ſylua quadam depre-
henſum parua ſuorũ manu proſtrauerit. Vndè factum eſt, vt à Rege Ferdinando cum prædicto Friderico Pa-
latino Viennam accerſitus, præſentibus aliis principibus & proceribus cum eodẽ Palatino ſecunda vice eques
auratus creatus, & regia remuneratione cumulatus eſt. Ad Carolum Cæſarem bellum aduerſus Gallię regem
in Gallia Narbonenſi gerentem cum Caſparo Freundſpergio & aliquot ſignis militum profectus Foſſanam
ciuitatem eiectis ſex millibus Gallorum recepit. Landtgrauio Haſsiæ Philippo aduerſus Henricum Brunſui-
cenſem inſignem operam præſtitit, donec VVulffenbeutelium munitiſsima arx expugnata, & poſtea dux
vnà cum Carolo filio in Landtgrauij poteſtatem venirent. Quando Cęſar in comitiis Spirenſibus noua con-
tra Gallorum regem ab imperij ordinibus auxilia impetrauerat, illius mandato in Richardi comitis Solmen-
ſis locum ſupremus totius exercitus Mareſchalcus conſtitutus eſt. In bello Schmalkaldico inter Cæſarẽ & ali-
quot principes orto ex ꝓteſtantiũ parte, ſupremi totius exercitus pedeſtris ducis munere functꝰ eſt, & ſi eius
conſilio, quo pugnam accelerandam ſuadebat, obtemperatum fuiſſet, Cæſar, cui auxiliares copiæ Belgicæ
nondum aduenerant, ex caſtris Ingolſtadienſibus terga vertere coactus fuiſſet. Finito bello, & captis
Iohanno Friderico Electore ac Philippo Landtgrauio Haſsiæ Cæſaris iram fugiens, ad Henricum Gal-
liæ regem ſe contulit, cuius ſtipendia merens, aliquot expeditionibus contra Cæſarem interfuit.
Tandem recõciliatus Cæſari, ab eodem & aliquot principibus Eccleſiaſticis & Secularibus Land-
ſpergici fœderis ſupremus militiæ tàm equeſtris, quam pedeſtris legatus cõſtituitur, &, ſi ſum-
mum ducem non perſonaliter in bellum proficiſci contingeret, eius ipſe locum ſuppleret. A
Ferdinando Cæſare cum duodecim ſignis in Vngariam vocatus, militem ſuis ſumptibus
per quinq; menſes aluit. Ad extremum à Maximiliano Secundo Romanorum Impe-
ratore, vt in Vngariam ſupremi militiæ Mareſchalci officio in bello contra Tur-
cam fungeretur, eligitur. Morbo autem impeditus, eam expeditionem ſuſci-
pere non potuit. Tandem cum per Germaniam, Italiam, Galliam, &
Vngariam fortiſsimum bellatorẽ pręſtitiſſet, ſenectam quie-
tam Auguſtæ Vindelicorum tranſigens completo vitæ
ſpatio obiit anno M. D. LXXVII. decima No-
uembris, ætatis octuageſimo.



CONRADVS
A BEMELBERG.

CONRADVS ex nobili, & perantiqua apud Hessos Bemelbergensium familia ortus, à prima statim adolescentia animo ad rei bellicæ studia propenso ad Caroli Quinti Romanorum Imperatoris castra se contulit, in quibus diutius versatus (neque enim materia belli vsquam deerat) magnum sibi armorum vsum, nec minorem strenuitatis existimationem comparauit. Bello Ticinensi, in quo Germanorum peditum vexillationi cum imperio pręfuit, multa egregia tam robusti, & animosi militis, quam prudentis, & circumspecti ducis facinora edidit, & victoriam in Francisci Galliæ Regis captiuitate celeberrimam pro virili adiuuit. Anno deindè Vigesimo septimo post mille Quingentos, cum Georgius Freundspergius ob aduersam valetudinem ex itinere Romanensi Ferrariæ substitisset, Bemelbergius propter spectatam multis bellis virtutem in ipsius locũ substitutus, & trigintasex Germanorum peditum signis præfectus, expugnationi vrbis Romę interfuit, vndè multa cum pręda onustus domum redijt. Continuis deinceps bellis, quę Carolo Cæsari in Italia, Belgio, & alijs locis fuêre, nusquam abfuit. In expeditionibus enim Veronensi quindecim, Mediomatricensi decem, Hesdinensi decem, ad Sanctum Quintinum decem, ad Sanctum Desirium viginti cohortibus Germanicis præfuit. In Vngaria circa annum orbis ab inferis asserti Tricesimum secundum magnum sibi virtutis cum quadraginta duobus militum signis & moderationis decus peperit. Quare cum posteà Ratisbonæ in Imperij Comitijs Principes expeditionem in Vngariam decreuissent, Bemelbergius vniuerso peditatui, qui octuagintaquatuor signis constabat cum imperio præfectus est. Quo bello nonnulla Turcis loca erepta sunt, & ipse finito eo bello exercitum incolumem domum reduxit, atque ob egregiam præstitam operam militarem equestri dignitate à Carolo Cæsare decoratus est. Bello deindè Smalcaldico peditum aliquot ordines duxit, vbi, quantum corporis, & animi robore, longoq; bellandi vsu valeret egregiè demonstrauit. Tandem ætate, & varijs bellorum molestiis, ac laboribus defessus, Ehingam Sueuiæ ciuitatem se contulit, vbi præfecturam, quæ ipsi emerito in militiæ præmium concessa fuerat ad maximam senectutem peruenit. Hic ad discrimen Henrici de Putlarn equitis procera statura excelsi à militibus paruus Hessus nominabatur.



GEORGIVS
CASTRIOTVS SCANDERBEGHVS.

GEORGIVS Caſtriotus Scanderbeghus Epiri Princeps, excelſa fuit ſtatura, toroſoq; habitu, & robuſtis artubus conſpiciendus, virtute animi, militarique ſcientia nemini ſecundus. Hunc pater eius Iohannes, cum in Epiro, eaque parte Macedoniæ, quæ ad Hadriaticum vergit, regnaret, nec finitima Turcarum arma ſuſtineret, his legibus ab Amurathe pacem impetrauit, vt ei obſides filios daret. Inter quos, cum Georgius regij animi indole, & forma inſigni corporis emineret, nec obſcura ſummi ducis futuri vultu geſtuque corporis præberet indicia, tantam apud Amurathem inijt gratiam, vt eum in aula liberaliter educari inſtruiq; curauerit, & propter præſtantis ingenij, atque expediti conſilij vigorẽ, qui in certaminibus ludicris conſpiciebatur, miramq; robuſti corporis vim, qua cunctos æquales ſuperabat, Scanderbeghus hoc eſt Alexander à Turcis cognominatus ſit. Tanto autem ſucceſſu omnem armorum eius gentis exercitationem celeriter hauſit, vt ante pubertatis annos Sangiakus efficeretur, & in Aſiam aduerſus Ciliciæ Regem mitteretur, quo bello ſummam laudem rebus feliciter geſtis eſt conſecutus eoq; pleniorem, quod ſingulari certamine Scytham multarum palmarum, & magno robore gladiatorem ſuperbè vires oſtentantẽ & prouocantem confeciſſet, perſimili etiam auſu Perſa inſignis dux equeſtris pugnam ciens, paremq; ſibi bellatorem ex hoſtili acie ad certamẽ inuitans, ab eo haſta transfixus proſtratusq; fuiſſet. Vnde tantam nominis claritatem comparauit, vt deinceps bellica laude, & ſingulari Amurathis gratia facilè cæteros vicerit. In qua dum floreret patrem amiſit. Ottomanica arma ipſius ditionis vrbes, atq; oppida impotenter occuparunt. Amurathes quidem Lachrimanti Scanderbegho ſpem dabat, ſe maturè paterni Imperij ditionem ei conceſſurum, ſed nihil aſtutis barbari Regis promiſsis credens, inſigni calliditate ſolertiaq; vſus in Epirum euaſit, & à ſuis legitimi Principis prolem agnoſcentibus Princeps acclamatus, tanta animorum propenſione liberatæ gentis eſt vſus, vt occupata à Turcis paternæ ditionis loca magna cum celeritate receperit, & arma, quorum vſum in Amurathis aula didicerat, ita in ipſum eiusque filium Mahometem multos poſteà annos exercuerit, adeò quod ex Chriſtianis Principibus vix alius plura ipſi damna intulerit. Amurathes enim poſt deletas à Georgio aliquot Legatorum copias, ipſe in Epirum progreſſus, in obſidione Croiæ ciuitatis, poſt aduerſas aliquot pugnas ex animi ægritudine ob irritos conatus concepta mortem in caſtris obiit. Mahometes verò filius poſt ſeptem Baſſas acie victos, & caſtris exutos inducias cum illo pegigit. Induciarum tempore Caſtriotus ab Alphonſo Arragonio Neapolitano Rege in auxilium vocatus contra Andegauenſem, memor veteris amicitiæ, & acceptorum beneficiorum, ita ipſi maturè proſpereq; opem tulit, vt eius aduentu Gallorum copiæ profligatę ſint, & Rex pręcipua Georgij virtute ſe conſeruatum profiteretur. Induciis exactis, Mahometes, qui Byzantium interfecto Gręcorum Imperatore ceperat, iterum in Epirum profectus, quoad vixit Georgius Croiam nulla vi expugnare potuit. Romam deindè profectus Caſtriotus, arma Chriſtianorum Principum à Summo Pontificè neceſſariò ſollicitanda, quibus Turcarum conatibus obuiam iretur multis argumentis demonſtrauit, ſuamque operam in ducendo exercitu obtulit. Statuerat quoq; Pontifex eum non totius Epiri modò, ſed Macedoniæ quoq; Regem creare. Ea ſpe ob domeſtica Principum Chriſtianorum odia & contentiones deſtitutus, in patriam rediit, nec quicquam poſteà ſua laude dignum geſsit, & Lyſsi ad Dryllum annem de bellicis rebus cum præfecto Veneto conſultantem læthalis eum febris corripuit. Fatalem horam adeſſe ſentiens, impuberem filium Ioannem, totius Regni opes, & copias Veneto Senatui commendauit. Nec multò poſt è vita ſublatus eſt anno ætatis Sexageſimo tertio, à partu verò Virginis Sexageſimo ſeptimo ſupra Quadringenteſimum & Milleſimum. Habuit in conuictu (cùm perpetuas aleret copias) lectiſsimorum hominũ amplius duo millia, nec vnquam auctis copiis maius militiæ robur, quam ſena equitum, ternaq; peditum expeditorum millia hoſtibus oppoſuit. Delectu enim veterani militis, non numero victorias parari prædicabat. Horum nomina factaq; memoriter tenere conſueuerat, ſummusq; illi erat honos, cui ipſe diſcumbens de patera ſua propinâſſet, qua comitate coniuncta cunctis in rebus ſumma liberalitate ſuos ſibi maximè conciliabat, quando etiam in eo ſumma pietas emineret. Vbi verò armatus prodibat, tanta oculorũ alacritate, tamq; hilari facundia milites ad cuncta ardua aggredienda accendebat, vt non eximiè modò pugnaces, ſed ferociſsimos, contemptoresq; impiorum hominum efficeret. Memorię proditum eſt Georgium nunq̃ detrectâſſe pugnam, nullo vnq̃ in diſcrimine metu occupatum, nunq̃ vulneratum, niſi leui ſemel ſagitta in crure fuiſſe, & ſupra duo Barbarorum millia diuerſis in præliis ſua manu interfeciſſe, quandò ſingulis tantum ictibus ſingulos qui congreſsi ſunt cõficere eſſet ſolitus, quod pręgrandi ponderoſoq; acinace, tàm validè quàm peritè vteretur, quo medios hoſtes ad vmbili cum proſcinderet & tranſuerſos diuideret. Quarũ immanium vulnerum truculentiam hoſtes, qui ex præliis euaſiſſent, cum in aula Byzantij admirantibus cunctis enarrarent, Mahometes ipſe illum potentis dextræ, inuſitatæq; violentiæ gladium videre concupiuit. Tanta autem inuſitatæ eius virtutis fama fuit, vt Turcę poſt mortem eius ſubacta ferè tota Epiro ſepulchrum Scanderbeghi apud Liſſum quæritarent, admirabundi venerarentur, necnon ſuperſtitioſi homines eruta demum ſepulchro tanti herôis oſſa religiosè diriperent, quum quiſq; ſe bello inuictum, tutumq; fore crederet, ſi fruſtulum ex oſsibus, reliquiiſq; inuictiſsimi Imperatoris de collo ſuſpenſum in prælium iturus pro annuleto geſtaret.



ALBERTVS MARCHIO BRANDENBVRGENSIS ELECTOR.

ALBERTVS propter animi magnitudinem, fortitudinemq; corporis Achilles Germanicus,& Teutonicus Vliſſes à Pio Secundo ,Summo Pontifice cognominatus Marchio Brandenburgenſis Elector poſt fratrem, Dux Pomeraniæ , Stetini, Caſſuborum, Vandalorumq́ue , Burggrauius Norimbergenſis , & Princeps Rugiæ, natus anno Millelimo Quadringenteſimo Decimoquarto, patrem habuit Fridericum,eum,qui ab præſtitam Sigiſmundo Imperatori in Hungaricis, Bohemicis , & Imperij negotiis, ac bellis fidelem operam,& quod multa prudenter conſuluiſſet,magnaq́; pericula fortiter adijſſet,primus in ſua familia ab eodem Imperarore Marchiæ Brandenburgenſis Præfectus & Elector conſtitutus eſt,matrem verò Eliſabetham Friderici Ducis Bauariæ in Landshuet filiam.Is à prima ſtatim ætate,& à teneris (vt aiunt) vnguiculis educarus in armis,pluribus interfuit præliis,Poloniam, Sileſiam,Burgundiam,Boruſsiam,& penè omnes Germaniȩ angulos armatus peragrauit,ita vt neminem poſtea ex Germaniȩ principibus parem ſibi habuerit.Tāta ipſius authoritas,& celebritas nominis fuit,vt de ſum̃a Turcici belli prȩ cæteris Germaniȩ Principibus ipſi committenda deliberatum ſit,cum tacito conſenſu eum omnes ſibi præferendum iudicauerint. In Bohemiam ad Albertum Quintum Auſtriacum,Romanorum Imperatorem vocarus, cum Vladiſlaus Poloniæ Rex duplici exercitu Sileſiam ingreſſus eſſet, Cæſar,Sileſiis id petentibus, Brandenburgicum finium defenſorem,ac iniuriarum vindicem dedit , & ad fortiter agendum illum adhortatus eſt. Non opus erat Alberto longa ad virturem exhortatione,quinpotius per ſe ſatis animatus in Polonorum agrum excurrens , latè prȩdas agebat,obuia queq́; ferro ac igni vaſtabat,adeoq́; hoſtē vexabat,vt armis diffiſus obuiam tendere nullus auderet,ſed pacis tractandæ actionem inſtitui poſtularet.Militem quoq́ue in Boruſsia habuit, multarum copiarum ductor.Primus ſemper in hoſtem irruit,poſtremus ſe ex pugna recepit. Complures ciuitates munitiſsimas expugnauit,primus inter primos in munimenta & mænia euaſit.Anno M. CCCC. XXXII.acre illi & diuturnum cum Norimbergenſibus exortum eſt bellum , in quo illis Principes pleriq́ue Germaniæ,bis verò ciuitates Imperiales opem ferebant,multis vtrinq́; ſtrenuis viris toto biennio occiſis. Nouem iuſta inter illos prælia depugnata fuiſſe,ex quibus illum octies victorem , ſemel victum deceſsiſſe memoriæ proditum eſt. Cum accepiſſet Norimbergenſes Octingentos equites ac ſex millia peditum in agrum eius prædatum miſiſſe,apud fluuium , quem ipſi equitibus peditibusq́ue tranſmiſſuri erant, vno duntaxat loco vadoſum, ſagitrarios inter arbuſta ducentos collocauit , qui , equitatu prætermiſſo pedites vado arcerent , ipſe cum ſexcentis equitibus proximo in nemore latitauit , omiſsis hoſtium equitibus , mox ſeſe oſtendit. Steterunt vtrinq́; acies medio trecentorum ferè paſſuum interuallo non ſine trepidatione. Tum Marchio cum duorum comitatu apprehenſa lancea in hoſtem irruit. Occurrerunt totidem illi ex hoſtibus viri fortes, Marchio equitē cum qui ſibi obuius factus eſt, medium transfodit, ſtrauitq́; , ac comitibus ſuis ab ijs,quibus congreſsi fuerant,proſtraris, ipſe in hoſtiū turmam ſolus irrupir,modò illum,modò alium confecir,ſtragemq́; non paruam edidit donec ad ſigna peruenirer.Illic centum in eum gladij nudati ſunt,& cum punctim ipſum circumuentū ferire non ignari quiſnam tanta auderer,nequirent cæſim rem egerunt.Ille amplexatus vtroq́; brachio vexillum,nunquam honeſtius, quam hic moriar inquit. Dum ſolus hæc cogitat,reliquus exercitus ſuppetias tulit,& verſis in fugam hoſtibus,ſemianimem Ducem apud vexillum cōperit,conquaſſatum & confractum. Cum aduerſus Albertum omnes ſuperioris Germaniæ ciuitates Norimbergenſes adiuuandos ſtatuiſſent,numeroſusq́; exercitus inſtrueretur,interrogauit quiſpiam,vt quid tantam gentem aduerſus vnum Principem, & eum quidem non ditiſsimum armarent , reſpondit vnus ex primoribus ciuitatum , deſipis (inquit) in Alberri aſtutia,& fortitudine omnium Germaniæ Principum vires opesq́; continentur.Hoc bello nō inter Germanos tantum,cum decem & ſeptem Principes in partes ſuas traxiſſet,ſed apud exteras quoq́; gentes clarum Alberti nomen redditum. Id bellum tandem, agris vaſtatis,& ruſticis profligatis,pace ex Alberti vſu facta, compoſitum eſt.In hoc Alberti non ſolùm militares artes , & Imperatoriæ virtutes , ſingulari quadam gratia reluxêre, ſed nobilitas quoq́; generis , proceritas corporis, virium robur, ac linguæ facundia eum cunctis admirabilem reddidere. Apud Fridericum Tertium Imperatorem beneuolentiam maximam contraxit,atq; effecit,vt Saxoniæ.Brandenburgica,& Haſsiaca domus certis inter ſe fœdecibus iungerentur. Ad ſingulare certamen prouocatus,nunquam hoc detrectauit,nunquam in ludo equeſtri equo deiectus.Septies & decies in ſingulari equeſtrium ludorum certamine , ex veteri Germanorum inſtituto ſolumodo galea & clipeo protectus concurrit,ſolus in omnibus haſtiludijs repertus,quem nemo vnquam ex equo deturbârit, cum ipſe alios ſæpè deiecerit.In Comitiis Francofordiēſibus,quæ pro Maximiliano primo creando Cæſare indicta fuerunt,mortem in balneo improuiſam obiir anno M. CCCC. LXXXVI.vndecimo Martij.Tumulatus eſt Hailbrunni. Vxores habuit duas Margaretam Iacobi Marchionis Badenſis, & Annam Friderici placidi,Ducis Saxoniæ Electoris,filias,ex quibus numeroſam prolem nimirum decem & nouem liberos ſuſcepit.



MATTHÆVS LANGIVS ARCHIEPISCOPVS SALISBVRGENSIS.

MATTHÆVS Langius à VVellenburg peruetuſta Patriciorum Auguſtanorum familia natus, ex Cæſareæ Cameræ Secretario Ptæpoſitus primum Auguſtenſis, deindè Epiſcopus Gurcenſis, ac poſtmodum ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardiaalis, & Maximiliani primi Cæſaris intimus Conſiliatius. Fuit vit ſingularis prudentiæ, & doctrinæ, magnificus, beneficus, & maximè hoſpitalis, qui de omnibus infimis pariter, ac ſummis benè mereri ſtuduit. His artibus ſummum fauorem primum apud Maximilianum, deindè apud Carolum & Ferdinandum Imperatores ſibi parauit, & quoad vixit tetinuit, magnaq; apud ſummos Imperij ordines authoritate fuit. Per hunc Langium Maximilianus Cæſar Anno M. D. VIII. è ſuggeſtu non iam Regem vt hactenus, ſed Romanorum Imperatorem deinceps ſe promulgari itinere in Italiam edicto Tridenti iuſsit. Eodem anno Maximiliani nomine vna cum Margaretha illius filia Belgarum gubernatrice Cameracenſi conuentui, & fæderis conceptioni interfuit. Poſt Ludouici Galliarum Regis de Venetis ad Giradaddam victoriam, ad illum Cremonam à Maximiliauo ſub Iunij menſis initium anno Milleſimo Quingenteſimo Nono miſſus eſt. Ludouico Rege concilium vrgente, anno Decimo factus Epiſcopus Gurcenſis ad Conuentum Turonenſem Cęſaris Legatus in Gallias ſe contulit, vbi cum Rege nouum fœdus intet Maximilianum & illum compoſuit. Cumq; apud Regem Chriſtianiſsimum legatum agetet, Iulius Pontifex apud Maximilianum Cæſarem ſummoperè ſollicitabat, vt ipſe Gurcenſem ad ſe legaret, quod eo mediante multa pro gloria, incremento, amplitudineq; Germanicæ nationis, atq; ſuæ Maieſtatis decernere & conſtituere deliberauerit. Cęſar ne paci, ac tranquillitati Italię in aliquo defuiſſe videretur, Langium anno Vndecimo in Italiam ablegauit, & vicarius conſtitutus, de pace concilianda inter Iulium ſecundum Pontificem, & Ludouicum Galliarum Regem, Mantuę cum Patiſienſi Antiſtite Legato Gallico, & Bononię cum Pontifice congreſſus eſt, Mutinæ certos dies commoratus, authoritate qua fungebatur, exemptiones, & priuilegia toti territorio eſt largitus. Mutinam relinquens Bononiam petiit, vbi ingrediens honorificentiſsimè exceptus eſt. Propoſitis igitur conditionibus pacis inter Cęſarem, & Venetos, Pontifex Gurcenſi, ſi Cæſar aſſenſum accommodaret, pollicebatur ſe curaturum, quod nanciſcatut Patriarchatum Aquilegienſem, Cardinalatum, & quamplurimas eccleſiaſticas dignitates, vndè pro annuis tedditibus, & vectigalibus centum millia ducatorum colligere poſsit. At Gutcenſis nullis promiſsis, nullis item muneribus ſeu donis, quibus quotidiè quam magnificentiſsimè proſequebatur adduci, ſeu flecti potuit, quo mandatum ſibi iniunctum tranſgrederetur, iuxta quod, cum negotia expedire non liceret, infecta re à Pontifice diſceſsit. Anno Duodecimo Cæſar Langium ad Conuentum à Pontifice indictum miſit, quo ſoluto, Romam abiit, vbi Pontifex cum eo vti Cæſaris Legato fœdus pepigit, & Lateranenſe Concilium ſuo conſenſu ſui domini nomine præſens comprobauit. Monitoriis vti vocant litetis in Venetos impettatis Roma diſceſsit, & Maximilianum Sfortiam Cremonę aſſecutus Mediolanum deduxit, atq; eius ſolenni ritu celebratæ in augutationi adſuit. Anno eodē cum Ferdinandi Arragonij Regis legatis duobus Petro Vrea, & Ioanne Baptiſta Spinello in Germaniam de pace cum Venetis facienda rediit. Poſt Veronam à Liuiano tentatam, hoc Patauiū obſidente, Langius cum quinquaginta, & trecentis equitibus in Germanorum & Hiſpanorum caſtra venit, & Patauium obſideri voluit. In mortui Iulij Pontificis locum Leone decimo ſuffecto, itèrum Romam profectus eſt, Cæſatis Maximiliani, & Caroli tùm Archiducis nomine obſequium de more præſtitit. Aduenienti Leo Pontifex purpurati Senatus inſignia obuiam miſit, quibus Langius antequam ad vrbem veniret vti noluit, ſed & ibi re infecta diſceſſum eſt. Summa induſtria, ac fide effecit, vt celeberrimus ille Cæſaris, Ladiſlai Hungariæ ac Bohæmiæ, & Sigiſmundi Poloniæ Regum conuentus Viennæ haberetur, in quo ſublatis è medio ſimulatibus, pax firmata, & nepotibus Cæſaris ad ampliſsimorum Regnorum ſucceſsionem contractis huic indè matrimoniis via ſtrata eſt. Hinc adnitente Maximiliano Cæſare Archiepiſcopus Salisburgenſis electus & inauguratus eſt, anno Decimo nono. Eodem anno Maximiliano è viuis ſublato, Francoforti ad Septemvitos Imperij pro Carolo legationē obiuit, & voti compos, ſequenti anno Aquiſgrani in eius coronatione præſens fuit, & Imperij ordinibus eius nomine gratias egit. A coronatione domum rediens, ciues ſeditiosè agentes, debitamq; obedientiam præſtare nolentes contractis ex agro Tyrolenſi militibus, in fidem & obſequium redire coëgit. Qui cum ira nondum depoſita, violata pace, tuſticos paulò poſt, teligionis nomen ſeditioſis ſuis furoribus prętexentes, in vrbem, & fœdus admitterent, Langius in arce ſua, quæ ſupra ciuitatem eſt incluſus ſtrenuè ſe defendens, obſidionem facilè tolerauit, donec Ludouicus Bauariæ Dux Sueuici fæderis præfectus, occultis illius nunciis accerſitus, eo cum copiis aduentaret, qua re territi ruſtici, & cum iis confędetati, atma ponunt, & numerata in belli ſumptus pecunia, ſuo principi ſe permiſetunt. Cumq; Ludouico ad ſuos reuerſo nonnulli cæteris præfractiores bellum redintegtate niterentut, ab Archiepiſcopi militibus ad vnum omnes profligati ſunt. His tutbis ſublatis, reliquum tempus vitæ in pace vixit. Obiit Salisburgi anno M. D. XXXX. menſe Martio cum Eccleſiæ præfuiſſet annos XX. & menſes decem. Sepultus eſt in ſummo templo ante aram Diui Ruperti.


15.26

IOHANNES
MEDICES FLORENTINVS.

MEDICÆAM familiã Illuſtrem, & antiquam eſſe ex authenticis probationibus conſtat, ex qua literarum ſcientijs clariſsimas, ſummis dignitatibus eccleſiaſticis, vtpote Pontificia, Cardinalitiaq; ornatos, milites quoq; fortiſsimos prodiiſſe hiſtoriarum monumenta abundè teſtantur. Hæc igitur hunc Iohannem Hetruriæ Principem produxit. Paternum genus directo ſtemmate Laurentium Medicem, qui magni eius Coſmi germanus frater fuit reſpiciebat, quum maternum repeteret ab inuictiſsimo Franciſco Sfortia proauo, qui inſigni bellicæ virtutis felicitate Mediolanenſis imperij principatum poſteris ſuæ familiæ peperit. Huius erat neptis Catharina eo Galeacio principe progenita, cui coniurantium ciuium dira malignitas dominatum & vitam ademit. Hæc poſt defunctum Riarium primum maritum Iohanni patri eiuſdem nominis & Gallicas ſequenti partes nupſit, fatis ita diſponentibus, vt hic Ioannes paternũ ferens nomen, primo eoq; ſupremo eius coniugij partu ederetur, qui bellicum materni generis vigorem certo Medicææ magnificentiæ ſplendore cumularet. Cæterum trienis puer patrem amiſit, captaq; demum atq; exuta principatu Borgianis, & Gallicis armis Catharina matre, magnis aduerſæ fortunæ fluctibus iactatus eſt. Sed à matre demum ex captiuitate liberata Florentiæ educatus, eò ætatis incremento, vt eius tutelam benignè ſuſciperet Iacobus Saluiatus illuſtris ciuis, qui poſtea Ioannis ſocer fuit. Verum ea indole puer Martij ſpiritus habitum gerebat, vt pugnas & ſæpè cruentas inter æquales fereret, ac vulnere inflicto, quod videri poterat mortiferum, reclamente ſaucij pueri patre exilio mulctaretur. Verumenimuero, exacto demum vrbe Soderino, atq; introductis Medicæis in veterem dominatum, non multò pòſt adhæſit Leoni decimo familiæ Principi & ad Pontificatũ euecto. Nec diu dehinc Ioannes inter initia Vmbrici belli imberbis adhuc militiæ tyrocinium poſuit, atq; Laurentio Medici operã præclariſsimè nauauit, cum turmam equitum ſuo ære perornatam, vti nouæ laudis cupidus in aciem produxiſſet, multaq; admirandæ fortitudinis exempla illîc edidit. Mox nunquam belli vſu intermiſſo militarem diſciplinam in Italia ita reſtituit, vt eius copiæ, quas moriens reliquit, inuictæ exiſtimarentur. Adoleſcens à potentiſsimo aduerſario multis armis Romę circumuentus ſe ipſum viriliter defendit, eum deiecit & fudit. Parmenſi bello cum nocturno tempore Vicum oppidum adoriri vellet, magnum hoſtium numerum, qui ipſum ex inſidiis circumfluxerant, repreſsit & fugauit. Mediolano obſeſſo, dum deliberant principes, expediatne in mænia impreſsionem facere, non cunctatus arrepto vexillo primus per muri ruinas in vrbem irrupit, præſidium deiecit, & victoria potitus eſt. Cum Gallici exarcitus Imperator Mediolanenſem obſidionem ſoluens Abiagraſſam occupâſſet, indeque pro præſidio mille peditibus relictis diſcederet, obuiam habuit Iohannem, à quo cæſus, & oppidum vi occupatum. Inde Ticinum tranſiens comitante Vrbini Duce territorium & oppidum Garlas licet foſſa & aqua optimè munitum recepit. Abdua amne præcipiti ac verticoſo in hoſtium Gallorum tantam audaciam obſtupeſcentium conſpectu cum paucis ſuis traiectu territos adortus proſtrauit, occiſis eorum præcipui nominis ducibus Cabanno & Baiardo, & reliquas, relictis tormentis bellicis, fugam capere coëgit. Hoſtem fortiſsimum ad ſingulare equeſtreq; certamen prouocantem haſta per loricam pectore transfixo examinem reliquit. Rhætos in Cenomanis fudit & profligauit. Peculiaris alæ ſuæ præfectum, inſtaurato prælio, ex hoſtium Venetorum manibus eripuit. Heluetiorum ingentem exercitum, qui in Italiam irruerat, multa ac crudeliter agentem ad Corſum pagum malè mulctauit, pedem domum ſe referre compulit. Bello Ticinenſi Gallicis partibus adhærens iuſſu Franciſci primi Gallorum Regis locum extra vrbem caſtris regiis imminentem, quem Hiſpani munierant, acriterq; defendebant, adoritur, præſidio deiecto, diruit atq; incendit. Cum ipſius tres cohortes ab Antonij Leuæ militibus, qui in Ticinenſi præſidio erant, eſſent cæſæ & profligatæ, indignatus iurauit, non prius animo quieturum, quàm cæſis cohortibus ſuis Germanorum & Hiſpanorum ſanguine parentaret. Nec multò pòſt Antonij milites elicuit, & ſimulata fuga ad locum, vbi pedites equiteſq; condiderat, pertraxit, quos terribilis ac ferox inſtando cædendoq; adeò effuſè eſt perſecutus, vt multis interfectis, cæterós pauidos intra portam compelleret. Sed dum præclarè cohortes ſuas vltus in caſtra reuertitur, in itinere Boniuetus Gallus obuius æſtuantem, & hoſtili cruore oblitum, quodnam forti felicique dextra facinus ediderit, percunctatur, narrantem cunctã ordine orat, vt prælij locum oſtendere velit, eo modo, dum recentis cædis cadauera contemplantur, ab occulto humili loco plumbea glande dextro in crure grauiſsimè vulneratũ delatumq; in caſtra, & vix impotenti animo ſuſtinentem, quòd vulnere impeditus à toto militari opere ſubtraheretur, Franciſcus Rex inuiſit, ac cohortatus eſt, poſtquam adeò fortis eſſet, animum importuna ac inutili moleſtia liberare vellet, vt magnitudinis animi famam patientiæ laude cumularet. Nec multò pòſt, vt commodius conualeſceret à Piſcario Cæſarei exercitus ſummo duce impetrauit, vt Placentiam ſecundò Pado deueheretur, vbi annum viceſimum ſeptimum agens ex dolore vulneris obiit, quod temerè ſuſceptum haud dubiè longè omnium acerrimo & vigilantiſsimo propugnatore Gallica caſtra priuauit. Nemo enim adeò ignauus vel imbellis erat, qui eius ſigna non libenter ſequeretur, & cum eo in acie conſpici non cuperet, quando illinc certiſsima vel auerſo etiam euentu veræ virtutis gloria peteretur. Hic enim conſtantis animi, & indefeſsi vigoris ſe tyrones non multis annorum ſtipendiis, vti cæteri duces ſolerent, ſed paucis tumultuariis prælijs decora ac vtili diſciplina veteranos efficere prædicabat.



FERDINANDVS
BAVARIÆ DVX.

HIſtoriarum monumentis refertur, Tiberium Cæſarem cum fratrem Druſum graui atq; periculoſa valetudine in Germania conflictari cognouiſſet, protinus rapidum & præceps iter arripuiſſe, Alpes Rhenumq; tranſgreſſum mutaro ſubindè equo vno ſolo comire per gentes barbaras euaſiſſe. Ex quo colligi poteſt, quantum tantus vir amori fraterno tribuerit. Sed non minori in laude ponendum videtur, quod Illuſtriſsimus Bauariæ Dux Ferdinandus hoc noſtro ſeculo præſtitit. Is enim cum Erneſtum fratrem ſuum poſt Gebhardum Truchſeſsium excōmunicatum & exauctoratum, à Capirulo Colonienſi Archiepiſcopum & Imperij Septemvirum electum ab eodem Gebhardo, Carolo eius fratre, & alijs conſæderaris diuerſæ religionis bello petitū, in maxima difficultate verſari accepiſſet, omnibus negotiis poſt poſitis, periculiſq; omnibus contemptis exiguo comitatu in agrum Colonienſem ad fratrem Erneſtum ſe contulit. Qui quam expectatus gratuſq; illi aduenißet, vel ex eo liquere potuit, quod belli totius adminiſtraror, exercituſq; Imperator ab eo renunciatus fuerit. Quam ſanè prouinciam vrpote difficilem modeſtè quidem initiò renuit, ſed aſsiduis fratris precibus tandem commotus, eam imponi ſibi paſſus eſt. Ita verò munere & officio eo ſtrenuè ac fortiter functus eſt, vt nihil quod egregium belli ducem deceat, in eo deſiderari potuerit. Statim igitur dilapſo anteà diſsipatoq; exercitu Truchſeſsiano cum Comite Arenbergio arcem Popelſtorffenſem in agro Bonnenſi ſitam obſedit, oppugnauit, & tandem expugnauit. Qua capta caſtra confeſtim ad Montem Mercurij, Godeſberg appellatam, in altiſsima rupe ſitam poſuir. Hanc diu obſeſſam, actis tandem cuniculis, & diſruptis vi tormentarij pulueris propugnaculis ſummis viribus expugnauit. Qui in præſidio erant omnes, præfecto ſolo excepto occiſi aut ſupplicio affecti ſunt, erant enim præmiatores prædatoreſq; omnes. Subſecuta eſt obſidio Bōnenſis. Miſerat Gebhardus Truchſeſsius Eitelium Henricum Brunſuicenſem, equitum magiſtrum cum iuſto exercitu multiſq; curribus commeatu onuſtis ex Weſtphalia, vt Bauarianos vltra Rhenum ex improuiſo adoriretur & annonam vrbi importaret. Sed hi de eius aduentu certiores facti, in ſylua quadam, vbi Siegius ponte ſtratus Truchſeſsianis neceſſariò tranſeundus erat, hoſtem in inſidiis exſpectabant. Adiunxerant ſe Bauarianis multi agricolæ: venit ad pontem Truchſeſsianum agmen, & iam primi aliquor ordines tranſierant: Bauariani ex inſidiis erumpunt, fit atrox pugna Truchſeſsiani hoſtium multitudine circumuenti, dum à ſuis ob ponris anguſtiam inuari non poſſunt, cæduntur. Qui ſupererant tanto cum impetu ſocijs qui in ponte erant occurrunt, vt et ſe inuicem in flumen deturbarint, & randem grauitate ponderis pons diſſolutus ſubſederit, multoſq; fluuius abſorpſerit, reliqui aut capti aur occiſi: qui vltra fluuiū erant, celerrima fuga in VVeſtphaliam reuerſi ſunt. Præſidiarij Bonnenſes cum nec commeatum nec pecuniam à Gebhardo mitti ex ſuis emiſſarijs didiciſſent, & quod Imperator Carolo Truchſeſsio eiuſq; militibus, niſi oppidum Erneſto Electori traderent proſcriptionem Imperij minabatur: capto Carolo arctæque cuſtodiæ mancipato, clauibuſq; portarum acceptis, de deditione agere cæperunt. Tandem præter vitam fortunas, & tuti itineris fidem, pecuniamq; pacti, vrbem cum Gebhardi fratre Carolo, cæteriſque milirum Præfectis in manus Ferdinandi tradiderunt. Interea etiam in Diocœſi Colonienſi Berburium Neuenaricæ ditionis oppidulum Bauariani occupauerant, arcem vero Præfectus aliquam diu cum ſuis tuebatur, ſed cum nuſquam auxilia pararentur, territus ſociorum ſuorum in Poppelſtorff & Goddesberg triſti interitu deditionem fecit. Gebhardus fugiens cum VVeſalium Eliuiæ veniſſet, ibidem Holachium & Neuenarium Comites inuenit. Quorum promiſsionibus maximam rerum gerendarum ſpem concepir. Bauariani verò ſumma celeritate Truchſeſsij agmen ſequebanrur, donec tandem in pago quodam Burg ab incolis dicto ad fluuium antiquæ Iſelæ poſito illud aſſecuti inſigni victoria ſtrauerunt. Præclaram hoc in prælio præſtirit operam Ferdinandus: nec exigua fuit cæterorum ducū virtus, qui omnes fortiſsimè dimicantes peditatum, equitarumq; omnem adeò fuderunt, vr vix octoginta è roro exercitu ſuperſtites in proxima ſyvula ſe abdidiſſe dicerentur. Captus inter alios Henricus Brunſuicenſis nothus & grauiſsimè vulneratus ad Ferdinandū ductus eſt. Præda opulenriſsima parra, Bauariani ſeptendecim tantum è ſuis deſideratis receptui cecinerunt. Decretum erat communi conſilio Gebhardum & Neuenarium in caſtris ſuis quærendos & oppugnandos eſſe. Sed dum itineri ſe accingunt, nunciatur eos iam Iſelam atq; Rhenum traieciſſe, atq; in Bathauia inrer duo maxima flumina ſeſe munire. Mutato igitur conſilio Bauariani in territorium Veſtenſe reuerſi ſunt, & oppidum Rekelinkhuſen obſederunt: dumq; illud oppugnant, Hornburgenſis caſtri præſidia noctu fugiunt, & Rekelinkhuſenſes ſpe ſubſidij deſtituti & extrema neceſsitate circumuenti ſe Bauaro condonarunt. Truchesſius veró infelici militia relicta, Delphos Battauorum ad Auraicum profectus eſt. Poſiea VVerlam & Arnſpergam ciuitates cum arce VVeſterholz pactis conditionibus Ferdinandus ſuæ poteſtatis fecit, fratriq; Erneſto Electori pacatam Diocœſim reſtituit, atq; tot rerum breui temporis ſpacio fortiter feliciterq; geſtarum laude atque gloria celebris, inter Heroum bellica laude illuſtrium numerum adſcribi meruit.



IOANNES AVSTRIVS.

IOANNES AVSTRIVS Caroli Quinti Augu-
ſti poſt hominum memoriam maximi fortiſsimiq; Im-
peratoris filius, à patre receptam gloriam multis auxit vir-
tutibus. Ingenuit ipſi natura patris ſeminibus ſolidi honoris
cupiditatem, vt nihil niſi veram laudem, veraq; decora genero-
ſe peteret, ad quæ ita aſpirauit, vt nec ſatiaretur, nec ceſſaret, quin optima laude cumularetur
ad arduum gloriæ faſtigium enitens. Antiquitate paterni generis, gloria maiorum, paternaque
præcipuè laude florens, in his minimum tamen, ſed in virtute plurimum præſidij, & ſubſidij, ſibi
ſtatuit, ſentiens ſtemmatis nobilitatem eſſe ſplendidàm, præclarè tamen geſta illi lumen præferre,
atq; dum nobilium facta excelſiore ſint loco, hæc præ cæteris illuſtriora eſſe debere. A primis annis la-
boribus periculiſq; aſſueuit, vt ſtrenuus Imperator euaderet, ac felicitatem quam fortuna largiretur cum
virtute coniungendam cenſuit. In Granatenſe regnum miſſus, tanta vi celeritateq; arma exercuit, vt prius
dux quam miles, antè triumphator quam imperator extiterit. Mauros Philippo fratri rebellantes oppreſsit,
proſtrauit, cruentiſsimam eorum ſtragem edidit, ferocientes domuit. His lætis militiæ initijs effloruit, & ex-
pedito virtutum, & huius victoriæ curſu ad ſuprema gloriȩ culmina contendit. Quid virtus quid conſilium
poſſet ſummus Sanctiſsimi fæderis inter Pium Quintum Pontificem Maximum, Philippum Hiſpaniarum
Regem, & Rempublicam Venetam dux declaratus docuit. Turcas vniuerſo Chriſtiano generi exitium mi-
nitantes nauali prælio omnium glorioſiſsimo proſtrauit, Rem Chriſtianam in ſummā adductam diſcrimen
metu atq; periculis liberauit, quum illuc vſq; quinq; triremium impetum ſuſtinuiſſet, ternas euiciſſet, ipſiuſ-
met Ali Turcici Baſſæ prætoriam totam occiſo ipſo occupaſſet, ex qua tamen prius cum ad malum vſq; per-
ueniſſet ter magna cum cede repulſus fuerat. Quod autem imprimis decebat optimum Imperatorem, qui
ſciret à Deo potiſsimum expectandam victoriam, mandauit cunctis ducibus, patris ſui Caroli Quinti pieta-
tem imitatus, darent operam, vt qui ſub ipſis militarent, & cȩteri omnes piè ſancteq;, viuerent, ſtrenuè forti-
terq; pro Chriſti nomine pugnarent, ita enim fore vt in tam iuſta cauſa Dei auxilio, & protectione frueren-
tur, tum quoq; vbi ad pugnam ventum eſſet, ſuum quiſq; ſeruaret locum animo forti & minimè perturba-
to. Nec ommittenda cenſeo, quæ Mehemet Begus Euboeæ prefectus hanc naualem pugnam diſuadens de
Auſtrio protulerit, nempè adeſſe Caroli Quinti Cæſaris filium, & Philippi Hiſpaniarum Regis fratrem vi-
rum fortiſsimum, & paterna gloria excitatum ſummo honoris gradu quem in hoc ſædere obtinuit inuita-
tum, & omnium deniq; totius claſsis ducum militumq; conſenſu armatum & cultum. Maximè verò ipſum
Auſtrium eſſe iuuenem audacem, periculi auriq; contemptorem, quiq; nihil equè cordi habeat, quam vt ſuæ
virtutis ſama ad extremas vſq; Hiſpaniæ oras perueniat, præſertim cum eos habeat adiutores, qui à Turcis
leſi pugnandi deſiderio iam ante flagrarent. Hoc egregio in comparabiliq; facinore eum æternam nominis
immortalitatem ſibi peperit, tum exemplum mortalibus & poſteris tradidit, Turcas conſilio & virtute ſupe-
rabiles eſſe, qui nullis viribus, nulla potentia ſe frangi poſſe putant. Auſtrij quoq; virtutem & felicitatem ad-
miratus Selimus Turcarum Sultanus, cum ſequenti anno cōfœderati Peloponeſiacam expeditionem ſuſce-
piſſent, Vluchiali claſsis Turcicæ Imperatori perſcripſit confligere quidem licere, attamen ita congredi im-
peratum, vt abſente Auſtrio certamen cum Venetis iniret, præſente autem pugnam declinaret. Hac nauali
ſubnixus victoria, Auſtrius in Afros ſe vertit, & nouo triumpho nomen ſuum nobilitauit. Vticam cepit, Tu-
netum recuperauit, profugum regem reſtituit, munimentum inter Guletam, Tunetumq; condidit, prȩſidio
firmauit, Amidam captiuum cum filio in Siciliam tranſmiſit, & illuc ex Africa cum trophæo iterum traiecit.
Sic Auſtriacæ domus decora cumulauit, ac benigniſsimi ingenij ſui ſplendore, conſilij præſtantia, impera-
torijs virtutibus, immenſo auſu, atq; glorioſiſsimæ naualis victoriæ, & Africanæ expeditionis felicitate ſum-
mos iſtius æui Principes non ſolùm æquauit, ſed etiam ante celluit. Vbicunq; cum imperio exercitui vel claſ-
ſi præfuit, nihil quod optimum imperatorem decet, omiſit, quid agendum, quomodo progrediendum im-
perauit, acies diſpoſuit, & agmina diſtribuit. Quandocunq; vel mari, vel terra confligendum fuit, acies cir-
cumiuit, & milites ad ſtrenuè fortiterq; pugnandum adhortatus eſt. Quos in his, quæ ad in comparabi-
lem ſuam laudem præclare geſsiſſet, auſpiciorum comites, periculorum conſortes, & egregiorum faci-
norum adiutores habuit, modeſtè illis, & liberaliter ſuum decus communicauit, ita vt ſua cuique illius
pars ab eo ſit conceſſa, apertè fatendo, quod illud communis fortium commilitonum ſuorum auſus,
& felix dextra peperiſſet, nec ſolus victoriæ fructum delibauit, neque totùm percipere voluit. A
Philippo fratre Belgicarum prouinciarum gubernatione, totius exercitus ſuprema præfectura,
atq; belli contra perduelles Belgas adminiſtratione ipſi commiſſa, inter medios rerum pro-
ſperrimè, laudabiliſsimèque gerendarum conatus Namurci initio Octobris, Anno
M. D. LXXVII. diem clauſit extremum. Poſtea corpus in Hiſpaniam
tranſlatum cœnobio Laurentiano conditum eſt.



SFORTIA COMES
SANCTÆ FLORÆ.

SFortia Sanctæ Floræ Comes, atque Aurei Velleris eques, anno Vigeſimo ſupra Milleſimum Quingenteſimū Boſio Sfortia, & Conſtantia Farneſia adeoq; ex Ducali dignitate præclariſsimis familiis progenitus, apud Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducem conſobrinum ſuum, cui, quòd liberis careret, propter excellentem animi indolem, pręclaros ad virtutem impetus vnicè charus loco filij habebatur, pueritiam egit. Ab optimis præceptoribus cùm literis, tùm ſcientia præcipuè militari egregiè inſtitutus eſt. Mortuo Sfortia Duce, Carolum Quintum Imperatorem bellum Africæ inferentem Algerium ſecutus eſt. Indè in Italiam reuerſus, cum ad Cereſolam in Taurinis magnam à Gallico exercitu Vaſtius accepiſſet cladem, Sfortia cum ſua legione in Mediolanenſi prouincia conſidere, Vaſtioq; à Cæſare parere iuſſus, Petri Strozzæ, qui valido exercitu comparato in ſpem potiundi Mediolani venerat, conſilia explorando, progreſſusq; illius diligentiſsimè obſeruando, effecit, vt iunctis cum Cęſarianis copiis, ſuis quoque viribus, & ſibi ſuſi fugatique hoſtis gloria deberetur, &, qui vrbem tenebant, eius amittendæ metum deponerent. Jn Germaniam cum Octauio Farneſio Parmæ Duce conſobrino ſuo aduerſus Proteſtantes Principes profectus ſub initio ſtatim belli militarem ſuam virtutem demonſtrauit: Si quidem in expugnatione Donauerdæ ea celeritate eſt vſus, vt, intento ſuburbiis occupandis Octauio, ipſe prius penè oppidum ceperit, quàm hoſtis aut cuſtodes cæſos, aut portam captam eſſe ſentiret. Quæ res non parum ad ſummam rerum contulit. Illud verò maximum æquabilis animi, & ſolidæ virtutis argumentum fuit, quòd, cum Cæſar in fidem ſuam Senenſes, qui ad Gallos defecerant, reuocare conſtituiſſet, ideoq; Petrum Toletanum Neapolitani Regni Proregem cùm ingentibus equitum peditumque copiis deſtinâſſet, Comitemque Sfortiam vniuerſo equitatui præfeciſſet, Petro interea vita functo, & in eius locum Garzia filio ſubrogato, Neapolitanis aliquot equitum ductoribus honorem hunc ad Sfortiam delatum indignè ferentibus, ac eius imperium, quòd iunior eſſet detrectantibus, nè quid eam ob cauſam Cęſarianæ res, quę equitatu potiſsimū nitebantur, detrimenti caperent, Comes vltrò ſe Præfectura abdicauit. Cæterum à Garzia in ſocietatem adminiſtrationis illius belli adſcitus, Montem Alcinum, oppidum maximi momenti, breui in poteſtatem ſuam redegiſſet, niſi Turcica claſsis, quę imminere Neapoli dicebatur, cò Garziam, oppugnatione omiſſa, retraxiſſet. Verum haud ita multò pòſt ſub auſpiciis Coſmi Florentiæ Ducis Meligniano Marchione bellum rurſus Senenſibus inferente, Comes, cuius præcipua erat ſecundum Marchionem in caſtris dignitas & authoritas, ita ſe atq; in eo maximè pręlio, quo Petrus Strozza victus, Gallicusq; exercitus propè deletus eſt, geſsit, vt tàm magnæ victoriæ laudē, cum Marchionis, tum Coſmi ipſius ingenua confeſsione ſolus ferè retulerit. Captis poſt cladem Senis, Marchioneque aliorſum vocato, cum vnus omnia ſummo cum imperio gereret, multa oppida & caſtella, quæ adhuc Gallicis præſidiis tenebantur, mira celeritate expugnauit. Ad occupandum Neapolitanum regnum Franciſco Guiſio clariſsimo inter Gallos Duce cum maximis atque inſtructiſsimis copiis properante, cum Dux Albanus nondum coactis militibus tueri ſe poſſe regnum, cui pręerat, planè diffideret, ſolus Comes cum ſuis cohortibus hoſtem ad Ciuitellam oppidum non quidem ſatis munitum morā trahere coëgit. Quod illi adeò feliciter cecidit, vt non modò Guiſium poſt oppugnationem eius loci fruſtrà tentatam, ſoluta obſidione, req; infecta indè abire coëgerit, ſed Albano etiam Duci ſpatium ad ſe colligendū egregiè comparârit. Qui cum mox exercitum via Oſtienſi Romanæ vrbis mænibus eo conſilio admouiſſet, vt in eam infeſtis ſignis irrumperet, Comes, qui eam rem vrbi pernitioſam, religioni incommodam, ipſi verò Regi minimè vtilem eſſe animaduerteret, ſiquidem præterquàm quòd Gallicus exercitus, qui haud procul erat, Pontifici in auxilium venire facile potuiſſet, milites etiam direpta vrbe alij aliò dilapſi eſſent, illud prudentiſsimo ſuo conſilio effecit, vt Albanus abductis copiis ab incepto deſiſteret, paxque inter Pontificem & Regem ſecuta ſit. Quibus rebus factum, vt cùm opulentiſsimum regnum Comes ſua virtute, fide, & opera in poteſtate Regis retinuerit, tùm ſeruatæ vrbis decus adeptus non charitate in patriam minus, quàm bellicis claruiſſe artibus iudicatus ſit. Ad Carolum Nonum Galliæ Regem Hugonotorum furoribus inteſtinis, belloque vexatum, à Pio Quinto Pontifice cum peditum quinque millibus & mille equitibus miſſus, Rex cordatiſsimi ducis conſilio & prudentia fretus, collatis ſignis ad Monconturnum cum hoſte congreſſus, Nauarreum Regem, Condæum Principem, & Collignium Ammirantem, quos Hugonoti ſequebantur inſigni clade affecit. Pro quo beneficio cum Rex eidem Pontifici literis ſua manu ſcriptis gratias ageret, ipſius quoq; Comitis virtutem luculentiſsimo teſtimonio proſecutus eſt. Icto fœdere inter Pium Quintum Philippum Hiſpaniarum Regem & Venetos aduerſus Selimum ſecundum Turcarum Imperatorem, & claſsi quæ numeroſiſsima inſtructa fuit Ioanne Auſtriaco præfecto, Comes, qui veluti moderando Iuueni à Rege additus fuerat, Chriſtianam rem & ad Meſſanam conſilio, & quo die ad Naupactum pugnatum eſt, ita manu iuuit, vt ad victoriam non mediocre adiumentum attulerit. Sed cum in patriam reuerſus eſſet, ac annum ætatis Quinquageſimū quintum attigiſſet Comes militaribus ſenſim confectus laboribus, celebritate nominis, & rerum geſtarum gloria clarus anno M. D. LXXV. ideò præcipuè fœlix deceſsit, quod, à quibus ipſe partibus ſteterit, eas nunq̄ bello fuiſſe victas gloriari potuerit.



EITELIVS FRIDERICVS COMES ZOLLERENSIS.

ANtiquissimam, Illustrissimamq; Comitum Zollerensium esse familiam historiarum scriptores, licet diuerso modo, testantur. Heroldus enim à Tassilone, qui tempore Caroli Magni Imperatoris anno salutis Octingentesimo vixit, copiasque duxit prognatos, Berchtoldus verò Petrum quendam Columnam patritium, & nobilem Romanum Paschalis Pontificis electioni aduersatum, adeoq; ab eo ex Italia pulsum in Germaniam fugisse, condidisseque familiam scribit temporibus Henrici Quarti Imperatoris, qui Petri filium Ferfridum, quod sibi contra Hildebrandum, qui nominatus fuit Gregorius Septimus militâsset primum Comitem in Hochenzolleren constituit. Ex hac stirpe Burggrauios Norinbergenses, quorum primus Fridericus à Rudolpho Habspurgio Augusto, quòd huic in bellis contra Basileenses, & Ottoccarum Bohemiæ Regem strenuam operam nauâsset, ea dignitate inauguratus est, & Brandenburgenses Marchiones septemuirali celsitudine clarissimos, cui Fridericus Quintus Burggrauius, quem Sigismundus Imperator ob fidelẽ operam in Hungaricis, Bohemicis, & Imperij negotijs, âc bellis pręstitam, & quia multa sapienter consuluisset, & magna pericula fortiter adijsset, Marchię Brandenburgensi pręfecit, in eadem præfectura solemni ritu sub Concilio Constantiensi cõfirmatus initium dedit, ad nostra vsq; tempora continuata serie descendisse constat. Hic igitur Eitelius Fridericus Maximiliani Primi Romanorum Imperatoris Consiliarius, eiusdem Curiæ supremus Præfectus, & aurei Velleris Eques Iodoci Nicolai Comitis ab Hochenzolleren ex Elisabetha Comitissa Werdenbergensi filius, apud Austriæ Archiduces, quorum in aulis adolescens versabatur, in literis, bonis moribus, & exercitijs militaribus ei ætati conuenientibus educatus, iuuenisque tempestiuè militaris studii desiderio flagrare cępit, ad quod etiam sicuti maiores sui inclinatus esse videbatur. Multis bellicis expeditionibus, præcipuè verò sub Maximiliani Primi Archiducis Austriæ, posteà Romanorum Regis auspiciis, in quibus aliquoties summi exercitus Tribuni officio functus est, interfuit. Nec minorẽ operam Ladislao Vngariæ, Edoardoq; Angliæ Regibus non sine rei familiaris dispendio præstitit, qui eius consilio in summis eorum necessitatibus vsi sunt, cuius virtutem, fidem, atq; dexteritatem eorundem Regum literę, quę in Cartophylacio Comitum Zollerensium asseruantur, abundè testificantur. Edoardus Rex in literis suis hunc Eitelium Fridericum consanguineum & cognatum suum nominat. Cum Maximilianus in Belgio contra Leodienses, Vvestphalos, Hollandos, Flandrosq; continua bella gereret, Zollerensis cum tribus fratribus germanis in eius castra profectus strenuum se in omnibus periculis comitem, ducem, bellatoremq; demonstrauit. Quorum primus frater Fridericus Albertus mille quingentorum peditum dux in expugnatione vrbis Cortracensis fortiter pugnans occubuit. Secundus Fridericus Iohannes cum Antuerpienses insidiis, & machinationibus Teramundam occupâssent, & Maximilianus cum octingentis equitib⁹ adueniens cum ciuibus in ponte pugnaret, primus in ciuitatem penetrans, atq; incolarum incursionibus, & insultibus resistens, non minus inter armorum strepitus fortissimi militis officio fungens, ab hoste interfectus est. Tertius Eitelius Ioachimus à Maximiliano, cum Montfortium Hollandiæ oppugnâsset, cepissetq;. Admiralius classis contra Gallos constitutus in pugna cecidit. Horum Cadauera Eitelius Fridericus quartus fratrum superstes, qui apud Maximilianum remanserat, Antuerpiam transportari, ibidem in Basilica æde sacelloq; constructo honorificè sepeliri curauit. Tantę apud Maximilianum fuit authoritatis, vt ipsius nomine in castris Nouesianis, præsentibus Principibus, & militiæ ducibus, Baronibusq; vltra triginta ex pręcipua nobilitate solitis ceremoniis equites creauerit. Bruxellis & ipse à Philippo primo Hispaniarum Rege, Maximiliani filio, vtpote Burgundiæ Duce, & ordinis supremo præfecto cum Carolo vnius anni infante (qui postea in Romanorum Imperatorem electus Caroli Quinti nomen sortitus est) adhuc in cunabulis iacente, Aurei velleris equestri dignitate augeri meruit. Fuit Eitelius Fridericus ea disertæ linguæ facundia, dexteritate, grauitateq; præditus, vt à Friderico Cæsare, eiusque filio Maximiliano Rege, & Sigismundo Austriæ Archiduce præ cæteris proceribus amaretur, & in grauissimis illorum Imperijq; negotijs legatus in varias prouincias ad diuersos Principes mitteretur, quo munere ea solertia, diligentia, & authoritatis obseruatione functus est, vt Maximilianus eum Curiæ suæ supremum Magistrum creatum intimis suis & maximi momenti consilijs semper adhibuerit. Cum autem Maximilianus Cæsar in conuentu Principum VVormatiæ, anno Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo quinto habito Imperialis Cameræ suæ iudicium eòusq; aulam sequi solitum, vt id fixo loco, & per certos iudices à sua Maiestate simul cum Principibus constituendos deinceps ad decidendas litigiosarum partium causas celebraretur, ita instituisset, ac Francofurti in domo Brunfelsiana vltimo die Octobris anno supradicto ipsemet initium fecisset, & à designatis iudicibus iudicandi sacramentum recepisset, eisq; causas & alia negotia grauissima oratione per baronem Vitum de VVolkenstain habita commendâsset, ac vt illi, qui huic celeberrimo Tribunali quoquo modo præesse, ac inseruire deberent, suo quemq; iuramento adstringerent, commisisset, Eitelius Fridericus primus istius Iudicij Imperialis præses mense Februario anno Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo sexto illo se abdicauit, succedente huic Iacobo Marchione Badensi.



CAROLVS
AVSRIACVS, MARCHIO BVRGOVIENSIS.

HÆc effigies CAROLVM Auſtriacum Marchionem Bur-
gouienſem ſpectandum proponit, in quo liquidiſsimè conſtat, for-
tes creari fortibus & liberis à parentibus generatione virtutum ſe-
mina communicari. Etenim in hoc Ferdinandi Auſtriæ Archiducis
in ſua familia hoc nomine ſecũdi, parentis, heroica virtus ingenita eni-
tet, atq; illuſtria ab hoc Marchione in Belgio, Jllyrio, & Pannonia edita documenta non ſolum ipſũ
parernæ generoſitatis hæredem, ſed etiam maiorum ſuorum inclyta facta non tám æquandi, quàm
ſuperandi flagrantiſsimè cupidum, enixèq; ſatagentem teſtificantur. Jn adoleſcentia ſerenæ frontis &
roſei vultus coruſco decore, morumq; elegantia præditus arma equosq; amabat, naturæ ſequebaturq; mili-
taris ſemina talem præſeferens indolem, quæ egregij bellatoris, optimi & clariſsimi futuri ducis ſpem præbe-
ret. Hanc in eo adultiore & toroſis lacertis robuſtiore ſtudium variorum exercitiorũ, quibus ocij tempus tranſ-
egit, ſummoperè auxit, dum equos in gyrum circumageret, paleſtram exerceret, multa luctaretur arte, ingentis
ponderis ſaxum iactaret, ferreum iacularetur vectem, & omnis generis equeſtria ludicra, imaginaria belli ſpecta-
cula ederet. Aetatis vigore florentem Auguſtæ ſuæ gentis bellica fama & decora atq; Caroli V. patrui magni, cuius
nomen refert, exemplum ſtatim in iuuentute ad excolendam & exercendam mllitarium operum diſciplinam ex-
timulabat. Hinc laudis amore flagrantis ingenij aciem intendit, vt Martiorum munerum dignitatem authorita-
temq; conſecutus fortibus & glorioſis maximorum Ducum facinoribus paria patrando eos imitaretur. Hunc igi-
tur totum miliriæ addictũ, ad Marris ſtudium conuerſum, & belli complexum artes primùm Hiſpaniarum Rex
Philipus II. legionis Germanicæ ſummo tribunatu honeſtauit, quam Marchio quindecim cohortibus validam in
Belgium ad Alexandrum Farneſium præpotenti claſſe Angliam inuaſurum per legatum ad illum expeditius pro-
fectus direxit, euocationem in Germania operientibus mille & ducentis equitibus ſclopetarijs, quas Regis ſtipen-
dio conduxerat. Sed traiectu in Anglia non ſuccedente, Farneſium Montem ad Scaldim obſeſſurum ex Flan-
dria in Brabantiam ſecutus eſt. Soluta hac obſidione à patre Ferdinando Archiduce reuocatus in Teriolim Oeni-
pontem redijt. Deinceps violato ab Amuratho III. recentium induciarum iure, Wihitſchio in Croatia ab Illyrij
præſide Haſſam Paſſa occupato, & Stiriacis copijs ad Præſtum cæſis, Rudolphus II. Auguſtus hunc Marchionem
ad Zagabriam ſupremum exercitus legatum deſtinauit. Ibi Petrinienſi mumimento nuperrimè ab Haſſam Paſſa
ad Sclauoniæ Illyrijq; infeſtationem excitato, in poteſtatem redigendo iugi cura incubuit. Sed impeditus aſper-
rimæ hyemis incommodis, & neceſſario belli apparatu commeatuq; deſtitutus, procurante Patre ex Cæſaris volũ-
tate, diſſolutisq; iam copijs atq; exauthorata ea legione, quam Teriolenſium ordinum ære conſcriptam in Sclauo-
niam deduxerat, ad Parentem ſe recepit. Verumenimuero Iauarino à Sinam Paſſa purpuratorum in Othomanica
Curia principe, & Turcici exercitus imperatore obſeſso, Rudolphus Cæſar Marchionem ſummo equitatus magi-
ſtratu cumulauit. Vix eo in caſtra appulſo & Cæſarianis diſsipatis, Iauarinum Sinam Paſſæ deditum eſt, quo toris
viribus ad Comaronij expugnarionem conuerſo Marchio omnibus metu perculſis, & nemine Danubium in Inſu-
lam Cituorum tranſire auſo, non ſolũ cum parua manu peditum & equitum aliquot dies ibi perſeuerauit, & gra-
uibus hortationibus tandem Bohemicæ & alterius gentis milites ad traijciendum commouit, ſed etiam cum ali-
quot ſuæ legionis in Terioli ſub ſuo diſceſſu coactæ cohortibus Comaronio ſuppetias tulit, & illud, Sinam Paſſa ex
Inſula vltra Danubium amoto, ſeruauit. In Strigonienſi obſidione conflictuq; iterum equitum Magiſter ſubur-
bium aquarium cum ſuis legionarijs vnà cum alijs expugnauit, quo capto, &, quia deindè etiam Turcas in ipſorũ
caſtris adortus plurimos illorum & inter hos duos Beghos obtruncâſſet, vnum cepiſſet, Turcarum præſidiariorũ
pertinaciam ira fregit, vt animis conciderint, & à defendendi obſtinatione ad arcis deditionem, à necis ſeruitutis-
que diſcrimine ad vitæ libertatisq; pacta deflexerint. At peculiari ipſi attribuendum eſt laudi, quod mentis ſaga-
citate perſpicacitateq; iudicij Turcici Polemarchi conſilia aſſecutus, præoccupatis ad Vaciam collibus, vndè hoſtis
Cæſareanorum diſsipationem internecionemq; moliebatur, edendæ ſtragi commodis, & in eos tormentis eue-
ctis, atq; in Turcas exploſis hos repreſſerit, ac compoſito receptu exercitum ſine clade ſeruauit. Strigonio fini-
timisq; munimentis receptis contra Marchionis conſilium & voluntatem Jauarini ſuſcepta eſt obſidio,
quæ tamen ex his cauſis quod plus temporis, virium & apparatus ad illud recuperandum requirere-
tur, non diu durauit. Expeditione finita Marchio Viennam reuerſus eſt, quò Cæſar illum deſti-
nauit, veritus hoc potiſsimum Imperij propugnaculum obſeſſum iri, & Marchionis pru-
denriæ ac animi ſortirudini præcipuè confiſus. Hinc Agria à Mehemete III. obſi-
dione oppreſſa, & re ad conſerendam pugnam vergente, Marchio illuc
magnanimitatis ſuæ impulſu contendit, & in prælio ſine munere
ſpontè impigram operam nauauit, ac Cæſareanos bis victores,
ſolo Cicalogli Paſſa (cæteris Turcicis Ducibus aut cæſis,
aut cum Mehemete III. dilapſis) vrgente, in fugam
effuſos ſiſtere & aciem inſtaurare laborauit. Cui
ad clariora ex publica Chriſtiani orbis ſalu-
te patranda heroica facinora longiſsi-
ma ſenectus vitæ finem adferat
Deum Opt: Max: precor.



GALEATIVS
FREGOSIVS.

EX Illuſtri clariſsimaq́; Fregoſiorum ſtirpe, natus Galeazius Fregoſius, cum ad decimum octauum vſq; annum humanioribus literis operam dediſſet, Alexandri patris, Ianique aui veſtigia ſequens, necnon militaris adipiſcendæ laudis deſiderio ingenti flagrans, anno Milleſimo Quingenteſimo Quinquageſimo in Galliam vt Henrico ſecundo Regi militaret, profectus eſt. Dum huic quadraginta annos operam nauauerit, & per tot Martis diſcrimina verſatus fuerit, dignus exiſtimari meruit, qui virtute bellica illuſtribus adſcribatur. Illo anno excitato bello ad Mirandolam & Parmam, ab Henrico ad Mareſchallum Thermeum, qui tunc Parmam tutabatur miſſus fuit, peditum præfectus ab eo conſtitutus, ibi manſit, quoad vrbs ab obſidione liberata eſſet. Bello quod ab vrbem Mediomatricum geſtum eſt interfuit, qua capta, oppida Iuoe & Damuillierium poſt multa prælia tandem in poteſtatem Regis etiam peruenerunt. Efferbuit non multò poſt Senenſe bellum, quorum ſalutem tutandam Rex ſuſceperat. Tunc Fregoſius iterum ad Thermeum mititur, à quo quinquaginta equitum leuis armaturæ pręfecturam conſecutus eſt, quibus toto illi Senenſi bello præfuit. Cum Rex poſtea Strozzam ad continuandum bellum in Hetruriam miſiſſet, ad eum ſe recepit Fregoſius, quingentorum peditum dux euaſit, ac in eò prælio virtutem ſuam teſtatus eſt, quod Strozzæ infauſtum propè Lucinianum cecîdit, in quo etiam duodecim vulneribus acceptis Galeazius ſtrenuè dimicans inter cadauera iacuit, & tamdiu fortiter ſe defendit, quoad viſo equite armis elegantioribus circumdato (is fuit Baptiſta Comes ab Arcu) huic ſe dederit. Depenſo lytro redemptus in Galliam rediit, vbi commoranti Paulus Quartus Pontifex apud Henricum Regem pro auxiliis aduerſus eos, qui eum Romæ grauiter exercebant mittendis ſummis precibus inſtitit. Quod vbi obtinuiſſet, Dux Guiſius in Italiam deſtinatur, & cum eo Fregoſius Tribuni militum dignitate decoratus, per Galliam Ciſalpinam iter faciens, iunctis copiis cum Briſaccio Valentiam contendit, qui cum tranſitum commeatumq́ue impetrare non poſſet, ad vim verſus, arcem munitiſsimam occupauit. Hic quoque quantus eſſet oſtendit Galeazius in ijs, quæ in Samnitibus ad Ciuitellam ſunt geſta. Nec multò pòſt ſtrenuus viſus eſt inter eos, qui Duce Guiſio miſsi fuerant ad obſidendum Iccium Portum, vbi tam atrox, tam longum, tam atrox prælium inter Gallos & Brittannos commiſſum eſt, vt eum diu pugnatum eſſet, multi vtrinque quidem ceciderint, victoria tamen cruenta apud Gallos conſtiterit. Deinde caſtris motis ad Teonuillam certatum eſt, in illa expugnatione quoque non mediocrem laudem Fregoſius acquiſiuit. Secuta poſtea pax, atque Margaretha Henrici Regis ſoror ab Emanuele Philiberto Allobrogum Duce in vxorem ducta, quo tempore Galeazius in eo procerum aulicorum albo erat, qui à cubiculo Regis eminuerunt. Ab obitu Regis Henrici inciderunt bella ciuilia, his omnibus interfuit Fregoſius, nam & pugnauit accerrimè in expugnatione Rothomagi vrbis, in illaq́ue aggreſsione ſauciatus fuit plumbea glande in femore, qui vbi primum conualuit, cum Duce Guiſio in prælio ad Dreuſium commiſſo fuit. Indè vi ardenti impauidi animi præclarè ſe geſsit in obſidione Genabi ab Vgenotis fortiter tentati, vbi Guiſius glande transfixus maximo Gallorum mœrore concidit. Compoſita deindè pax inter Catholicos & Vgenotos duos ferè annos durauit. Recrudeſcente verò bello denuò ad militiam ſe contulit Fregoſius, & circa Lutetiam pro religione, Rege, & victoriæ gloria dimicans vulneratur ſclopeti ictu cruri adacto. Quamobrem Carolus Nonus Galliarum Rex ſæpius probata Galeazij virtute, fideq́ue planè cognita, honoris ergò ipſemet eum in equeſtrem Diui Michaelis ordinem cooptauit, & in laborum atque ingentium ſumptuum dum Gallicis adhæſerit partibus factorum recompenſationem, Maureto oppido ad Garumnam in Tholoſatibus ſito donauit. Hic quamuis tranquilliori vitæ genere degere ſe poſſe animaduerteret, nullam tamen Regi operam nauandi occaſionem prætermittens, rurſus euocatus, prælio Tornacenſi interfuit, in quo inſigni edita ſtrage Princeps Condæus glande traiectus occubuit. Nec abfuit in conflictu ad Monconturnium commiſſo, vbi Vgenotorum cæſi ſunt quindecim millia. In obſidione Rochellæ Santonum portu etiam ſclopeto læſus, ſtationem non deſeruit, ſed pugnaciter perſeuerans, cum omnium qui infracto animo pugnantem conſpexiſſent applauſu & ſuffragio inuicti bellatoris nomen ſibi peperit. Defuncto Carolo Nono Henricus Tertius Galeazio ob egregiè præſtitam fidelemq́ue operam ea omnia confirmauit, quæ à fratre dono acceperat, & vt ſuam quoque liberalitatem experiretur, eum honoratiore militia nobilitauit, dum quinquaginta equitum cataphractorum alæ ipſum præfecerit, quibus tamdiu ei operam dedit, quoad hic ex Valeſia ſtirpe vltimus mortem oppetiit. Tandem in patriam reuerſus, & militiæ laboribus feſſus Veronæ tranquillam vitam egit. Quinquies collatis ſignis, ſupra vicies verò minutis præliis acceptis duobus & viginti vulneribus fortiter dimicauit.



CORNELIVS
BENTIVOLIVS.

CORNELIVS Bentiuolius ex Illustrissima antiquissimáq; Bentiuoliorum, qui olim Bononiæ Principes extiterunt familia descendens, multarum virtutum præcipuè bellicæ clarus. Postquam adolescentiam in laudatissimarum artium studiis consumpsisset, virésq; validiores ætas virilis firmasset, ad militaria negotia animum applicuit, quemadmodum ei, vt aliquando in forrissimum militem, ducemq; euaderet occasiones non defuerunt. Anno igirur Millesimo, Quingenresimo Quinquagesimo primo, cum Octauius Farnesius Parmæ Dux, metuens, ne ab Imperatore Carolo V. genero suo Parmensi ciuirare vt anteà pater Placentia priuarerur, Iulij III. Pontificis opem implorasser, Pontifice quidem se excusante, tamen vt aliundè sibi subsidium compararet permitrenre, Parmensis se Gallorum Regi Henrico II. commisit, & rem omnem concredidit. Quod factum Pontifex iniquissimè ferens, quum vetus patrocinium authoritate sua solus tueri non poterat, Imperatoris operam flagitauir, atq; armis extorquere conarus est. Hinc Parmense bellum natum, & Octauius Pontificem cum Imperatore inimicos habere cepir. Inrerea Franciæ Rex Parmam à Cæsareanis obsessam defendendam suscepir, atq; Cornelium Benriuolium cum auxiliaribus nõ contemnendis copiis Mirandulam primùm, deindè Parmã misit, in cuius vrriusq; oppugnarionibus, fortissimi contra hostem propugnatoris nomen adeptus est. Cõfinia Bononiensium depopulatus, copiarum Germanicarum partem ad pontem Sorboliensem fudir. Anno sequenri in Galliam ad Regem reuersus, multa de rebus bellicis, illi communicauit, atque inrer cætera vt Senensium qui ab Imperatore defeceranr parres rueretur consuluit. Rex igirur Thermeum equitum Magistrum Magnum Contestabium cum instructissimo exercitu in Hetruriam misit, Cornelium Bentiuoliũ eiusdem legatum constituit. Quo officio egregiè perfunctus, ad Scarlinum prælio commisso cum Cæsarianis victor Hannibalem Comirem Ladronium cæpit, in Marenna quoq; iuxta Orbitellum Hispanos cecidit. Quamuis hæc ad comparandam perperuæ laudis gloriam, & amplissimos dignitatum gradus consequendos egregia dignissimaq; essenr initia, quia tamen æmula virtus vlterius progrediendum altioraque consectanda stimulos addere solet, eam, quam natura fato quodam benigno, & æquo illi indiderat animi corporisq; forritudinem, ingeniјq; militaris dotes in obscurò latirare noluir. Anno igitur Quinquagesimo quarto post Thermei ex Herruria ad Corsicæ naualem expedirionem discessum, Petro Strozza in eius locum succedenre, idem sub hoc supremi legati munus obiit. Vbi Strozza Marcianum oppidum vi expugnasser, Marignianus autem Marchio Cæsariani exercitus Imperator illud recipere tentaret, Strozza obuiam factus cum illo quidem conflixir, sed post multas seuctas velitationes propter aquæ cærerique commeatus inopiam castra illinc mouere coactus, postremum agmen quod ex selectissimo milite constabat Cornelio Benriuolio commisit, vr hic starionem donec Strozza cum reliquo cxercitu in rura se reciperet defenderet, hostemq; insequentem remorarerur. Quod imperterritus acerrimè maxima cum laude præstitir, Marignianum enim qui ipsum cum primi agminis parte aggressus erat profligauit. Post fugatum ad Lucignanum Srrozzam Benriuolius iridem postremi agminis Dux fortiter pugnans Senensem ciuitatem postquam hostem in insidiis vt rransirum impediret latentem prælio commisso vicisset, intrans, eam ab hoste vsque ad reuertentem Srrozzam conseruauir. Senis seruatis Regis Galliarum exercitum Montalcinum securè perduxit. Indè Volrerrium & Collium versus excursiones faciens, commissis variis leuioribus pugnis Otrierium & Monrorium arces firmissimas expugnauit, in cuius rei testimonium & aliquam remunerarionem arce Montoriana à Senensi Senatu donatus est. Hercule II. Ferrariæ Duce absente, cum hunc Henricus II. Galliarum Rex copiarum suarum contra Philippum II. Hispaniarum Regem Ducem supremum misisset, ab ipso Hercule interim vt Ducatum Ferrariensem administraret, Produx constitutus fuir, quo etiam officio Hercule mortuo apud eius filium Alphonsum II. laudabiliter functus est, & præfecturam quadringentorum nobilium & trecentorum scloperariorum perquam egregiè instructorum, quos Alphonsus anno Sexagesimo sexto in Hungariam conrra Turcas Maximiliano Augusto auxiliatum adduci curauerat gessit.



GVIDO
BENTIVOLIVS.

GVIDO BENTIVOLIVS natura quasi ad Martis studium inclinatus, in adolescentia totum se militiæ consecrauit, adeò, vt reliquum ætatis tempus in armis, varijs bellicis expeditionibus, & prœliis cum hostibus conserendis consumpserit. In bello illo Germanico contra protestantes Principes inter Italicæ nationis auxiliares copias Carolo V. Cæsari transmissas vnius signi Tribunus egregiam operam nauauit, strenueque se gessit. Cum orta in Cæsareanis campis inter Hispanos & Italos leuissima ex causa maximo tumultu ad arma peruentum esset, & Hispani mille quingenti Italorum equitatum cum impetu adorirentur, Guido Bentiuolius solumodò quindecim suorum stipatus, pedes & lancea armatus Hispanorum rabiem fortissimè & tamdiu sustinuit, donec Albanus supremus Cæsareani exercitus Dux superueniens sua authoritate hunc tumultum, qui mâximum discrimen minabatur sedaret. In Galliam ad Henricum Secundum Galliarum Regem profectus omnibus bellis fere quæ Henricus præfatus contra Carolum Quintum Augustum suscepit, iis quoque quæ aduersus Philippum Secundum Hispaniarum Regem gessit summa cum laude interfuit, semperque fidelissimè Regiis partibus adhæsit. HENRICVS igitur cum Guidonis ingenium militare ad omnia quæque indaganda sagacissimum, iudicium accerrimum, in expediendis rebus ancipitibus celeritatem, & in omnibus contra hostem impigrè agendis fortitudinem & experientiam maximam cognouisset, eum immensis laudibus, muneribus, officiis militaribus præcipuis condecorauit, & intimæ familiaritati suæ adseruit. Vndè etiam factum est, vt Rex nihil sine eius consilio perficiendum aggrederetur, & omnia illi prius communicaret. In bello Senensi Strozzæ additus Tribuni officio functus est. Ferrariam profectus ab Alphonso Secundo Duce honorificentissimè exceptus, & in numerum intimorum suorum consiliariorum militarium adoptatus, eidem anno Sexagesimo sexto in Hungaria contra Turcas adfuit, vbi suo muneri in explicandis rerum bellicarum negotiis, & consiliis ita satisfecit, vt non modò exteris gentibus summæ admirationi fuerit, sed & Principum virorum, qui tum temporis in castris erant singularem beneuolentiam & amorem sibi comparârit. Carolo Archiduce autem ex Hispania Ferrariam reuerso cum simulachrum oppugnatæ defensæq; arcis in fossa aquis plena, & profunda extructæ ederetur, ponte rupto in vndas armatus delapsus interijt.



ANTONIVS LEVA.

NEmo ex his qui ſeculo hoc poſtremo ab Hiſpania in Italiam venerint, & poſt Magnum Conſaluum aliquid præclari nominis militiæ ſint conſecuti, ipſo Antonio Leua vel ingenio acutior, vel illuſtribus bello factis præſtantior euaſit. Ingenti herclè virtute Antonius nuſquam ferè veſtigijs eius abſcendente fortuna, quod longè maximum in toto militari negotio ſemper exiſtimatum eſt, frequētibus præliis ſępiſsimè victor, &, ſi ſors iniquior victoriæ ſucceſſum eriperet, nunquam victus videri potuit. Diuinè ſiquidem prouidendo, & grauiter enitendo, hoſtium conſilia præuertere, &, quę iam apud eos parata eſſent, atq; inſtructa, præoccupare, aduerſariorum immodicos conatus admirandis dolis eludere, &, cum res poſceret, vehementi atq; expedita manu infringere atq; retundere didicerat. Quod enim mirum eſt, nullo propè præeunte magiſtro, nullaq; prorſus adiutus bellicæ educationis diſciplina, & impiger miles, & acer copiarum præfectus, improuiſis & fortibus conſiliis, celeritateq; pręſertim, Dux felix euaſerat. Cęterum Antonius planè adoleſcens, & adhuc imberbis, Sancti Martini patrui alæ equitum præpoſitus, anno Milleſimo Quingenteſimo ſecundo ea claſſe vectus in Italiam venit, qua Emmanuel & Valentinus Benauidij fratres, & duo Aluaradi pater & filius tranſuecti ſunt, aduerſus Gallos opem ferentes. Ipſe genus ducebat è Cantabria, quæ vna omnium Hiſpaniæ prouincia optimorum terra mariq; militum feraciſsima exiſtimatur. Sed antea Antonius iuſta in acie hoſtem non viderat, quum egregiè & ad Goiam aduerſo, & ad Terranouam ſecundo prælio, illic conſtantis, hic verò maximè ardentis, & imperterriti bellatoris laudem eſt conſecutus. Interſuit demum Rhauennæ Cardonij ſigna ſecutus, quo funeſto prælio non ignominiæ, ſed laudi fuit incolumnem euaſiſſe. Sic enim Ceſennam ſe recepit, vt pleroſque milites ex itinere conſeruaret, atq; ipſe demum inſtaurata ala, eodem Cardonio atq; Proſpero Columna Ducibus ad Ciſalpinę Galliæ bellum proficiſceretur. Poſt mortem verò Iulij Pontificis, Leoni Carolo Cęſari coniuncto, in expellendis Gallis operam nauauit, vſq; adeò diligentem & ſtrenuam, vt iam inter ſummos Duces conſilio perſpicax, & manu egregiè fortis haberetur. Ab hac fama iam planè clarum, ea quæ ſecuta ſunt, bella clariſsimū fecerunt, quum obſeſſus Ticini à Franciſco Galliæ Rege, ſeſe pertinaciſsimè defendiſſet; cum excidio quidē nobiliſsimæ vrbis, quum alendo præſidio, neq; fortunæ ciuium, neque templorum donaria, neq; luculentæ domus exciſæ deformatæq; ſuffeciſſent, quam tamen calamitatē aliqua ex parte minuere viſus eſt Rex ipſe tanti nominis pręlio victus & captus. Verum ad eam victoriam, ad quam parandam Leua magnum eruptione ſua momentū tulit, nō ea pax allata eſt, ſcilicet, vt alia orirentur bella, quibus Italia militari licentia vaſtaretur. Nam cum Leua Cæſarianiq; Duces Sfortiam grauibus calumniis implicitum apud Cæſarem Maieſtatis accuſaſſent & in arce obſediſſent, conſternati ad arma Italiæ Principes in vnum ſeruitutis metu conſenſiſſent, hoſtes ex ſociis facti, longè omnium luctuoſiſsimum bellum excitârūt, eo euentu, vt Antonius Mediolani obſeſſus, multis ſecundis præliis longè clariſsimus ducum euaderet, exiſtimaretq;, neq; humanis neq; diuinis rebus eſſe parcendum, modò decus ſuum & Cæſaris dignitatem tueretur, & ſtipendij loco ſingulas vrbes, ſinguloſq; earum ciues militibus diripiendas concederet: ipſeq; imperioſus multis vndiq; partis victoriis terribilis atq; opulentus, aduerſus tot hoſtes inuictus aduerſa arma ſuſtineret, & Sfortia per deditionem eiecto, tanti Principatus Imperio potiretur. Sed Cæſar ad clementiora conſilia conuerſus, poſt captum Pontificē, atque eum iam euaſtata Roma carcere liberatum, Sfortiam reſtituit ea conditione, vt Antonius, tuendæ Italiæ Dux copiarum, deductis, & in Græciam Hiſpanis militibus miſsis, Mediolani relinqueretur. Nemo enim eo potior gerendo bello Cæſari videbatur, & quanquam euaſtante cunctos artus podagra non aliter, quàm ſella ſuccollantibus ſeruis veheretur, nunquam Ducis munia, nunquam vllum militiæ laborem omiſit, aut intermiſit, vtpote qui lectica in aciem illatus, fulgentibus protectus armis, cōſpicuus omnium oculos in ſe conuerterer, & aperta galea ſuos adhortaretur, non ſemel cum hoſte conflixerit; ſemel apud Landrianum fuſo captoq; Sancti Pauli comite Regiæ ſtirpis Gallorum Duce. Nec longè ab eo eandem ſortem tulit Claudius Rangonus vir impiger, qui poſtremæ aciei præfuerat: deindè ad Caracam ad Lambrum flumen Superato Iacobo Medice, qui cum Heluetiis auxiliis aduenerat. Cum Cæſar è Genua Placentiam veniſſet, Antonius quoq; ad inuiſendum edocendumq; Cæſarem eò venit, vbi Cæſari aulæq; proceribus cum mutua gratulatione dux mirus & incomparabilis eſt viſus, vel ob id præſertim, quòd tantis rebus geſtis, totque partis victoriis vel occupante totos artus miſerabili morbo, animo pariter & corpore indomitus nunquam à munere militari diſceſsiſſet. Ea Antonij authoritatis atq; peritiæ opinione adductus Cæſar ex Africa Tuneto expugnato victor rediens ipſo præſertim Leua authore, Galliæ bellum intulit. Qua in re nihil Antonio ęgritudine affecto & cunctis diſtorto articulis pepercit, quin eum ſecū in Prouinciam adduceret. Id bellum propter rei frumentarię difficultatem & cæli inclementiam, cum ſecus ac putârat tractu durius atque exitu aſperius fuiſſet, ille languore animi, & dolore corporis oppreſſus ad Aquas Sextias fato ceſsit, natus annos quinquaginta ſex & relatus in Italiam apud templum Sancti Dionyſij Mediolanenſe inſigne ſepulchrum meruit, ſed non apud Lutetiam, vti crediderat, vbi Dionyſiana in æde celeberrima tumulum cum elogio funeri deſtinâſſet.

Ex Iouio.



GABRIEL SERBELLONIVS MEDIOLANENSIS.

GABRIEL Serbellonius Mediolanenſis ex Iohanne Petro,& Eliſabetha Rainolda natus, vtroq; parentum nobiliſsimus,& ſummo ingenio, eloquentia, conſtantia, fortitudine, ac prudentia præditus, ad ſummos militiæ honores & gradus promoueri meruit. Militarē profeſsionē ſub Ioanne Iacobo Medicco Marchione Meleguani auſpicatus cum arci Leuci à militibus Franciſci Sfortiæ ſecundi Mediolani Ducis circumdatę præeſſet, eam cùm obſidentium admiratione, tùm obſeſſorum gaudio incolumem ſeruauit. Abeodem Marchione ad ſuppetias caſtro Lanzio in regione Pedemontana à Gallis obſeſſo ferendas, cum copiis miſſus, mira celeritate,& fortitudine illud liberauit, cunctiſq; rebus neceſſariis communiuit. Carolo Quinto Cæſare in finibus Burgundię bellum gerente, oppidumq; Sandeſirium obſidente, Marchionis Medicei tum temporis tormentorum bellicotum ſupremi præfecti vices gerens, haud vulgarem iſtius muneris experientiam demonſtrauit. In bello Smalcaldico eidem Marchioni Mediceo ſubrogatus, ſummo ingenio per loca ardua,& difficillima tormenta ænea vexit,& tam tempeſtiuè adduxit, vt ad victoriam cōſequendam plurimum momenti,& opis attulerit. Sabaudiæ Duce,& Ferdinando Gonzaga Saluzium oppidum obſidentibus, cum tormentis æneis pręeſſet, mira celeritate expugnato,& arce capta, ad eam regendam defendendamq; electus eſt. Coſmo Medice aduerſus Senenſes belligerante, eodem officio fungens Gallos profligauit, vrbe tandem, Portuq; Herculis in Ducis poteſtatem redacto, immortalem gloriam eſt adeptus. Turcas, qui ſubſidij cauſa maximo Triremium numero Portum Herculis verſus nauigabant, in Plumbini agrum deſcendentes, ſumma fortitudine ac audacia aggreſſus eſt, poſt longū certamen q̃ plurimis interfectis, multis captis, reliquiſq; ad naues fugatis, horum victor à Philippo Hiſpaniarū Rege maximis munificentiæ beneficiis cumulatus eſt. A ſupra nominato Medice, huius militum ſupremus dux creatus, omnia Hetruriæ caſtra ac oppida optimè cōmuniit. Ioanne Angelo Mediceo Cardinali conſobrimo ſuo Pontifice creato, Romam vocatus, militum ac omnium Eccleſiæ caſtrorum præfectus, Burgiq; gubernator electus, caſtrum Sancti Angeli, Anconam, Bononiam, Peruſiam, multaſq; alias vrbes, & oppida propugnaculis firmauit & reſtaurauit. Deindè ob præclata opera Apoſtolicæ Sedi præſtita Eques Hieroſolimitanus ac Hungariæ Prior factus, Batonatuq; Mornaſiaco in Auinionenſi Comitatu, ac duabus triremibus à Summo Pontifice donatus fuit. Inſtantibus nomine Regis Philippi Marco Antonio Columna, ac Melitenſi legato, vt ipſę in Melite ſupremi Magiſtri vices gereret, licet diù recuſaſſet, ad inſulam tamen profectus, Gartiam Toletanum Siciliæ Proregem, ac ipſum ordinis Magiſttum diſcordes reconciliauit, Melitenſemq; vrbem cum Inſula multis reſtaurationibus, operibuſq; tutiſsimam reddidit. Inito intet Summum Pontificem, Hiſpaniarum Regem, ac Rempublicam Venetam contra Turcam fœdere, communi omnium conſilio tormentorum æneorum ſupremus præfectus in vniuerſa claſſe conſtitutus eſt. Parta demum victoria, cum illius experientia, labor, fortitudo omnibus innotuiſſet, ab Ioanne Auſtriaco Chriſtianæ Claſsis imperatore nonnullis tormentis æneis hoſti ademptis,& muneribus maximis honoratus fuit. Cum verò in Africa oppidorum Tuneti, ac Vticæ ab eodem Rege Philippo gubernator, quatuorq; millium Hiſpanorum, ac totidem Italorum Dux eſſet conſtitus, ac eam prouinciam regeret, vt illam tutiorem redderet, propè ipſam vrbem Tunetū caſtrum ſex propugnaculis munitum, propriæ manus opera militibus præiens conſtruxit, Vticamq; omni præſidio denudatam relinquens, cunctos milites Guletæ ac Tuneti morantes ad octo millium numerum in caſtrum reduxit. Interim cum Leptis maioris Prorex cum duodecim millibus Maurorum in Tuneti finibus agros inuaſiſſet, de ventura Turcarum claſſe certior factus, ſtatim ſingulis Guletę locis diligentiſsimè inſpectis, propugnacula multaq; alia opera ad perfectionem ſecuritatemq; reduxit,& protinus Tunetum reuerſus eſt. Cūm autem hoſtis Tunetana mœnia crebris tormētorum ictibus pulſatet, vrbem minimè defendi poſſe videns, quamuis ſumma cum virtute propugnaſſet eam tamen relinquere coactus eſt, cum omnibus militibus in caſtrum nouum ſe recepit. Adauctis verò hoſtilis exercitus viribus, captaq; Guleta, cum Turcæ recenti victoria alacres ad Tuneti caſtrum acceſsiſſent, ingentiq; furore propugnacula ac mænia oppugnare cepiſſent, Gabriel amiſſo filio Iohanne Paulo ſtrenuè dimicante, interfectiſq; pluirmis præfectis ac militibus, amiſſaq; caſtri parte, cum quinquagintaquatuor dies impetus hoſtium ſuſtinuiſſet, tandē omni ptorſus deſtitutus ſuccurſu & auxilio milites crudeliſsimè ab inimicis necari maximo cum dolore perſpiceret, cōſumptis viribus acriter quidem pugnans captus eſt. Bizantium ductus, humanius libetaliuſq; quam credi poteſt habitus, propriis pecuniis q̃ plurimos captiuos tedemit. Deindè Tutcæ eum cum Acomathe Euboico Topatcha permutatum honorificè dimiſerunt. Mediolanum reuerſus, cum eiuſdem vrbis & Inſubrię gubetnator euitandę peſtis cauſa Viglebanum ſe recepiſſet, in illius locum ſubrogatus, ſumma prouidentia & prudentia ciuitatem rexit, cunctaq; adminiſtrauit. Poſttemum ab Rege Philippo trium millium peditum, ac trecentorum equitum Dux creatus in Flandriam cōceſsit, cunctas Belgij præſidiarias ſtationes nouis operibus muniuit. Alexandro Farneſio Traiectum ad Moſam obſidente, & expugnationem non oportunis locis adorto, adeoque cum clade recedente, Serbellonius alibi collocatis tormentis, expugnationem faciliorem promouit. In patriam reuerſus, ſeptuagenarius Anno M. D. LXXIX. Calendis Ianuarij Mediolani deceſsit.



FRIDERICVS
COMES A FVRSTENBERG.

HVius Friderici Comitis in Fûrſtenberg, Heiligenberg & VVerdenberg Equitis torque Aurei velleris inſigniti maiores ante octingentos annos, regnantibus Carolinis, in Galijs aliquandiu Comitum dignitate eminuerunt, orti ex peruetuſta Comitum Altorffenſium in Sueuia præpollentium progenie. Sed illi poſt ex Gallijs in Germaniam remigrationem in Imperij fidem, obſequium & clientelam conceſſerunt, & largientibus Romanorum Cæſaribus, in citeriori ſyluæ Herciniæ tractu rerum potiti, atque Landgrauiatum Barrenſem cum ditionibus Fúrſtenbergenſi & Stuelingenſi, vndè cognomen acquiſiuerunt, adepti ſunt. Hunc Fridericum pater VVolffgangus Comes Fúrſtenbergius à Philippo primo Hiſpaniarum Rege Middelburgi Mattiacorum in Equeſtrem Aurei Velleris ordinem anno Milleſimo Quingenteſimo Quinto cooptatus nouennem Caroli Quinti Imperatoris, tunc ſexennis Ephebis aggregauit. In illius familia educatus, & adultior factus, cum eodem in Belgium ſe contulit, & ſepties Tribunus binarum legionum ipſi egregiè operam nauauit, atque octodecim expeditionibus magnis militiæ honoribus functus interfuit. Ante bellum Schmalcaldicum à Ferdinando Imperatore eo tempore Romanorum Rege, ſupremus aulæ ſuæ Præfectus conſtitutus, cum Archiduce Maximiliano Regis filio militiam adijt. Deindè Carolus Auguſtus Imperator ei Imperij Vexilliferatum tradidit. Sed precibus & excuſatione, quoniam ſibi propter aulæ præfecturam huic muneri ſimul præeſſe difficile foret, non quidem accepta vſus, generum ſuum Guilielmum VValdburgium Baronem, Sacri Romani Imperij Dapiferum hæreditarium in Vexilliferatus adminiſtrationem legatum ſurrogauit. Cum Schmalcaldici Caroli Imperatoris caſtra apud Ingolſtadium miſſilibus maioribus pertinaciter oppugnarent, hic Comes ponè non procul à Cæſare equo inſidebat. Huius equus globo ante Cæſaris pedes labente, & ſine effectu faua ſcrobe viribus fractis ſe condente leuiter tactus fuit. Poſt bellum Schmalcaldicum vehementer populo Pragenſi aduerſus Ferdinandum Regem rebellante cum paucis Pragam ingreſſus in Senatum Regis nomine quædam tractaturus admitti poſtulauit. Auditus, cum Senator ille, qui ſupremus à dextris ſedebat, ſurrexiſſet reſponſurus, hunc ſummouit, & in eius locum conſedit, ac orationem ſuam amplius proſecutus, tantum effecit, vt Senatus Populusque Pragenſis ſe Regi fidem & obedientiam præſtiturum reciperet. De quo Ferdinandus Rex certior factus, cum ſumma admiratione vix credibile duxit à Comite hoc, qui ſane maximum adierit periculum, ſine milite iſtius vrbis rebellionem ſolis verbis ſedatam. In Gallicis bellis, quæ Carolus Quintus geſſit, fratrem Guilielmum, qui Regi Gallico militauit aduerſarium habuit, & ad Eridanum vterque heri ſui nomine collocuti ſunt. Mortuo Chriſtophoro Comite VVerdenbergenſi vltimo ab Imperatore Comitatu Heiligenbergenſi, qui tanquam feudum Imperiale tunc vacabat, & caducus erat propter merita donatus fuit. A Rege Ferdinando ad Comitia Auguſtana euocatus dum ſe itineri accingit, in grauem morbum incidit, quo extrictus anno Salutis Mileſimo Quingenteſimo Quinquageſimo nono, in VVettenbronnenſi Monaſterio cum Coniuge ibidem ſepulta conditus eſt.



PETRVS ERNESTVS
COMES MANSFELDIVS.

PETRVS ERNESTVS Comes Mansfeldius ex antiquiſsimà nobiliſsimaq; familia Comitũ & Dynaſtarum in Querfort, quæ Lotharium Imperatorem protulit originem duxit, parentibus Erneſto, & Dorothæa Comitiſſa Solmenſi natus In aula Ferdinandi primi Archiducis Auſtriæ, poſtea Romanorũ, Hungariæ, Bohemiæq; Regis educatus eſt. Decimoſexto ætatis ſuæ anno cum Carolo Quinto Cæſare in Africam ad Tunetanam expugnationem profectus, prima ibidem militiæ tyrocinia poſuit. Deindè eius aulam ſecutus anno M. D. XXXXIII. in Belgio turmam equitum duxit. Sequenti anno Brederodius Baro mille equitum tribunum, legatumq; ſuum conſtituit, Mansfeldius quoq; ducentis cataphratis præfectus Sandeſirienſi obſidioni interfuit. Anno poſtea Quadrageſimo quinto à Carolo Quinto in Gubernatorem, & ſupremum copiarum Ducem Ducatus Luzenburgenſis, Namurci, & Chyni ordinatus, & ſequenti anno in ordinem equitum Aurei Velleris adlectus eſt. Paulò pòſt eum exercitu Aſpermontium mouens, dum quinquaginta tantum equitibus comitantibus præcedit, Gallos equites peditesq; mille ducentos adortus, eos fugauit. Arcem poſteà Aſpermontenſem defenſoribus, munitione, & commeatu optimè prouiſam obſedit, & in poteſtatem ſuam redegit. Cum annò Quinquageſimo ſecundo, Henricus Galliæ Rex Mediomatricum ciuitatem occupaſſet, iamque cum exercitu ſuo Argentoratum, vt eam obſideret mouiſſet, Mansfeldius à Maria Regina Caroli Quinti ſorore, & Belgij gubernatrice cum iuſto exercitu, cui ſe Belgij ordines, & Proceres adiunxerant in Galliam miſſus eſt, qua expeditione ciuitates Stinaium, Montfalconum, Montpreium, & alia loca expugnata ſunt, pluraq; tum Mansfeldius præſtitiſſet, niſi à prædicta Regina reuocatus, & ipſi defenſio Iuoicenſis ciuitatis demandata fuiſſet, quam dum Galli arctiſsimè obſediſſent, defenſores verò inuito Mansfeldio hoſti dediſſent, ipſe captus in Galliam ductus, ibiq; per quinquennium detentus, tandem perſoluto lytro dimiſſus eſt. Hinc anno Quinquageſimo ſeptimo in obſidione oppidi Diui Quintini mille equitibus, & Legioni militum Italorum præfuit, ſupremique exercitus Tribuni officio functus eſt, vbi in feſto Sancti Laurentij adiunctis ſibi Hiſpanorum leuis armaturæ equitibus primam pugnam iniit, hoſtem proſtrauit, victoriamq; obtinuit. Poſtero anno in expeditione Dorlianenſi iterum duas legiones vnam Germanorum equitum, alteram peditum, quos Valones vocant duxit, & vniuerſæ militiæ præſente Hiſpaniarum Rege cum ſummi Tribuni poteſtate præfuit. Obortis Belgicis tumultibus à Duciſſa Parmenſi Gubernatrice Bruxellas euocatus, vrbi præfectus eſt. Eodem quoq; anno qui fuit Sexageſimus ſextus, cum ſedecim vexillis militum Antuerpiam profectus, turbas compeſcuit, ciuitatiq; vſq; ad aduentum Albani Ducis præfuit. Anno Sexageſimo nono iuſſu Regis Hiſpaniarum, vt Galliarum Regi ſuppetias ferret, cum quinq; millibus peditum, & tribus millibus equitum miſſus, prælio ad Moncontourium commiſſo hoſtem victor profligauit, & quod laudi ipſius adſcribendum, Rex Carolus eo prælio Galliam conſeruatam literis teſtatus eſt. Deindè ſub gubernatione Ducis Albani cum, duobus millibus equitum conductus, ad defenſionem ditionis Lucenburgenſis contendit, & Vraniæ Princeps obſidionem Bergenſem in Hannonia ſoluere coactus eſt. Sub regimine Ludouici Recheſentij Magni Caſtellæ Commendatoris demum in officio ſupremi Tribuni militaris confirmatus, duo millia equitum comparauit, quibus cum Ludouicus Comes Naſſouienſis in campis Mucherinis cæſus interijt, tum præfuit. Mortuo commendatore, Senatu Bruxellenſe rerum potiente, & tumultuante, Mansfeldius, qui tum Regias partes tuebatur, à Senatu captus, non ſinè vitæ periculo per quinq; menſes in cuſtodia fuit. Cum verò Iohannes Auſtriacus in Belgium veniſſet facta pace liberatus eſt. Noua ſeditione orta, & pacis conditionibus fractis, nouum bellum enatum, in quo Iohanni Auſtriaco multis expeditionibus, ciuitatumq; recuperationibus fideliſsimam operam nauauit. Poſtea cum Duce Parmenſi in Traiectenſi oppugnatione adfuit, qua expugnata, in Geldriam cum exercitu profectus eſt, inde Montem Hannoniæ miſſus, tractationem pacis in prouinciis Artheſiæ, Orchidis, Inſularum, & Duaci inſtituit, eaſq; nomine Parmenſis ſumma cum poteſtate rexit. Quo tempore aliquot munitiſsimas arces, Cordracenſem Mortanium, Diui Amandi, Queſnoijum occupauit. Tribus quoq; diuerſis temporibus à Parmenſi totius Regij exercitus ſummus Imperator conſtitutus, aliquot ciuitates Bouchbenium, Niuellas, Villamfortem vi expugnauit. Wachtendonkam oppidum valdè munitum, etſi facile vi illud expugnare potuiſſet, vt ſanguinis profuſione abſtineretur in fidem ſuam recepit. Ter quoq; Parmenſi abſente in ſupremum Ducem militiæ, & adminiſtratorem omnium Belgij Prouinciarum electus fuit. Mortuo Parmenſi, ex Regis Hiſpaniarum decreto, earundem ſummus Gubernator conſtitutus eſt, in quo magiſtratu vſq; ad aduentum Archiducis Erneſti permanſit. Quam ſtrenuam, fidelemq; operam domino ſuo tam in bellicis negotijs, quam ſibi creditis prouinciis, publicæ fidei, obedientiæ, & incolumitatis ſtudioſè ſatagens præſtiterit, teſtantur ſubſequentes verſus in veſtibulo Senatoriæ domus Lucemburgi marmoreo tabulato aureis literis inſculptæ.

In Belgio omnia dum vaſtat ciuile bellum,
Mansfeldus, & bello, & pace fidus, perpetuus
Aequitatis cuſtos, æquiſsimi Regis Legatus.
Hanc prouinciam in fide continet, ſeruatq;
Illæſam cum ſummo populi commodo, & hilari
Securitate, vnde Mansfeldi nomen apud
Gentem Lucenburgam per ſecula charum manebit.



CAROLVS GONZAGA.

CAROLVS Gonzaga Gazoli Matchio Pytthi filius, omnibus laudibus viro Principe dignis cumulatiſſimus, corporis robore, & dexteritate ſupraomnem fidem inſignis. Adoleſcentulus coram Friderico Mantuæ Duce duos ingentes moloſſos, qui ſe mutuis morſibus laniabant in diuerſa diſtraxit. Brachiorum vi equum validiſſimum ſibi ad pedes abiecit. Manibus ſerreas ſoleas equorum ſæpe dirupit. Aſini, qui ſibi viam impediebat, collum ita torſit, vt ſtatim mortuus ptociderit. Vnica manu è terra ſuſtulit & iaculatus eſt pilam ſerream centum & ſexaginta librarum, duabus verò baſim matmoreá vnius & viginti ſupra ſexcenta pondo extulit. Foſſam octo & viginti pedes latam ex procurſu tranſſiliebat, ad cuius rei petpetuam memoriá erecti duo lapides marmorei ex interuallo diſtantes in Gazoli ſoto viſuntur. Armatus galea, & lotica tranabat Ollium flumen. Militem ſutti conuictum, cũ ſe in fugam dediſſet, momẽto aſſecutus vnico gladij ictu diſſecuit. Brixiæ in equeſtris pugnæ ſpectaculo duos equites ad tetram deiecit, tertium in ea vrbe cæteros omnes haſtiludij fama antecellentem ita colliſit, vt eius caput ad equi clunes vſque reflexerit. Onuſtus ſerteo thorace & galea nobilem curſotem interiote tunica tantum indutum longo, poſt ſe ſpacio curſu reliquit. Vnica manu gladio cæſim ſetiens caput boui amputabat. Sex hominibus alio alibi ſibi impoſito gteſſum ptomouebat. Lancea ſexaginta libtarum nullo ad calcẽ libtamento ita vtebatut, vt ſenſim demiſſam tèpente ſurtigeret. Equo non admodum graui, ſed egregiè quadrato, aliquando inſidens, abiectis habenis, demiſſam è fornice ductotiam catenam vttaque manu apptehendit, ac ſimul ad equi aluum appteſſis quam atctiſsimè crutibus, humetisq; connixus quadtupedem toto corpote pedibusque à tetta ſublatũ, & in aete pendentem oſtendit. Cotpotis robur animi virtutes admitabilius reddebant. Duodecimum agens annum ab Alphonſo Vaſtio Cæſarei exetcitus Imperatore turmæ equitum eſt ptæpoſitus. In prælio ad Cereſolam, bello Pedemontano, & Senenſi ptæclariſsima virtutis militaris edidit facinora. Anno Milleſimo Quingenteſimo Quinquageſimo quinto, ætatis ſuæ triceſimo tettio Præfectus totius Italici peditatus in Ciſalpina Gallia à Carolo Cæſare deſignatus fuit.

Deceſſit Gazoli.



ANDREAS
COMES A SONNENBERG.

Affirmant rerum ſcriptores Illuſtrem ac generis nobilitate præſtantiſsimam antiquiſsimamq́ue familiam Baronum, Dapiſerorumq́ue Waldburgenſium trahere originem ſuam ex Comitibus ab Alta Abiete, inter quos vnus à Conradino vltimo Sueuiæ Duce cum Friderico Auſtriaco ſuæ quoq; gentis poſtremo iuſſu Caroli Andegauenſis, qui Siciliæ, Apuliæ & Neapolis regna ſibi vendicabat, & de ſententia Clementis Quarti Pontificis in ipſa iuuentutis flore nefariè decollato ob fidelem præſtitam operam Sueuiæ Ducatus inſignia ex vltima voluntate dono accepta primus ſuæ familiæ intulit. Ex hac inclytus Andreas Comes Sonnenbergenſis, & Fridbergenſis Sacri Romani Imperij Dapifer hæreditarius, Baro de VValdburg, Dominus in Scheer, Buſſen, Dormedingen, & Kalberg &c. Maximiliani primi Romanorum Imperatoris Conſiliarius Eberhardo primo ex Cunegundi de Montſortia Comitiſsa natus eſt. In iuuentute bonarum literarum ſtudijs deditus, in ijſdem & morum elegantia eos progreſsus fecit, vt apud omnes magnam ſibi ſpem futuræ induſtriæ conciliârit. Ad maturiorem ætatem perueniens, ſtatim in eius animo Martius ſpiritus radices iecit, quæ vt aliquando efflorеſcerent, fructusq́ue dignos proferrent, eum vt Imperatorum, Regumq́; qui varijs tunc bellis implicati erant aulas frequentaret, eorumq́; ſeruitijs adſcriberetur, impulerunt. In quibus aliquantulum verſatus, deindè bellicis rebus addictus, cum Maximilianus feruorem eius militarem, prudentiam, ac dexteritatem cognouiſſet, ipſi exercitus ſui Tribunitiam poteſtatem concredere non dubitauit. Vbi igitur anno Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo ſexto Maximilianus tum temporis Archidux interfecto ab Heluetijs Carolo Burgundiæ Ducè ſocero ratione vxoris Belgicarum prouinciarum hæreditatem adiiſſet, ideòq; inter ipſum, & Ludouicum Galliarum Regem (qui eam hæreditatem ad Gallicum ius pertinere contendebat, iam etiam aliquot loca in dictis prouincijs in ſuam poteſtatem redegerat) crudeliſsimum bellum exortum, prælia varia commiſſa, ciuitates expugnatæ, & Maximilianus cæſis triginta millibus hoſtium inſigni victoria potitus eſſet, Sonnenbergenſis in eo bello ſummus exercitus Imperator conſtitutus, optimum ducem, militemq́ue fortiſsimum ſe præſtitit. Jn cuius rei fœliciter geſtæ teſtimonium vexillum hoſti ereptum ſicuti ex voto ante promiſerat Enendachij in parochiali æde Deiparæ virgini conſecrata affixum cernitur. Poſteaq; cū Maximilianus à ſua in Regem Romanorū electione, & coronatione in Belgium profectus à perfidis Brugenſibus captiuus detineretur, Fridericus Cæſar, vt filium ex captiuitate liberaret, conſcriptum in Imperio numeroſiſsimum exercitum, & principum auxilia in Flandriam ducens cum ad Gandauum caſtra poſuiſset, ac Brugenſes cum non contemnendis copijs Couxeum ciuitatem obſediſſent, Sonnenbergenſis cum aliquot cohortibus, & peditum alis à Cæſare eò miſſus Brugenſes adortus ſeptem millia eorum cecidit, multosq́ue captiuos abduxit. Aliquot deindè in Belgio & Geldria ſub eiuſdem Maximiliani Regis auſpicijs eadem dignitate, & militari imperio fungens expeditionibus ſumma cum laude interfuit. Nec minus Maximilianus iam Imperator declaratus Sonnenbergenſis Comitis ſummam in bellicis rebus adminiſtrandis prudentiam, induſtriamque cognouit, nempè in Pannonico cum poſt obitum Mathiæ Coruini Auſtria recepta in Vngaria Albam Regalem, in qua Vngariæ Reges coronari ſolebant expugnaſſet, Bauaricoq́ue bello contra Philippum Palatinum, eiuſq́ue filium Rupertum, vbi Maximilianus Alberti Bauariæ Ducis ſororij partes tuebatur, ita vt eum Imperator haud vulgari charitate, fauore, ac beneuolentia proſequens in grauiſsimis tam Imperijs quam bellicorum tumultuum negotijs eius conſilio, iudicioq́ue ſemper vteretur. Tandem in Sueuiam reuerſus, dum optima quiete poſt tot labores fruitur, orta inter ipſum, & Fœlicem Comitem VVerdenbergenſem leuibus ex cauſis ſimultate in reditu à venatione ab illo incautus, & non armatus haud procul Mengouienſi oppido confoditur, Enendachium perlatus ſplendido monumento conditus iacet.



ROBERTVS
SANSEVERINVS.

ROBERTVS Sanſeuerinus Dominus Gajazi, ex Illuſtri Sanſeuerinatium in Lucanis familia natus, plurimos ſuæ familiæ maiores magnanimitate vicit. Ex Regno Neapolitano in Lombardiã ſe recipiens, cum auunculo Franciſco Sfortia contra Ferdinandum & Alfonſum Reges Neapolitanos militauit, quibus multum negotij faceſsiuit, & ſingularis militaris induſtriæ exempla edidit. Anno Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo, cum Iohannes Anghianus cęſo ad Sarnum Ferdinandi exercitu pleroſq; Lucaniæ, & Calabriæ proceres, & inter hos Robertũ in ſuas partes traxiſſet. Paulò pòſt Regi Ferdinando reconciliatus, Cõſentiæ, Silani, Martorani, Neocaſtri, & aliorum aliquot locorum expugnationi inter fuit. Quem ſucceſſum impediturus Tarenti Princeps, cum Picininum ad infeſtandas Roberti in Lucania (Baſilicatũ nunc vocant) ditiones miſiſſet, Robertus, vt eum inde auocaret, Iuuenatium Tarentini Principis oppidum in Apuliæ finibus expugnauit, & in Campaniam victor abiit. Ad Troiam deindè, cum Galli tumulum quendam, & propè illum collem opportuniſsimum occupâſſent, Sanſeuerinus cum Roberto Vrſino, vtrumque depulſis Gallis cepit, quæ res victorię, ſecutæ, maximum attulit momentum. Commiſſo enim prælio Galli ex acie fugere, & Troiam ſe recipere coacti ſunt, vndè mox eruptionem de improuiſo facientes, aliis imparatis, ab ipſo Rege, & Roberto fortiter repulſi ſunt, & ciuitatis mœnibus diffiſi proxima nocta fugam inierunt. Cumq; Andegauenſis cum Duce Seſſano montis Garri tranſitum inſediſſent, miſſus eò cum parua manu Robertus, ſuperata montis crepidine, primam hoſtium aciem perrupit, donec ipſum ſecutus reliquus exercitus, hoſte in fugam acto, omnia circa Seſſam loca ferro & igni vaſtauit. Hoc bello finito circa annum Milleſimum Quadringenteſimum Septuageſimum primum Florentinis contra Bartholomæum Coleonem, qui eorum exules vi reſtituere volebat, auxilium tulit. Mox à Venetis magno ſtipendio conductus, bello Ferrarienſi Tartaram ponte iunctam tranſgreſſus Mellariam primum, deindè Caſtrum nouum, Gugelinam arcem, Diui Donati Turrem, Rodigium, Lendenariam, & alia loca partim ipſe, partim per filios, expugnauit Figarolum longa obſidione ad dedtionẽ compulit, indè febri ex paluſtri aëre contracta, Patauium diuertit. Recuperata valetudine in agrum Ferrarienſem duxit, obſidionem vrbis molitus, villas & ſuburbana loca vaſtauit, moxq; ad Argentam interfecto Antonio Martiano impigro hoſtiũ duce proſperè dimicauit, atq; adeò ſecundo vbiq; rei Venetę ſucceſſu bellum geſsit, vt ad Ferrarię vſq; mænia inſtructas acies promoueret. Inter hęc Sixto Pontifice Maximo adnitente, bellum ſociale in Venetos decretũ. Robertus igitur relicta Ferraria, hoſtes Veronam aggredi volentes, magna celeritate eò profectus retrocedere coēgit, & loca in agro Brixiano capta hoſtibus ademit. Exorto inter Innocẽtium Pontificẽ & Ferdinandum Arragonię Regem bello, cum Aquilani interfecto Regio prætore deficerent, & eos Pontifex imperitorum hominum conſiliis compulſus, vt opulentam vrbem imperio ſuo adiiceret fouendos, tuendosque ſuſcepiſſet, Robertus ad vrbis præſidium à Pontifice accitus eſt. Cum verò pro vetere cum fidei, tum virtutis opinione hoſtium impetum minus ſuſtinere potuiſſet, Pontifex bello temerè ſuſcepto neceſſariam potius, quam decoram pacem præferre coactus eſt. A Pontifice dimiſſus, Venetis contra Sigiſmundum Auſtriæ Archiducem operam nauauit, & ſupremus copiarum Imperator ab ipſis conſtitutus, Roueretum antea à Germanis captum recepit. Inde Tridentinis bellum intulit, & valles vltra citraq; Atheſim incurſionibus infeſtauit, tantumq; terroris Alpinis populis incuſsit, vt putaretur res Tridentinorum deplorata. Ad Atheſim & ſecundum ripas caſtra locauerat, & conſilium erat Petram oppidum ad ripam Atheſis inter ſcopulos poſitum, natura & hominum ingenio munitum tormentis expugnare, & nihil iam amplius eſſe, quod exercitum morari poſſet, poſteaq; Triſtentum ſtatim mouere, & captam vrbem hoſtiliter deripere, quod etiam indies cuncta ex voto ſuccederent, ominno ſibi perſuadebat Tridentinos metu perculſos in deditionem propediem vltro venturos, ea de cauſa ſegnius opera omnia intermittebat. Cum autem nihil ambigerent de victoria Veneti. Antonius Maria Sanſeuerinas Ruberti filius à Iohanne Comite Sonnenburgẽſi Germano viro fortiſsimo in certamen prouocatus, inita ſingulari pugna, aduerſarium ſpectante vtroque exercitu primum deiecit, Sonnenburgenſis autem ſub loricam in renes ſuper in cumbentis Itali, qua parte vulnus læthale fuit pugiunculum adegit, ita vt qui modò victor credebatur, in poteſtatẽ Germani victus venerit. Interim verò Tridentini, quibus hoſtium conſilia erant explorata, ex compoſito repentè deuolarũt, Veneti ſimul ac conſpexêre obſeptos militibus montes, atq; hoſtes cum horrifico clamore decurrere, territi primo cõgreſſu ſolutis cuneis fuſi, partim in fuga protriti ſunt, alij in aquam cæci ruerunt. Robertus, dum in tanto diſcrimine ſuos à fuga in prælium reuocaret, hortareturq;, vrgente aliorum turba, quæ Germanum ferre non poterat, in Atheſim eques detruditur, qui vorticibus correptus ſub vndas euoluitur. Roberti corpus diligenter conquiſitum, tandem ſub fluctibus inuentum, & in vrbem delatum, licet ad excidium vrbis veniſſet, publico tamen apparatu ſepulturæ mandatum eſt: eius ſepulchrum in templo Diui Vigilij & in marmore ipſius Ducis ſtatua militari habitu expreſſa conſpicitur.



IODOCVS IOSEPHVS
COMES TVRRIANVS.

IODOCVS IOSEPHVS Turrianus Antonij Turriani Comitis & Liberi Baronis ex Anna Baronissa de Hohenfeld filius Valsassinæ Comes, Liber Baro Sãctæ Crucis, Hereditarius Carniolæ & Illyrii Prætorio Præfectus, Goritiæ Comitatus Marischalcus, anno Millesimo Quingentisimo Tricesimo tertio natus est. Vndecimum ætatis annum agentem pater in aulam Caroli Quinti Imperatoris misit, vbi inter nobiles ephæbos educatus, & ibidem septennium moratus, ephæborum contubernio exauthoratus, anno Quinquagesimo primo salutis sub Ioanne Vngnadio supremo belli duce in finibus Illyricis prima tyrocinij rudimenta eques posuit. Abeunte Vngnadio octuaginta equitum præfecturam adeptus, Sanctæ Crucis in Sclauoniæ limite munimentum contra Turcarum incursiones per triennium strenuissimè defendit. Anno Quinquagesimo sexto Ferdinandum Archiducem Austriæ Ferdinandi Primi Imperatoris filium iussu patris in Hungariam cum exercitu proficiscentem comitatus est, in qua expeditione tale virtutis & fortitudinis militaris specimen edidit, vt posteà sub Ioanne Leukouitschio qui Vngnadio in Illyrij præfectura successerat equestrem vexilliferatũ consecutus sit. Nec cæptis destitit, quin imo sæpius in Turcicas partes inuasit, Turcarum irruentium conatus fregit, turpiter nonnunquam fugam arripere eos compulit. Quia verò magna & egregiè patrata facinora maiora merentur præmia, ad supremam equestrium pedestriumq; copiarũ in Carnis præfecturam euectus, eas in Turcas duxit, & memorabili prælio, quo quatuor Turcarũ millia cum trecentis solummodo suorum profligauit interfuit. Quamuis autem ab hostibus dum cum subsidiarijs copiis in Carniolensem ditionem pro confinibus ab hostium incursibus defendendis ingressus aliquot aduersa vulnera accepisset, hæc tamen animum eius à cæptis non auocarunt. Hustrephum Sangiackum numeroso exercitu in Croaticas fines irrumpentem sub arce Nouigradensi fudit, & suapte manu viuum cæpit, qui se viginti ducatorum millibus pro lytro depensis, & decem equis phaleratis redemit Anno Millesimo Quinquagesimo Sexagesimo sexto, quo etiam menseq; Decembri à Maximiliano secundo Imperatore equestri ordine torqueq; aureo donatus, sequẽti anno Seniensis in Dalmatia Toparcha declaratus, quod munus vsq; ad septuagesimum annum gessit. Inde reuocatus Vschochorum imperium obiit. Seditiosam rusticorum coniurationem in Gurkfeldensi tractu oppressit, & quingentis militibus quinque millia rusticorum fudit, & prostrauit. Imperator Maximilianus, & post eum Rudolphus vterq; Secundus Turriani in rebus bellicis virtutem & peritiam experti, eundem senatui bellico arcersuerunt. Carolus Archidux in vniuersalem finium Croaticarum Sclauonicarum, & maritimarum finium prætorem delegit. Octogesimo quarto Turcicum exercitum decem millia excedentem duobus millibus propè Schluninam cecidit, & ad internecionem deleuit, ab ductis ingentibus ditissimisq; Spoliis, trecentisque Christianis liberatis. Multa igitur fortiter præclarèq; gessit, ita, vt verè defensor & propugnator patriæ, præsidium Archiducis Caroli, subsidium Christianorum suæ militiæ partibus subiectorum, Turcarum pauor, militum parens fuerit. Legatum deniq; ac Commissariuni Cæsarei Maiestatis, ac Archiducis Caroli apud Venetos egit, & Octuagesimo nono Seniæ discessit.



IOANNES IACOBVS MEDICES MARCHIO MELINIANI.

IOANNES IACOBVS Medices, qui posteà Marchionis Meliniani nomen tulit, ex illustri Medicea Florentinorum illorum, qui propter ciuiles discordias Mediolanum se cõtulerunt, familia patre Bernhardino mediocris conditionis anno Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo octauo natus, fratres in militia coros, & inter eos Ioãnem Angelum, deindè Pij Quarti nomine Pont. Max. habuit. Fuir egregia claporis dispositione, gratissimi aspectus, spiritu errecto & animo, & ad res gerendas intrepido. Francisco Secundo Sfortia ad Ducatum Mediolanẽsem assumpto Astorem Vicecomitem (cuius maiores aliquando Mediolani gubernârant) opum potentia fretum, rebus studentem nouis, & Francisco minus obedientem occidit. Quod homicidium, siquidem Sfortia conniuente perperratum erat, vr occultum maneret, eius iussu Mediolano excessit, & ad lacum Larium se continuit. Mussium arcem munitissimam, non procul à ripa in verrucosa crepidine sitam, trinis per gradus coronis circumdatam, cuius prȩfectus facinorosis hominibus receptis viciniam omnem infestabat, impetratis à Sfortia militibus & tormenris, in suam potestatem redegit, ac sub titulo Castellani possedit. Paulò pòst etiam tres pagos ad eundem lacum, & ad Canorum Rhȩrorum dominium perrinentes occupauit. A Rege Galliarum Francisco Valesio Ticinum obsidente in auxilium euocatis horum Rhætorum sex millibus, Iohannes Iacobus, quòd eorum vires diminutas cognosceret, oppidi Clauennæ prȩcipuam in Rhȩtis istis arcem, huius prȩfecto insigni strategemate eliciro deditione cepit. Rhæti igitur ex Gallicis castris redeuntes, suis vt opem ferrent, arcem obsederunt, vbi Ioannes Iacobus fortiter pugnando vulneratus, pactis conuentis, postquam ipsi duodecim millia aureorum numerâssent, & trium supradictorum pagorum iuri plena, liberaq; cessione renunciâssenr, arcem restituit. Deinde Leucum firmissimam arcem obsidione cinxit. Celebrabatur iam passim eius virtute militari Carolus Quintus Imperator, procurante Antonio Leua, summo Cæsarei exercitus duce, eum suis seruitijs adiunxit, atq; non solùm Leuci, verumetiam Mussij Marchionem creauir. His possessionibus auctus, naues pro sui defensione ad Larium lacum construi iussit, miliribus suo stipendio addictis, & omni necessario apparatu instruxit. Mongucio occupato, rerum vsq; ad Montebrianensem ditionem potitus est. Carolo Quintò in Germaniam reuerso, & ab hoc Francisco Sfortiæ Ducatu Mediolanensi restituto, Ioannes Iacobus inquieti animi, & dominij sui augendi cupiditate inflammatus denuò in Rhætos cum exercitu profectus Vallis Telinæ oppidum obsedit, & Marbenam intrauit. Rhæti igitur fædere cum Sfortia inito, ad resistendum se parauerunt. Sfortiani Monguciurn, & Leucum, Rhæti Mussium acriter oppugnauerunt. Ioannes Iacobus posteaquam Mongucij obsidionem per aliquot menses fortiter sustinuisset, tandem viribus ad defensionem deficiens noctu exiensq; cum suis saluis Leucum peruenit. Ibidem similiter noctu egressus, rumore excitato sibi auxilia aduenisse, in castra Sfortianorum irruptione facta maximam eorum partem cecidit, & Rhætorum ducem captiuum Leucum abduxit. Idem quoq; in Mussii arce obsessus egit, dum in hostium castra de nocte impressionem faciens eos consternatos in fugam coniecit, maxima præda potitus, & tormentis in lacum demersis victoriosus in arcem reuersus est. Sfortianis secundùm Leuci obsidionem continuantibus, Ioannes Iacobus Comum obsidere constituit, iamq; cum classe sua eò proficiscebatur, cui Gabriel frater præerat. Hic ab excubitoribus, qui in ripa lacus consederant, tormenti globo ictus occubuit. Qui casus, & quòd iam pecuniȩ inopia ad alendũ militẽ Medices laboraret, conatus eius irritos fecit, ita, vt cũ Sfortia ad pacis condiriones ineundas compulsus sit. Sfortia receptis Leuco & Mussio ipsi Melinianum Marchionatum numerata quoq; immensa pecunia possidendum tradidit. Mortuo Sfortia, Carolo Quinto in bello Gallico fidelem operam nauauit. Ad Ferdinandũ Germanorũ Regẽ cũ tribus millibus Iralorũ peditum in Vngariã profectus strenui ducis, militisq; officio ita functus est, vt Rex & summo amore ipsum prosecutus sir, & maximis muneribus cumulatum dimiserit. Carolum Quintum in bello Cliuensi, Landresiano, Sandesiriano, & Smalcaldio, in quo etiam legionem Germanorum peditum duxit, secutus, machinarum bellicarum supremam præfecturam summa cum laude gessit. Tumultuantibus Boëmis aduersus Ferdinandum eorum Regem, à Carolo cum eadem legione fratri in auxiliũ missus est. In Mediomatricensi expeditione, quatuor millia Italorũ peditum Carolo Cæsari adduxit. In Italiam demum reuersus, in bello, quod Cosmus Dux contra Senenses gessit, ab eodẽ Duce euocatus, & conductus, summus toti⁹ belli administrator, exercitusq; imperator electus, & constitutus fuit. Senis recuperatis, ad occupandum Portum Herculis animũ applicuit. Superatis præter omnium opinionem difficultatibus, incredibili celeritate exercitũ traduxit. Præsidiarij inopinata obsidione pressi, cum resistere non auderent, mox se dediderunt. Et hic belli Senensis finis, victoriarum præteritarum Melinianarum stabilimentum, Cosmoq; pax cum securitate restituta fuit. Post infinitos tandem belli labores Mediolanum reuerso, Philippus Hispaniarum Rex ob præstantissima eius merita Ducatus Mediolanensis administrationem committere statuerat, & sanè factum fuisset, si non lethali infirmitate correptus vitam cum morte commutâsset. Obiit Mediolani anno M. D. LV. ætatis suæ Quinquagesimo octauo.



IOACHIMVS
II. ELECTOR ET MARCHIO BRANDENBVRGICVS.

IOACHIMVS Secund⁹ Marchio Brandenburgensis Elector, Dux Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum, & Vandalorum, Burggrauius Noribergensis, Princeps Rugiæ &c. Natus patre Joachimo I. Electore; matre Elisabetha, Ioannis I. Regis Daniæ filia. Hunc pater ab ineunte ætate ad doctrinam & virtutem sedulò educari curauit. Iuuenis cũ parente in aulã Imperatoris Maximiliani primi se contulit; cui breui tàm carus factus est, vt ei Imperator neptem ex Philippo filio desponsârit, quæ tamen ante nuptias immatura morte sublata est. Anno ætatis decimo nono à nato Christo M. D. XXIIII. matrimonium contraxit cum Magdalena Georgij Ducis Saxoniæ filia. Quo matrimonio per mortem soluto alteram vxorem duxit Heduigidem Sigismundi Regis Poloniæ filiam, qua cum armatus sponsalia celebrauit anno Christi M. D. XXXV. quo tempore patri defuncto in Electoratu successit. Anno gubernationis suæ quinto Academiam Francofurtensem, quã pater illius anno Christi M. D. VI. ex Lipsensi consensu Alexandri VI. Pontificis, & Maximiliani I. Romanorum Imperatoris fundauerat, confirmauit. Prima militiæ tyrocinia in Hungaria, viuẽte adhuc patre, Anno Christi M. D. XXXII. feliciter posuit. Turcam in prælio ad Leopoldum vicum cũ duobus equitum milibus fudit fugauitq; vnde à Carolo Quinto Imperatore cingulo equestri donatus est. Postea in bello Hungarico, quod Ferdinandus Rex non tàm cum vidua Iohannis Sepusij, quàm cũ ipso Turcarum Imperatore, Buda iam paulò ante capta, gessit, anno Christi M. D. XLII. decreto procerum Imperij, in Comitijs Spirensibus Dux belli electus, apparatu bellico, & milite copioso validissimè instructus, nullis parcens sumptibus, qui ad bellũ cum tanto hoste gerendum requiruntur, spretis difficultatibus & periculis omnibus, magno & inuicto animo in Hungariam contendit. Etsi tunc quidem multis de causis susceptæ expeditionis felicitas impedita fuit: tamen Ioachimus id saltẽ præstitit, ne hostes facta impressione lætius progrederentur. Itaq; Ferdinandi fines in Hungaria à latrocinijs, vastationibus, incendijs ac sæuitia barbarorum tutos seruauit. Interim bellũ mouebatur Germanicũ, in quo semper Imperatori adfuit, copijsq; suis Iohannem Georgium filium præfecit, quem Imperator clementer acceptum equestri dignitate ornauit. Hostibus Caroli deuictis, Ioachimus pro salute illorum apud iratum Cæsarẽ tentauit omnia, quæ ad reconciliationem facerent, donec tandem hoc intercessore Cæsar placatus est. Anno Christi M. D. XLVIII. dum Cæsar Imperij negotia Augustæ tractat, Saxones tumultum excitant, qui bellum peperit Madeburgicum. Eò Elector his misit copias etiam suas. Quo motu composito, Principibus autor fuit Ioachimus, vt pacta, quæ familijs Saxonicæ, Brandenburgicæ, Hassiacæ ex constitutione Alberti proaui peculiaria sunt, renouarentur. Anno M. D. LVIII. resignationi Caroli V. in comitijs interfuit, & à Ferdinando hoc publico ornatus est encomio: Neminẽ ex Imperij Principibus, eo quidem tempore rebus sic stantibus, melius aut perfectius aut sapientius dicere ac consulere potuisse. Anno M. D. LXII. comitia Frãcofurti indicta inuisit, ibiq; Coronationi Maximiliani II. interfuit. Fuit Joachimus Elector præter altũ frontis honorem corporis statura sublimi, augusta ac verè Regia ad Maiestatem composita, colore subfusco, oculis splendidis, incessu graui, ita, vt ipso aspectu Principem virum iudicares, sermone rarò ac liberali, in quo grauitas cũ humanitate certabat. Sumptus fecit in Comitijs, bellis, conuiuiis, liberorũ nuptijs, venationibus, ædificandis palatijs, & extruendis munitionibus magnificos ac regales. Quanti verò illud faciendum est? quod in media Marchia arcẽ excitauit inexpugnabilem & inuictam prope ciuitatem Spandouiam, cui propugnaculum addidit firmissimum ac munitissimum, cũ armamentario instructissimo, Aulæ & Curiæ Berlinensi vicinum. Vt autẽ reliqua persequamur, elucebant in hoc Principe virtutes salutari gubernatore dignæ, Singularis in Deũ pietas, amor subditorum, excellens & Heroicus in vtraq; fortuna animus. Ab intestinis autem bellis, quibus turbari solent publica, euerti priuata, semper fuit alienissimus. Jpso enim viuente, quod sanè magnum est, nullus ciuis, & ne villicus quidem horridi & externi militis trucem aspexit vultum. In Comitijs eloquentia tantoporè claruit, vt eo nomine apud Carolum V. & Ferdinandum Imperatorem in magna esset admiratione. Itaq; Caroli impetum in Germania solus est moderatus. Ferdinandus autem Maximiliano II. ac reliquis liberis suis ante mortem seriò iniunxit, vt, si salui esse vellent, Joachimum Electorem veluti alterum parentem amarent ac venerarentur, eiusq; parerent consilijs. Hic elector in sua familia primus Silesię ac Prussiæ Dux salutatus est. Jn tota gubernatione laudem cumulauit componendis Principum dissidijs, vt verè Pacificatorem Germaniæ dixeris. Ius dixit summa cum religione ac fide. Aliquando ingenuè confessus est liberis suis, se nunquam nisi fortè à Consiliarijs deceptum, Iuris disciplinam violâsse. Mortuus est in arce venatoria Copenica. A cæna suæ vitæ vltima Christi in cruce pendentis effigiem in tapete creta delineauit, postea se somno dedit, quo mox soluto, de magna totius corporis omniumq; virium imbecillitate conquestus est, nec ita multò post placidè animam exhaluit mane circa horam quintam, die Januarij tertia, ætatis suæ anno LXVI. demptis diebus quinq; completo Electoratus sui anno XXXVI. Princeps à clementia, magnanimitate, liberalitate, & amore pacis laudatissimus.



IOHANNES
CASIMIRVS PALATINVS.

IOANNES CASIMIRVS,exantiquiſsima illa
& Illuſtriſsimâ Palatinorum Rheni Comitum,atq; Ba-
uariæ Ducum Gente,Patre Friderieo III. Sacri Rom. Im-
perij Septemvito,Matre verò Caſimiri Matchionis Branden-
burgici filia Maria oriundus ſuit.Puet admodum in Aulam Lo-
thatingiæ Ducis miſſus,paulò pòſt Henrico III.Galliarum Rege ex fœdere Saxonico in Ger-
maniæ fines irtuente, vnà cum Carolo filio Lotharingi, nihil eiuſmodi opinantibus Nanceo in
Galliam abductus, atq; in numerum Adoleſcentum domeſticotum adſcitus, eadem cum illis edu-
catione habitus ſuit, vbi pto ætate plurima ſtatim ingenij & animi egregiæ indolis ſpecimina de ſe
edidit,ac promptitudine,alacritate,& dexteritate cæteros ſodales facilè ſuperauit, adeò vt Regina con-
junx Hetruſca aliquando ſubridens quidem,ſed ſeriò Regi objecetit, ſe mirari, cur adoleſcentem nutri-
tet,quem aliquando Galliæ negotium faceſsitutum mens præſagiret.Hinc animum militiæ adjecit,eamq;
bellicæ vittutis ſamam adſecutus eſt,vt inter ſui ſeculi Germanos belli Duces,omnium ferè opinione, pri-
mum locum obtinuerit,moribus nihilominus ita humaniſsimis præditus, vt incertum ſit,fortitudine cla-
rior,an ſuauitate ingenij amabilior fuerit: Vt qui laborũ omnium ſemper patientiſsimus, ſic pacis Imperij
ſtudioſiſsimus exſtitit.Religionis induciis in Gallia armis obtentis, repentè à Regis,& Albani Ducis Bajo-
nenſi colloquio ſecundi belli ciuilis calamitas Regnum excepit.Itaq; Ludouicus Borbonius Condenſis Prin-
ceps, Eccleſiarum teformatarum Pattonus, hoſtibus ad S. Dionyſij fanum in oculis Pariſienſium fuſis, ad-
verſæ factioni viribus ſe ſuis imparem agnoſcens Friderici Electoris opem haud fruſtra implorauit. Is ſup-
petiarum curam filio Ioh. Caſimiro demandauit, qui conſcripto magno peditum & equitum exercitu Hei-
delbergâ in Lotharingiam conceſsit,ſeque Borbonio & ſocijs Gallis conjunxit. Rege verò nequicquam in-
gentibus pollicitationibus reditum ipſi in Pattiam petſuadente, abſq; mora ad Caſtrum novum exercitum
luſtrauit ac recenſuit.At Gallis pecuniam non expromentibus,de ſuo ſtipendium militi exſoluit,& penitius
in Galliam duxit, irrito conatu Budeo Principe Portiani ſratre cum ſelecta manu Caſtra eius adoriente: nec
feliciore euentu præſidiariis ex Langreſio ſæpius in illum erumpentibus. Ad oppidum Caſtillionem eiuſdẽ
nominis Cardinalis primum Regis de pace mandata, ſed fruſtra expoſuit. Interim Theodoricus Shönbur-
gius ducentos equites ex illo præſidio fudit,fugauit. De hinc aliquot oppida capta, nonnulla direpta ſunt.
Tandem ad Carnutes peruentum,vbi Palatinus ſua manu tormenta militaliter diſpoſuit, librauit, diſploſit.
Satis amplo expugnationi ſpatio mœnibus ꝓſtratis & jam jam irrupturo milite, Cardinalis idem cum pacis
capitibus interuenit.Palatino quidem non audito induciæ pactæ,ac deinceps pet ſæcialem pax publicata eſt:
ſic factum vt Carnutum oppidum cum præda opima Gallorum ſeu inuidia, ſeu belli tædio, è manibus Ger-
manorum eriperetur.Palatinus magnis itineribus Gallia excedens,copiiſq; dimiſsis,Heidelbergam,â Paren-
te,atq; ciuibus magna cùm lętitia & honore exceptus rediit.Nouo deinde excitato in Gallia bello idem Con-
dæus oblata Metis, Tulij & Verduni vrbium perpetua præfectura apud Palatinum effecit, vt in ſtructiſsi-
mo è Germanis & Heluetiis exercitu ipſi ſuccurrerit. Tunc Noviodunum Biturigum ad deditionem com-
pulſum. Maynio Duce cum exercitu Regio approperante, acie inſtructa Palatinus ſui poteſtatem fecit, illo
verò prælium detrectante ipſe vlterius contendit. Ex itinere obuiis ciuitatibus pecunia & annona imperata
Auernorum in finib⁹ inter illum,Condęum,& Alanconium Regis ſrattem,de belli ſumma deliberatum eſt.
Henricus interim Rex,Galliam tanta Germanorum mole liberatam cupiens,de pace per Legatos egit. Cui
Caſimirus,ne deeſſe videri poſſet,apud Aulam publicè te ſtatum fecit,non ſui commodi,ſed ſolius tranquil-
litatis Gallicæ tecuperandæ cauſa arma ſe ſumpſiſſe. Mota autem ex mora injecta Palatinus cum Condæo
Liguri trajecto Divi Severini oppidum vi expugnauit,quingentis tamen cùm eiuibus, tùm libetis & vxori-
bus in arcem ſugientibus, vel inuitis Heluetiis ob deſideratos in expugnatione commilitones, cui inaudito
aliâs huic Genti exemplo intereſſe voluerunt,irritatis, parci iuſsit. Inde Lutetiam motis caſtris, incredibile
dictu,quantoperè ibi trepidatum,ſed Alanconij & Reginæ precibus incæpto deſtitit.Mox inter Palatinum,
ſocios Gallos,& Reginam intercedente colloquio pacis conditionibus Rex acquieuit. Caſimirus præfectura
tot ciuitatum abdicata ex Gallia abiit, Alanconio IV. majora tormenta dono reliquit,quibus ille, vix dum
eo è Gallia digreſſo,contra Hugenotos vſus eſt.Poſteà ab ordinibus Belgicis accerſitus,numetoſo equi-
tatu & legione peditum conſcripta in Brabantiam movit, vbi ſemel cum Ioannis Auſtriaci milite cõ-
greſſus,ſeptingenti ex Hiſpanis deſidetati ſunt.Dein Gandauenſium auſpiciis contra Malconten-
tos bellum geſsit.Interea autem dum is in Anglia à Regina exquiſitiſsimis honoribus,& equeſtri
ordine Anglicano afficeretur,de militis ſui,ab Auſtriaco commeatu impetrato,in Germaniam
reditu intellexit.Audita ſratris Ludouici morte,licet ſocietate belli Colonienſis implicatus,
tutelam Nepotis & Adminiſtrationem Electoratus omnibus rebus pręferendam een-
ſuit,qua,nonnullorum motam ex teſtamento ſraterno litem nihil moratus, integra
fide,tùm cura & laude ſingulari petſunctus fuit. Tandem anno M. D. XCII.
ætatis XLIX. viij. Jdus Ianuarij Heidelbergæ, magno bonotum eum lu-
ctu diem obiit.Sepultus eſt ad S. Spititus. Reliquit ex Eliſabetha
conjuge, Auguſti Saxoniæ Electoris filia, Dototheam,quæ
Ioanni Georgio Anhaltino Principi nupſit.



ASTOR BALEONIVS.

FAmilia Baleonia viris militaribus æquè, atq; illuſtri familiæ ſplendore apprimè clara, inter cæteros herôes hunc etiam Aſtorem produxit, & vita omni gloriosè tranſacta pariter, & morte pro Reipublicæ Chriſtianæ ſalute fortiſsimè obita celeberrimum. Patrem is habuit Gentilē Baleonum Qui, quod fratres eius maſculis hæredibus carerent, ducta Iulia Vitellia, ex Epiſcopo Oruietenſi diſpenſatione Pontificis numeroſæ ſobolis pater effectus, labaſcentem familiam ſuam, atque in ſeſe iam tum prouectæ ætatis penè ſexagenarium ſenem inclinatam, egregiè ſuffulcijt. Adoleſcens Aſtor prima belli rudimenta ſub Octauio Farneſio Parmæ Duce, & Vitellio Auunculo Peſti in Hungaria contra Turcas poſuit. Atq; per quatuordecim menſes, quibus illic ſubſtitit, ita Ioanni Angelo Medicæo Cardinali, legato Pontificio operam induſtriamq; probauit ſuam, vt iſtius commendatione, ſatagenteq; ſummo Pontifice, à Coſmo Hetruriæ Duce paternis in agro Peruſino ditionibus, ex quibus maiores ipſius pridem expulſi fuerant, benignè reſtitueretur. Eandem egregiæ virtutis famam, & ſummam ergà ſe beneuolentiæ auram fortibus factis, & apud pleroſq; alios, & apud Cardinalem Farneſium Legatum Pontificium, præclarè ſibi conciliauit bello eo, quod inter Carolum V. Imperatorem, & Germaniæ Principes aliquos geſtum, Smalcaldicum à fœderis inter hos icti loco vulgò vocant. Annum is tum agebat vndeuigeſimum. Verum animus ſupra ætatem ingens, omniſq; periculi contemptor pariter & iniuriæ impatiens, quod generoſis accidere plantis ſolet, fructus indomiti roboris planè maturos abundè protulit. Senſere id Capitaneus aliquis, atq; item alter Sulmonenſis eques quidam, iſtius enim impetus à conjecto in pedes, atq; tum latus alterum lancea traiectū grauiter ſaucio, fortiſsimè retuſus: huius verò grauis atque iniuriæ importunitas vel in ipſo Farneſij Cardinalis aſpectu à ferociente adoleſcente gladio repreſſa fuit. Quis eius vigor præliantis, quæ in hoſtem incumbentis vis fuerit, ex dictis coniecturare eſt. Vndè redeuntis virtutem amplexatus Paulus Tertius Pont. Max. Vrbis Romæ gubernatorem eum conſtituit. Non minus de tanta viri virtute præclarè ſentiens, Sacer purpuratorum patrum ordo eum ſolùm dignum cenſuit, cuius fidei induſtriæq; & ſeipſos, & Reipublicæ ſimul vniuerſæ ſalutem tranquillitatemq; mole Hadriani ad tuendum defendendumq; ipſi tradita, interea crederent, donec in Pauli Pontificis morte ſublati locum Eccleſiæ Dei nouum paſtorem Chriſti vicæ ſponſarent. Quæ verò domi foriſq; præclarè poſtea geſſerit, vt prolixè recenſeam, nec inſtituti noſtri ratio fert, nec ad extremum eius pulcherrimumq; virtutis conatum properanti vacat. Dederat verò is toto iſto tempore & in Africa, vbi Imperatorijs Caroli V. auſpiciis ſecundo euentu militauerat: & in Italia Bergomi, Pataui͏j, Veronæ, aliarumq; Veneti Imperij vrbium gubernacula tractans, documenta de ſeſe fortitudinis peritiæq; militaris ſanè quam illuſtria. Eo quidem obſecundantis fortunæ feliciſsimo ſucceſſu, fama, vt herôem tantum ab omnibus Imperatoriis artibus egregiè inſtructum, vnum ex omnibus ſelegerit grauiſsimus Senatus Venetus, cuius indomita virtute Selymi II. Tyranni Turcici Cyprum inuadentis immanem ac efferam rabiem reprimendam duceret. Gubernator igitur in Inſulam miſſus Aſtor, omnia quæ diligentiſsimi ſolertiſsimiq; ducis munia erant exactè ſeduloq; impleuit. In exercendis verò otij vitandi cauſa militariter copiis, quas luſtratis totiùs regni viribus coëgerat, præcipuè multus erat. Nicoſiæ regni Metropoli eiectis primum exteris infidelibuſq; præſertim omnibus, introductoq; trium milium præſidio, atq; incolis in duodecim conſortes diſtributis egregiè proſpexit. Quæ verò vis tanti hoſtis impetum ſuſtineret? Obſeſſa à validiſsimis numeroſiſsimisque hoſtium copiis, acerrimèque oppugnata Nicoſia, quæ non ita pridem militem ſuis confiſa viribus ægrè admiſerat, ad extremam breui redacta neceſsitatem, vnam in Baleonij noſtri præſentia ſalutis ſpem repoſuit, eumq; vt ipſemet ſe eò conferret per Capitaneum quendam nomine Columbanum grauiſsimè obteſtata eſt. Verum M. Antonius Bragadinus iam tum Nicoſianorum ſalutem deploratam ſciens, Baleonū Famaguſtæ retinendum eſſe, nec ſine flagitio dimittendum, omnino cenſuit. Ne ſcilicet & vrbs Regni oculus atque clauis, & integer florenſq; exercitus Imperatore deſtitutus periculo incaſſum exponeretur, adeoq; penè proderetur, Baleonus verò Nicoſianorum miſertus, atq; eò omninò proficiſcendum ſtatuens, mentito habitu decipere Bragadinum, atq; obſeſsis ſuccurrere dum vult, à populo militibuſq; agnitus, ſiſtitur, vel enim omnes ſeſe ſubſecuturos clamitant, vel patrem ſeſe ducemq; ſuum retenturos: nec vllo modo permiſſuros, vt is abſentibus ſeſe hoſti mactandus obiiciatur: Famaguſtæ igitur ſubſiſtens, oppugnantis hoſtis immanes vires cum Bragadino ad extremum vſq; vitæ halitum ſuſtinere decreuit. Fuit obſidio ea ſi quæ vlla alia noſtro ſeculo ab extremis hoſtium conatibus vel maximè aſpera atq; longè acerrima. Certabatur vtrinq; vi pariter & ingenio, atq; ab obſeſsis Baleonio adminiſtrante maximè. Sed tamē Deo ita diſponente lugubris exitus fuit, vt cum muri ſeptuaginta tormentis maximis vndiq; latè proſtrati eſſent. nec quicq̄ ad ſuſtentandam vitam, canibus felibuſque iam tum abſumptis ſupereſſet, Muſtaphæ Baſſæ immani perfidioſoq; ſeni, cuius copias à muris vicies iam atq; ſexies victoriosè reiecerant, vitam facultateſq; pacti, renitente reſiſtenteq; Baleonio, ſeſe dederent. Cuius truci truculentoq; imperio, nimis certo ſanè Bragadini id futurum prædicentis augurio, in fruſta omnes proditoriè conciſi diſſectiq; fuêre. Baglionius verò Muſtaphæ impio perfidiam ſuam contra fidem datam ſuaque manu ſubſcriptam exprobrans, ab aſtante Turca capite truncatus eſt, Bragadinus autē viuus excoriatus Nempè his tam præclaris hoſtiis, tot in obſidione cæſis Turcarum millibus (cum intra decem ſaltem dierum ſpacium ſupra triginta millia occiſa fuiſſent) parentare nefarius ſenex volebat.



FRANCISCVS CASTELLALTVS.

FRancisci Castellalti maiores cuncti ferè equestri dignitate insignes, antequam Vallis Sugana, tunc à Patauinis Principibus Carrarijs possessa, Austriacæ ditionis reddita est, sub illorum dominatu in Euganeis haud ignobilia loca renuerunt. Hi, Carrarijs à Venetis Patauino Principatu exutis, potienteq; rerum Austriacarum Leopoldo Probo, & post Sixtum Castelnouium vltimum suæ stirpis Delphani & Montis Diui Petri possessorem, ac Domus Austriacæ acerrimum semper aduersarium extinctum, tota valle Sugana Austriaci iuris effecta, Comitatui Tyrolensi se addixerunt, & inseruerunt. Huius autem Francisci parens etiam equestri honore ornatus fuit, & inter quinq; illius fratres Henricus ad Ticinum à Gallis obsessum in velitatione occubuit. Atque Franciscus in Maximiliani Primi Imperatoris Epheborum contubernio adolescentiam transegit, & Dapiferis allectus, in Belgium Cæsaris aduersus Ludouicum XII. Galliarum Regem bellum gerentis aulam castraque secutus militiæ disciplinam addidicit, vsumque sibi comparauit. Obortis in Italia Veneto Gallicoque bellis, in prælio ad Vincentiam conserto, obsidione Veronensi, pugnaque Bicocciensi & Ticinensi vtrisque Augustis Maximiliano Primo & Carolo Quinto fortitudinem suam Tribunus legionis probauit, ac per omnem suam ætatem nulla alia præter Austriaca stipendia meruit. In dictis factisq; constans non verebatur apertè edisserere, quæcunque sentiebat, nulli fuco, assentationi, & perplexitati obnoxius. Ideò propter animi fidei, sinceri, ingenijque candorem á summis principibus maximoperè amatum, propter res fortiter gestas militari baltheo donatum, & ab omnibus ordinibus honorificentissimè habitum Diuus Ferdinandus Augustus, tunc Romanorum Rex, & Cardinalis Bernardus Glesius anno Millesimo Quingentesimo Vicesimo septimo præfectum Tridentinum, & anno Vicesimo nono supremum militiæ Tyrolensis Tribunum designârunt, constituta illi annua pensione pacis, & belli tempore menstruo salario cum octo satellitibus, ita quidem, vt extra fines Tyrolenses operam nauare bellicam obligatus non foret. Cum autem fœderis Smalcaldici Principes Sebastiano Schertelio mandassent, vt VVirtenbergici Ducis, atque sociarum vrbium copijs coniunctus, rectà iter ad Alpium fauces, & claustrum Erenbergense intenderet, & hoc Tyrolense munitissimum propugnaculum occuparet, Schertelio paruo labore constitit, arcis Præfecto illud statim dedente. Quo in potestatem redacto, Schertelius Oenipontem, vbi annonæ, & aliarum rerum bello necessarium haud modicam copiam suppetere cognouerat, sperans se leui negotio Comitatu Tyrolensi vniuerso potiturum, petebat. Sed tardante Schertelio Ordines Tyrolenses sine mora collegerunt validam octies mille pugnatorum manum, cum qua Castellaltus hostibus obuiam processit. Intellecto Castellalti aduentu, qui dundaxat quatuor milliarium spacio abesset, Schertelius exercitum reduxit, diffisus consiliorum conatuumque successibus. Plura huius herôis encomio attexi nequiuerunt, dum ipso postremo suæ gentis defuncto, eius fortunæ diuersis hæredibus obtigerint, & omnia ita distracta sint, vt nihil inueniri posit amplius, quod vel ab ipso Castellalto, vel alio eius familiarium & commilitorum foret memoriæ proditum.



FRANCISCVS
DVODVS VENETVS DIVI MARCI PROCVRATOR.

PRimus author familiæ Duodorum apud Italos, vt testan-
tur peranriqui Pisanorum annales, fuit vnus ex septem Proceribus,
quos Otto primus Imperator è Germania ad subleuandam Italiam ab
impressione tyrannorum secum adduxit. Jlli Duodi nomen erat, à quo
descendentes, terra, mariq; domi & foris, bello & pace culmen gloriæ adepti
sunt, tam in Pisana, quam in Venera Republica, vbi quasi in biuio claruère.
Nam si ad Pisanam respicias, viri extitère, qui perfunctis illustribus legationibus, & pugnatis bellis
terra mariq; in Ianuenses, Lucenses, & in adeptione Regnorum Maioricarum floruère: in Melaria verò
fortiter pro parria depræliantes occubuère, & relictum fuerit paruum germen ex quo gens repululauit Si
ad Venetam, viri in milirari ac populorum regimine rari ac sempiterni uominis veluti vnomet temporé tres
fratres Arsenius Thomas & Leo vixere, Eiusdem exempli fuère Christophorus & Petrus, nostris autem tem-
poribus Franciscus Diui Marci Procurator claruit, qui prima iuuenta maritimam militiam exercuit eo tempore
cum Solimanùs magna classe in Aulone statiua posuisset, præmissis copiis ad Salentina littora, vt indè Italiam
inuaderet, Franciscus sub Alexandro Contareno classis Legato comes aderat, cum fortè obuiam in triremes ho-
stiles incidisset, quibus præerat Vstamanes Bassa Gallipolis Præfectus & pugnam inire opus esset, hostis enim oc-
currentis Legari Veneti agmen ferociter exceperat, & conferto prælio ita inualuerat, vt triremem Legati vsq; ad
malum occupauerit; continuo Franciscus viso instanti periculo Legati citatis remigibus medias Vstamanis trire-
mes rostro afflixit, & impigrè transgressus in laborantem triremem Legati, vbi strictis gladijs summouisset ex
aduerso prælianres, victoriam hosti penè partam ademit, trecentis prætorianis militibus, quibus aduersarius ni-
tebatur cæsim fusis. Hariadeno postmodum ex præcepto Solimanni Corcyram innumera classe, & copiis exposi-
tis inuadente, & terra mariq; oppugnante, in arcem ad tuitionem Franciscus simul cum lectissimis viris spontè
sine titulo ingressus est, vbi supra ætatem contra frequentes hostium insultus egregiè pugnando ita maximæ vir-
tutis specimen reddidit, vt in patriam reuersus, ad maiora consequenda sibi viam aperuerit. Multo post tempore
appetente Selymo Cypri Regnum, cum Respublica suscipere bellum minimè detrectasset, eligi præstantissimos
Duces, instrui classem, & præcipuè armari onerarias triremes, hisq; præfici Franciscum curauit, illiusq; fuerat
constans sententia, quam primum cum inimica classe confligere, ne hostiles copiæ ad deuastationem Regni desi-
lirent, verum cum hoc minimè obtinuisset, effectum est, vt breui & infeliciter Regnum fuerit deperditum: sed
Franciscus, ne diu hostis potito gauderet effecit. Namq; ad Echinadas classibus vtrinq; obuiam factis, primus
ante omnes constitit, primusq; exoneratis tormentis pugnam iniit, & paratissimam classem secundis ventis tu-
mentem in frontem primum pulsando aperuit, deindè nouo ordine agglomerantem in latere turbauit, ita, vt fa-
cilè nostris viam patefecerit adipiscendi victoriam, cuius turritæ triremes feruente prælio reliquam classem ita
tuebantur, vt tutius ac facilius ea potiretur. Sed vbi naues Ligurum, quæ pugnæ aderant grauiter premi con-
spexisset, propria trireme appulsa subsidio affuit, vbi peruasis vexantium triremibus, & intercisis ad vnum mili-
tibus oportunissimè laborantes restituit, atq; inter victrices seruauit. Jllumq; Respublica Veneta, & reliqui Im-
peratores literis patentibus in publicas annales relatis, quasi consalutando testati sunt autorem victoriæ contra
inimicos Christianæ fidei supremæ supra hominum memoriam. Sequenti postmodum anno cum Selymus cō-
parata subitaria classe Vluchialium Legatum superioris prælij profugum misisset vt receptæ cladis damna dissi-
mularet, nihilq; sibi potentiæ diminutum, neq; Christianis aliquid concessum de virtute & imperio ostenderet,
isq; præcepto parens paratam classem in conspectu nostrorum educeret, & copiam pugnandi monstraret, Fran-
ciscus solita fortitudine ductus, illum ita minaciter inuasit, vt in tutam stationem præcipitanter se recipere, & ibi
rimore aperto classem contineri oportuerit. Sexties vtraq; classis est congressa, irritis tamen prælij tentamentis,
hostes enim cum manere nequirent, conuersa fronte per remulcrum è conspectu nostrorum disparuère. Tan-
dem subsecuta pace terra mariq; societas fœderatorum soluta, & Franciscus in patria omni dignatione recep-
tus est, cui postmodum omnis iurisdictio vrbana pro tempore decreta fuit, primum Decemuiralis simul &
Consularis, atq; indè ille omnes magistratus, quibus selectiori consilio opus est administrauit, in quibus an-
tè & post bellum Turcicum foris domiq; gestis ita excelluit, vt huic vni si superuixisset, rerum habenæ
tradendæ viderentur. Pro quibus officijs quamuis omnem amplitudinem fuerit consecutus, cum
vsq; ad Procuratoriā Diui Marci dignitatem in Republica amplissimam euectus esset, maiora fortè
recepisset. Sed in patriam Foroiulij ad constituendas arces pro reparandis finibus aduersus Tur-
cas Prouisor generalis missus, dum nullo labori nullis vitæ incommodis parcit, plurimus ser-
uitio publico incumbens extremum diem obiit, tali de se Reipublicæ relicto desi-
derio, vt in eius locum Dominicus Frater singularis prudentiæ &
probitatis Senator substitueretur.



WOLFGANGVS THEODERICVS AB EMBS.

WOLFGANGVS Theodericus ab Embs
Eques Auratus MARCO Sittichio ab Alta
Embs itidem Equite Aurato Caroli Quinti
Cæſaris eiuſq; fratris Ferdinandi Primi Roma-
norum Regis Conſiliario , ac dominiorum Brigantij & Hochen-
eggij Præfecto, matre verò Helena ex nobili & equeſtri in Sueuia
Freiburgenſium familia progenitus patris & maiorum ſuorum veſtigia
ſequens, ſub eodem in bello Ticinenſi ordines duxit, quemadmodum etiam
in ruſticorum ſeditione, qua tumultuantium ingens ſtrages edita, & multa
millia cæſa ſunt. Carolus V. Cæſar circa annum Milleſimum Quingenteſi-
mum Triceſimum ſextum in expeditione Marſilienſi Germanorum pedi-
tum legioni, quæ viginti ſignis conſtitit illum præfecit: Summa in eo ſpes
erat, ipſum multa in rebus bellicis præſtiturum; ſed anno triceſimo primo
ætatis ſuæ immaturè obijt. Vxorem habuit claram Medicæam Ioannis Ia-
cobi Marchionis Maringiani famoſiſsimi Ducis militaris ſororem, ex qua
generoſam prolem ſuſcepit, Iohannem Iacobum Comitem in Alta Embs &
Galera Sereniſsimi Ferdinandi Secundi Archiducis Auſtriæ Conſiliarium
& Brigantij, Velkirchij & Hocheneggij Dominiorum præfectum, Marcum
Sittichium Cardinalem, & Epiſcopum Conſtantienſem, Iohannemque Ga-
brielem in Alta Embs. Duos alios poſt baptiſmum in cunis vagientes mors
ſuſtulit. Sicuti autem qui ſuperuixerunt mares propter virtutem, morum
integritatem, reiq; militaris experientiam ad ſummos honores, & dignita-
tum gradus euecti ſunt, ita non minori felicitate fœminæ animi dotibus in-
ſignes, viris generis antiquitate & ſplendore admodum claris nuſperunt,
inter quas Helena Iohanni VVernhero à Raittenau, qui aliquoties legio-
nes in variis expeditionib⁹ duxit, altera Margaretha Fortunato libero
Baroni Madrutſchio domino Brentonij & Auij in matrimo-
nium colloatæ ſunt, tertia pietatis zelo mota mona-
ſterium Valdonenſe ingreſſa Chriſtum
Saluatorem ſibi ſponſum elegit
ibiq; mortua eſt.



FRANCISCVS VERDVGVS.

FRANCISCVS Verdugus Hispanus, Talauc-
ræ Regni Toletani pago parentibus non admodũ opu-
lentis attamen nobilibus natus, octodecim annorum mi-
litiam adijt, in ea vltra quinquagesimum ætatis annum con-
tinuè perseuerauit, & omnibus in Belgio bellis tam maritimis
quam terrestribus interfuit. Ex infimo militiæ loco & gregario milite per omnes ordinum
gradus ad eximiam bellicæ virtutis opinionem, & deniq; ad summum militaris dignitatis fa-
stigium ascendit, cùm post obitum Comitis Bossuuij classis præfecturam adeptus, mortuoq; Co-
miti Rennenburgio in Frisiæ gubernatione suffectus sit. Cum cognouisset Noritium Anglorum
Imperatorem æstiua non procul à Groninga in Selvvard habentem conuasatis omnibus, castrisq; in-
censis re pecuniaria commeatuq; laborantem Collum se recepisse, cum omnibus copiis suis ad peninsu-
lam quandam Embdæ oppositam Reiden contendit. Erat hic locus Egberto Beuelando, cum quatuor
cohortibus custodiendus à Neueuario Comite creditus, sed Verdugio veniente præsidiarij magna cum
præfectorum ignominia munitissimum locum, qui nauigijs commodè defendi poterat hostibus dedide-
runt. Ordines confæderati in territorio Groningensi ad Annisiam fluuiũ in pago cui Otterdon nomen est
propugnaculum magna cum celeritate construxerunt, ex quo multa damna ditioni inferebant. Quia verò
natura loci fluxu atq; refluxu maris esset munitissimum, oppugnari difficulter potuit, longa obsidione &
fame domandos Verdugus existimauit. Extructis itaq; iuxta hostium stationem alijs munitionibus aliquã-
diu commeatum exclusit. Tandem Hollandi apparatu facto commeatum nauigijs in propugnaculum in-
uehere summa vi contendebant. Verdugius Rineueltio, vt id impediret, & ad pugnam se accingeret man-
dauit, vtrinq; ad manus ventum, fortiter dimicatum, Hollandi fugam cæperunt, Regij quatuor nauigia cõ-
meatu & munitione onusta duasq; naues bellicas interceperunt, spolijsq; diuites in castra redierunt. Con-
fæderati Belgici cum exercitum suum in Frisia ferè extinctum vidissent, nouo milite conscripto collectoq;
cum Regijs de summa rerum decertandum esse duxerunt. Verdugus Auerdam in qua Noritius Anglus cum
suis erat obsederat, relicta obsidione Northormij castra metatus est, Noritius exercitum per Cataracten no-
uum vulgò Nienzil in Regios duxit. Instruxerat iam Verdugus aciem, in cuius medio Rennenburgicos mi-
lites, quorum ductor tunc erat Monceauxius & legatus Rinsuouda cum Frisijs sub Byllio duce & Taxio mi-
litantibus ordinauit, ex suis qui Galli erant alas instituit, præcibus ad Deum fusis, quas hostes subsannabant
datoq; classico pugnæ initium fecit, concurrerunt primũ equites, indè pedites aliquandiu dimicarunt. Sed
cum acies iam coijssent accerrimè conflictum est, confæderati horum equitibus pedem retrahentibus, & pe-
ditum ordinibus perturbatis certatim fugerunt, Regij confestim tormentis eorum potiti hostem vsq; ad
propugnaculum Nienzil insecuti sunt, paucis elapsis reliquos trucidarunt, multi insignes præfecti occisi, &
ipse Noritius cum Nassouio Comite vulnerati. Parta insigni hac victoria Verdugus propugnaculũ in Nien-
zil obsidione cinxit, sed cum confæderati animaduerterent, nihil spei reliquum vt armis illud defendere
possent, aggeribus ruptis agros inundarunt, ita vt Verdugus obsidionem soluere compulsus sit. Arcem Wer-
deibek firmissimam diribitorio accommodatissimã vicinam Cliuiæ obsedit, dum oppugnationem molire-
tur, qui in arce erant trepidantes noctu tacitè eruperunt, & quarto post die arcem vacuam obsidenti reli-
querunt. Verdugus his victoriis acquisitis de obsidendo Lochemio cogitauit, cum ordines eò octingentos
pedites equitesq; misissent, vt obsessis commeatum aduehérent, ea auxilia profligauit, quæ denuò recolle-
cta ab Holachio Comite iterum Verdugus dissipauit, ita vt interceptis viginti curribus cum annona multi
ex ordinum militibus cæsi sint. In Frisia deinde Ermentilium fortissimam munitionem cæpit. Sub Nouio-
magensi obsidione Parmensis discedens Verdugum totius exercitus qui in Geldria relinquebatur Impera-
torem creauit, qui exercitum sibi commissum post aliquot dies longius Nouiomago abduxit, & Mosam
versus cum eo in Vvess Cliuiæ pagum non procul à Gorke profectus est Nassouius & ordines siue à fauto-
ribus quos in vrbe habebant vocati, siue quod exercitum discessisse audiuerant, ingenti classe comparata
& instructa Vahalim ingressi aduerso amne sed vento propitio Nouiomagum appulsi aliquot dies in an-
choris substiterunt. Exercitus in Battauia dispersus mandatum Nassouij expectabat, sed clasis quia
Verdugus vltrò citroq; aut ipse quotidie Nouiomagum veniret, aut è suis aliquot miteret sublatis
tandem anchoris in Hollandiam reuersa est. Hassetum ab ordinibus receptum, cui etiam Stenuij-
kenses præsidiarij interfuerunt, qui dimissi aliquot imagines Diuorumq; simulachra Stenuikium
abduxerunt, quibus murorum loricis impositis exprobrabant Sanctis ipsis, quod oppidum su-
um male custodissent, ridendo & illudendo præcipiebant statuis, vt curam nunc diligenti-
orem adhiberent. Quæ impietas & contemptus paulò pòst grauissimè castigatus est,
Verdugus enim à rustico quodam edoctus per vada cum suis ad mœnia Sten-
uijkiana tranauit, admotisque scalis & excubitoribus interfectis op-
pido potitus præsidiarios trecentos occidit, ciuesq;
magna pecunia mulctauit.



IOHANNES
FERENBERGER AB AVV.

IOhannes Ferenbergerus ex Franconia oriũdus, patrem habuit gregarium militẽ, qui cum Italicis bellis ſtipendia meruiſſet, in pago Avv propè Atheſim ſedem fixit, vbi hunc Iohannem anno vndecimo ſupra Seſquimilleſimum procreauit. Cum Carolus Quintus ad accipiendã coronam à ſummo Pontifice Bononiam proficiſceretur, ſub Marco Comite Eberſtainio, qui tum legionem Germanorum militum ducebat, ętatis ſuæ anno decimonono prima ſtipendia meruit. Sub eodem quoq; Eberſteinio, qui duabus tum legionibus præfectus erat, aliquot oppidorum expugnationibus in Pedemontana regione contra Galliæ regem interſuit. Eo bello, quo Summus Pontifex Peruſinos & Columnenſes bello perſequereretur, cum Ferdinandus Romanorum Rex auxiliares copias Pontifici miſiſſet, ipſe quoq; cum iis profectus eſt, & ſtrenuum ſe militem pręſtitit. Poſtea anno quadrageſimo in Hungariã abiens ſub Hileprando Madrutio in oppugnatione Budenſi lætaliter vulneratus inter mortuos repertus eſt, poſt aliquot ſeptimanas vix ſanitati reſtitutus, in cõflictu ad montem ſancti Gerhardi ſiniſtrum crus ſagitta transfixus, cum paucis commilitonibus (poſtquam in templo quodam diu ſe acriter defendiſſet) cum paucis à Turcis captus, & Sabaccam ductus eſt poſt quatuor aũt menſes miſſo domum nuntio, & enumerata ex patrimonio ſuo redemptionis mercede, liberatus ad ſuos rediit. In Lombardia ſub Comite Felice ab Arcu in Inſubriã contra Gallum profectus eſt. Quanta in ea expeditione militari audacia & fortitudine claruerit, teſtantur vulnera recepta. Aſsiduis tum bellis exercitato, & victori in ſingulari certamine cõtra hoſtem prouocantem ſtipendium militare auctum, & aliquot munera donata. In eodem bello quoq́ue à quodam Gallico hoſtis præfecto, Comite Buſchka appellato, in conflictu lancea dextro crure transfixus eſt, Ferenbergerus autem ipſum per collum vulneratum ſemimortuum relinquens eidem gladium & arma detraxit, vix hoc vulnere ſanatus, Ferenbergerus in alio conflictu catena ex tormento emiſſa dextro pede genutenus vulnus accepit. Anno eius ſeculi Quinto & quadrageſimo ad Comitia Ratisbonenſia profectus, propter egregiam militarem preſtitam in diuerſis præliis operam à Carolo Cæſare in nobilium album allectus eſt. Sequenti anno bello Germanico confœderatorum Principum contra Cæſarem ad finem vſque interſuit, & eo prælio, quo Iohannes Fridericus Saxoniæ dux & Elector Sacri Romani Imperij captus, Tribunum quendam peditum ſua manu cepit. Cum vero Jmperator Carolus Parmam obſidione cinxiſſet, Ferenbergerus iam militari virtute clarus, vt ad maiota offi cia promoueretur dignus, ſub Barone Caſparo Velſio Legionis germanorum peditum ſupremo Tribuno, Vexillifer cteatu, sGallum equitem abs ſe raptum in caſtris viuum Imperatori exhibuit. Poſt aliquot Menſes Parmenſi reconciliato cum Madruio Neopolim ad Andream Auriã ſupremum claſsis pręfectũ profectus eſt, & cum Turcæ Cæſarianos de improuiſo adorirentur, Ferenbergerus cum naui, qua vehebatur ab aliis auulſus, contra quatuor Turcarũ triremes acriter per ſex horas colluctatus, tandẽ elapſus in Siciliã euaſit. Ad ſuos reuerſus quingentis peditibus præfectus, in agro Senenſi aliquot velitationes cum Petro Strozza habuit, donec Senenſes ſe Carolo dediderunt. Anno M. D. L V I. cum exortũ eſſet bellum contra Pontificem, & Regnum Neapolitanum defenſionem exigeret, Iohannes alijs pleriſq; præfectis morbo correptis, cum mille & ducentis equitibus ſuæ legioni adiunctis Terracinã, quam Pontificij recipere conabantur præoccupauit, & cedentibus Pontificiis ad Ducem Albanum peruenit. Mox verò memorabili illo conflictu ad Sengam Caſparum Felſium periclitantem defendit, & paulò pòſt, egregia talione, ab eodem, acceptis aliquot vulneribus periculo exemptus eſt, quo tempore ꝓfligati ſunt Heluetij, maior pars cæſa & ſeptingenti vulnerati oppidumq; captum eſt, cumq; iam Romam verſus duceretur exercitus, Pontifex per Legatos pacẽ obtinuit. Solimanno Turcarum Imperatore anno Sexageſimo ſexto in Hungariam mouente, Ferenbergerus quinque ſigna militum ex Comitatu Tyrolenſi cum duobus ex Carinthia Maximiliano Secundo Cæſari in Hungariam, & caſtra adduxit. Caſtro Zengenſi cum Imperio à Cæſare Maximiliano præfectus, cum Turcas ſæpius aggreditur, apud Pontificem, Imperatorem, & Venetos, quod contra pacis conſtitutiones egiſſet, accuſatus, Viennam profectus coram Cæſare egregiè ſe purgauit. Reſignata Zengenſi præfectura ad Carolum Archiducem ſe contulit, cuius ſatellitibus præfectus, ab ordinibus Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Goritiæ Comitatu, vt vniuerſæ militiæ illorum præeſſet, conductus eſt, quod munus ea fide & dexteritate ita geſsit, vt Ordines ipſum maximis muneribus donauerint. Croatiæ confinibus cum imperio præfectus parua manu ingentem Turcarum ſtragem edidit, & aliquot Turcarum munitiones occupauit. Poſtremo à Rudolpho Cæſare euocatus, pręfecturam Vrbis Viennenſis, & legionis Germanorum peditum obtinuit, qua feliciſsimè ſunctus, omnibus, etiam aduerſæ religionis chariſsimus, ætate & laboribus confectus, Viennæ extremum diem clauſit, anno M. D. LXXXIIII, quum vixiſſet annos Septuaginta tres. Vir ſuit ſtatura infra mediocrem, ſed membris vegetis, & benè compactis, per totam vitam abſtemius vixit, hinc magna conſilij, & memoriæ vis in illo ſuit, etſi literarum ope deſtitueretur.



HENRICVS
RANZOVIVS.

HENRICVS Ranzouius Iohannis Equitis aurati, & Annæ VValſtorpiæ Gerardi filia vltima eius familiæ naſcitur anno M. D. XXVI. in arce Steinborch. Dynaſta in Bredenberg, Ranzouisholm, Wandesbek, Tuſcenbek, Nutzſchou, Melbek, Redingſtorff, Gronou, & VVellingsbuttel fuit.

Huic propter ſummam ingenij dexteritatem, Mathematici nominis celebritatem, diuitias ingentes, & rerum omnium felicitatem prædixère. A prima ſtatim pueritia non ſolùm animum ingenuis artibus expoliuit, ſed etiam ætate ingraueſcente eas colere perrexit, non tàm in otio, quàm in ipſa Reipublicæ luce, ex communi omnium bono, præcipuè autem ſtudio Aſtronomico delectatus eſt, quo tædium ac nauſeam variorum negotiorum mole obortam diſcuteret, tantosq; in eo ſtudio progreſſus fecit, vt non ſolùm ſibi ſed etiam amicis ex geneſis iudicio futura prædixerit. In Medicina, Poëſi, Hiſtoriis ſimiliter tantum profecit, quantum noſtra ætate ex nobilibus nemo. Quod teſtantur libri ſuopte Marte cõſcripti & in lucem editi. Veram enim & genuinam nobilitatem non in maiorum titulis, imaginibus & gazis, ſed in virtute, doctrina, ſapientiaque parta gloria conſiſtere Iuuenis in Caroli Quinti aula cum Adolpho Holſatiæ Duce ſeptemnium vixit, cum quo equitibus, ac peditibus cogendis atq; ipſa expeditione Metenſi Cæſari operam nauauit. Quo in bello quam multa præclarè geſſerit, paucis eſt incognitum. Bello Dithmarſico cum patre interfuit, in quo Dithmarſi antea inuicti, tunc victi deditionem facere, veniam petere, nudo capite, & flexis genibus iuramentum ſubiectionis præſtare coacti fuerunt, quorum ditionem ſubiugatam inter Daniæ Regem, & Holſatiæ Principes diuiſit. Flagrante bello Suecico, Holſatia ipſius fidei, ac curæ commiſſa eſt, ne hoſtes de improuiſo in eam irruptionem facerent. Quinetiam delectus equitum ac militum in Dania contra Regem Sueciæ proficiſcentium ab ipſo mandato Regis Friderici Secundi habitus, â cuius patre Chriſtiano Tertio Præfecturæ Segenbergẽſis adminiſtrationem paucis ante annis erat adeptus, & in Ducatibus Sleſuicenſi, Holſatiæ, ac Dithmarſiæ Gubernator deſignatus, quam dignitatem ſumma cum Principum vicinorum gratia, & fauore, ſubditorum quoq; beneuolentia ac amore vſq; ad obitum geſsit. Acerrimas habuit cum Comitibus Hoienſibus contentiones, cùm ratione æris alieni, quo ſocero ſuo obſtricti erant, tùm quod vxoris fratrem in vincula coniecerant. Ad quam rem vindicandam per Franciſcum ab Halle Iodocum Iuniorem Comitem Hoienſem fratrem Iohannis Epiſcopi Monaſterienſis, natum ex ſorore Guſtaui Regis Sueciæ in oppidulo Segebergenſi cepit, qui & in carcere obiit. Cum autem in iudicio Cameræ Imperialis pro ſe, & contra Comites Hoienſes ſententiam latam iure belli decreuiſſet vlterius vi & armis perſequi, tandem interpoſita tractatione Regis Daniæ Chriſtiani Tertij, & Electoris Saxoniæ Auguſti hæc controuerſia Vlzenij ſopita eſt anno Milleſimo Quingenteſimo Quinquageſimo octauo. Apud Regem Fridericum Secundum tanta valuit, in arduis grauiſsimisq; rebus perſpecta, & explorata fide & authoritate, vt emergentibus quibuſcunque maximi ponderis, & momenti negotiis (inter quæ vel præcipua fuit pacis inter Daniæ, Sueciæ, ac Poloniæ Reges, & ciuitatem Lubecam Stetini facta anno Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo Menſe Nouembri tractatio) ſemper fuerit adhibitus, & ab ipſo præcipuo loco habitus. Quod cùm aliis illuſtribus teſtimonijs, & confirmationibus, tùm in ordinem Danicum cooptatione, & donato torque aurei Elephantis cum Turri Rex euidenter declarauit. Varias quoque ac honorificas legationes ad diuerſos Principes ob negotia difficillima ſumma cum laude ſubijt. Diuitijs ita cumulatus diuinitus fuit, vt Principis alicuius cenſum ſi non exuperare ſaltem adequare potuerint, præter tot arces, tot palatia & prædia cultiſsima à patre ſibi relicta. Vno & eodem ferè tempore, Carolo Quinto, Reginæ Anglorum, Regi Danorum, nec non ciuitatibus Antuerpienſi, Lubecenſi, Gedanenſi, atque Hamburgenſi aliquot centena millia Ioachimicorum mutuo dedit. Nec minus fœlix liberis fuit, quorum genuit mares ſeptem, ſemimas quinque. Ex illis quatuor fatis conceſsère, reliqui Regiarum arcium Præfecti, Conſiliarij, & aulici familiares fuerunt. Natas viris primarijs, & Regum Conſiliarijs elocauit. Duas Pyramides, Segebergenſem cum Obeliſco, & Nordoenſem excitauit. Vt itinerantium commoditatibus ſeruiret non ita remotè à Bredenberga ſupra fluuium quem traiectum fratrum vulgò der Brueder furt nuncupatum lapideum pontem vltra centum pedes longum candido ex ſaxo conſtrauit Arces quam plurimas & prædia non contemnendo precio comparauit, aliquot de nouo ædificauit, quinetiam Palatia magnificia domosque Lubecæ, Itzehoæ, Segebergæ, Chilonij, Flensburgi, Honnobriæ poſſedit.



FERDINANDVS COMES NOGAROLIVS.

HVNC Ferdinandum Comitem Nogarolium dynaſtam in Altſpaur & Erenſpurg Leonardo Comiti Nogarolio Diui Ferdinandi Auguſti conſiliario, cubiculario, & præſidi Tergeſtino marito Vrſu'a Dersfia in Zerdahel illuſtris apud Pannonas inferiores proſapiæ coniunx peperit. Cum inter Imperatricis ephæbos in aula educatus decimum octauum annum attigiſſet, ex contubernio exauthoratus inter equites germanicos ab atro armorum colore nigros vocitari cœptos primam militiæ operam nauauit. Poſteaquam verò occupationibus arcium Scharoſtienſis, Sathuarienſis, Otſchedenſiſque interfuiſſet, atque egregiè ſe geſsiſſet, primum equeſtris ſigniferi, deindè tribuni Vexillationis munus adeptus Hiſpaniarum Regi Philippo II. in Belgio ſub Duce Albano cum trecentis equitibus meruit. Vbi ex Belgio abiit, ſub Galliarum Regis ſtipendio paris numeri equites duxit. Ex Gallia in Germaniā reuerſus, D. Maximilianus II. Auguſtus illum inter cubili ſui proceres allegit. Paulò poſt Melyten, Hiſpaniam, & Luſitaniam adiit, ac aliquandiu in ſingulis illis locis verſatus eſt. Anno verò milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo præfectus præſidii Saggmarienſis, & totius huius Tranſtibiſcani tractus cōſtitutus, Ioannis Rueberi ſuperioris Hungariæ ſummi prætoris cum præſentis tum abſentis legatū egit. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo Ruebero humanis exempto in præfectura prætoriana ſucceſsit, quo munere vſque ad octuageſimum octauum continenter functus, ex Hungaria quietioris vitæ gratia conceſsit, & matrimonium iniit cum Anna Harrachia Leonardi Harrachii Baronis clariſsimi ex Maria Salome Hochenzollerenſi Comitiſſa edita filia, & Viennæ nuptias celebrauit, vbi non diu ſuperuixit, ſed anno Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo inter viuos eſſe deſiit, & in æde Diuæ Dorotheæ conditus iacet.



IOHANNES ZISCA
BOHEMVS.

ETſi Iohannes Ziſca nefariæ crudelitatis parricida,
qui innocentiſsimorum ſacerdotum veſtaliumque ſanguine
ſe cruentauit, ſacrorum aras euertit, templorum ſacraria diri-
puit, ferro igneq; omnia ſacra & prophana miſcuit, elogium non
meruerit, attamen, quoniam bellica vis in eo viguerit, quanquam
immaniſsima patrârit, eius effigies & rerum geſtarum narratio huic operi inſerta eſt. Hic Troſna-
uiæ fortuna tenuibus, ſed nobilibus parentibus natus ferocis ingenij, & indomitæ rapinarum libi-
dinis, altero captus oculo, quem in certamine amiſerat, à Pragenſibus Huſsitanæ religioni addictis
tumultuantibus in eorum ducem eligitur. Coacta ergo manu ſtatim in templa & monaſteria impetum
fecit, Carthuſienſiumq; cœnobium celeberrimũ diripuit & ſuccendit. Collecto ex montana turba, & illis
quorum quadraginta circiter millia ad locum, quem Cruces appellant, conuenerant exercitu Pelzinam con-
tendit, hanc in ſuam poteſtatem redegit, præſidioq; firmauit, factis tamen inducijs cum aliis locis, quę cepe-
rat, reſtituit. Cum Pragenſes, à Cæſare defeciſſent, Ziſca in Cęſareũ exercitum irruens eum fudit ac fugauit.
Mox Auſtam oppidũ petiit, quod poſt breuem obſidionem expugnauit, diripuit, & incendit. Liczium Ca-
ſtellum vi cepit, dominus loci cum vniuerſa domo cæſus, vni data venia, qui cæteros trucidauit. In hoc cru-
delitatis magnæ ſucceſſu, cum ciuitatem muro munitam non haberet, in Liſmizij fluuij ripa locum ſemo-
tum elegit, quem mœnibus propugnaculiſq; muniri, vt tentoria quiſq; fixerat, ita domos ædificari præce-
pit, ciuitati Tabor nomen inditum hancq; tutiſsimum Huſsitarum Aſylum eſſe voluit. Nicolaus Monetæ
magiſter à Sigiſmundo Cęſare cum equitatu in Bohemiam contra Ziſcam miſſus ex improuiſo ab eo impe-
titus, armis & equis exutus eſt. Cum Adamitarum nequiſsima ſecta in Bohemiam irrepſiſſet, magnaque hoc
dogma multitudo amplexa eſſet, à Ziſca ſeruatis duobꝰ, vndè ſuperſtitio noſceretur, omnino ad internecio-
nem deleta eſt. Sigiſmundo Cæſare cum exercitu Bohemiam ingrediente, iamq; arcem Pragenſem occupan-
te, Pragenſes in anguſtias redacti Ziſcam accerſiuerunt, qui cum Taboritis ſuis adueniens vrbem ſtatim in
poteſtatem accepit, quam licet Sigiſmundus ſummis viribus oppugnâſſet, re tamen infecta Cuthnam cõceſ-
ſit. Ziſca vrbe potitus, Cœnobia, multaq; ſacra collegia, quæ â priori direptione remanſerant, vno impetu in
vrbe euertit. Quod cum ciues egrè ferrent, & paulatim ſeditio gliſceret, Ziſca bellum inteſtinum formidans,
cum ſuæ ſectæ adherentibus ad Taboritas reuerſus eſt, & ad oppida euertenda arma, vt per immanitatem
ſuum amplificaret imperium, conuertit. Pracatum expugnauit, vbi vniuerſam multitudinem, quæ in tem-
plum confugerat iniecto igne combuſsit. Deinde in Pelzinenſi agro quina cœnobia incendit, Cladronenſi
verò, quod arte & natura munitiſsimum erat præſidium impoſuit. Sigiſmundi autem pręfecti cum cohorti-
bus & aliquot turmis equitum eò miſsi, à Ziſca fuſi & fugati ſunt. Pelzinam deindè aggreſſus, cum eam fru-
ſtra obſediſſet Cometauiam venit, quam cum vi cepiſſet, vniuerſum populum cum ſacerdotibus in templis,
petita incaſſum venia, igne abſumpſit, ſed mox impiæ ſuæ crudelitatis pœnas dare cepit, quum Rabum
oppidum obſediſſet, & ſumma vi capere contenderet, dum oppugnationem conſpicit, alterum, qui ſupere-
rat oculum ſagitta confoſſum amiſit. Curato vulnere & lumine prorſus carens, nec ex hac quidem oculi ia-
ctura nefariæ militiæ curam intermiſit, quin & eò magis cæcus cæco populo ductor placuit. Cæſaris exerci-
tum, quem ex Imperio, Hungaris, Morauis, & Auſtriacis collegerat, in Bohemiam venientem Ziſca adortus
in fugam vertit. Hac Ziſca victoria elatus, multò quam anteà furioſius in ſacra templa deſæuiit, & quan-
quam Sigiſmundo vndiq; denuò auxilia venirent, minus tamen profuerè, cum Ziſca exuta omni religione
& humanitate felicius quotidiè in Imperatorem bellum generet. Auſtam cum Pragenſibus obſedit. Frideri-
cus Miſnenſium Princeps cum ſuo milite Auſtanis laborantibus præſtò ad fuit, variante vtrinque fortuna,
pugnatum, ſuperiores tandem Taboritæ fuêre. Ziſca tot victoriarum ſucceſſu tumidus in omnes inſolentiæ
ac feritatis partes effunditur, quę ſuperfuerant templa, delet, & nobilitatem vſquequaque perſequitur. Mox
in Pragenſes, quia imperata non fecerant, iram effudit, omnia hoſtilia illis intulit, quibus implorato magna-
tum auxilio reſiſtentibus, aliquot inter ipſos prælia commiſſa, iniquo tandem Marte pugnârunt, tria Pra-
genſium millia in faucibus montium cæſi, cæteri profligati, nec non Pragenſes in præſidiò vrbis Cuthnæ
commorantes eodem, quo vrbs, incendio omnes abſumpti. Ilicò Pragam verſus Ziſca caſtra mouit, vr-
bem acerrimè infeſtauit. Sed Rochezanius conſulum iuſſu progreſſus, Ziſcam continuò recon-
ciliauit Sigiſmundus autem, qui hoc inteſtino bello Huſsitarum vires breui labefactatum iri
ſperabat, audita reconciliatione, cum vi & armis hactenus non poterat, muneribus & largi-
tionibus Ziſcam expugnare ſtuduit. Accepit conditionem auarus Ziſca, qui ad Impera-
torem iter faciens, ad Poztoiam oppidum morbo peſtilentiali correptus interiit. Id di-
uino beneficio accidiſſe creditum, ne tanta Auguſto nota inureretur. Rogatus
paulò antè mortem, vbinam ſepeliri mallet, reſpondit, ſe iubere cute cor-
pus exui, exutum volucribus ac feris exponi, cute tympanum
obtendi, eoque duce bella geri, quod vbi hoſtes audierint,
confeſtim fugam arrepturos ariolabatur.



FERDINANDVS
CONSALVVS DE CORDVBA.

FERDINANDVS Conſaluus Cordubus Dux Sueſſæ, Terrænouiæ, Montis Gargani, Magnus Comeſtabilis Neapolis, ob res præclarè geſtas Magni cognomen adeptus, parentibus genitus eſt Petro Fernandez in Bœtica Hiſpaniæ prouincia grauitate conſilij, & militari virtute inter ſummos principes eminente, & Eluira Ereria Gartiæ principis Petratiæ gentis filia. Inter regios pueros admodum adoleſcens in aula Alphonſi aliquandiu verſatus, biennio poſt mortuo Alphonſo in Regiam Iſabellæ ſororis, quæ Ferdinando Arraganio deſponſata erat ſe contulit, quibus regnantibus ſub Alphonſo Cardonio exercitus Regij Imperatore in bello Luſitanico prima militiæ tyrocinia poſuit, vſq; adeo proſpero ſucceſſu, vt quum ad Alboheram inſigni prælio eſſet decertatum, Cardonius victor vnum antè omnes Conſaluum ex his qui fortiſsimè dimicaſſent aduocata concione laudauerit. In bello Granatenſi contra Mauros Taiaram validæ munitionis oppidum nouæ inuentionis induſtria cõmiſſo acri certamine ad deditionem compulit, Hilhoram poſtea in poteſtatem redegit, quæ poſteà à Ferdinando Rege poſsidenda, defendendaque virtutis cauſa Conſaluo attributa eſt, Sarracenis eius maximè virtute & conſilio expulſis. Hoc bello exacto Carolo Octauo Gallorum Rege Neapolitanum regnum ingentibus copijs terra, mariq; inuadente, cùm auxiliaribus copijs in Italiam à Rege miſſus Ferdinando extincto, deuictis Gallis Friderico patruo regnum reſtituit, qui tanti beneficij memor Montis Gargani Ducatum, aliaq; oppida regia munificentia Conſaluo largitus eſt. Cum Ludouicus Duodecimus Galliæ Rex Mediolanum armis cœpiſſet, iamq; Neapolim totamq; Campaniam cogitaret, claſſe validiſsima comparata in Siciliam nauigauit, è Meſſanæ portu Rhegium traijciens, eam ciuitatem cæſis Gallis in deditionem accepit, & Brutij ciuitates magna ex parte ad Arragoniam fidem redierunt. A Venetis vocatus Cephaloniam Turcis eripuit, Venetæq; Reipublicæ reſtituit, ciuitate quoque poſteriq; eius donati ſunt. Galliæ & Hiſpaniæ Regibus in Fridericum conſpirantibus, Conſaluus à Friderico petijt, vt ſuo Regi id eſt Hiſpano contra ipſum Fridericum operam impendere pateretur, ſpontè etiam cedere voluit Montis Gargani aliorumq; caſtellorum iuri, ac dominatui, dum ſibi regnum Neapolitanum Ferdinandi nomine repetere liceat, cuius auſpicijs Friderico acquiſiſſet, ad hæc Fridericus ſi Catholici Reges ipſi vel immeritò bellum indixerint, Conſaluo tamen nihilominus omnia integra fore, maieſtatis abſoluere, & ſacramento liberare, in regnum, atq; adeò regium caput arma capere, cæteraq; hoſtis munia obire poſſe, nihil hæc ſuis rebus, regiæq; liberalitati detrimenti allatura. Orta inter Ferdinandum Catholicum, & Ludouicum Galliæ reges diſcordia, bello denuò conflato Conſaluus ad Cannas Lyrimque memorabili pugna ſignis collatis ingentem Gallorum exercitum profligauit. Dum hæc geruntur diem obijt Regina Iſabella nulla virili prole relicta, ſtatimq; Iohanna filia Philippo Archiduci Auſtriæ Maximiliani Primi Romanorum Imperatoris filio in matrimonium collocata eſt, quæ Caſtiliæ imperium adijt, & Regnum Neapolitanum Conſaluo adminiſtrandum traditum, adiecto Magni Comeſtabilis titulo, atque Heracleæ, & Sueſſæ Ducatu. Ferdinandus Rex à Iohanna filia viro orbata in Hiſpaniam reuocatus, inſtructa claſſe in viam ſe daturus, Conſaluum, cui tota regnorum ſuorum ſalus niti videbatur ſecum duxit, eo animo, vt quum in Hiſpaniam perueniſſet, Compoſtellani ordinis equitum Magiſter crearetur, quem honorem cum â Rege, & ſponte oblatus eſſet facilè Conſaluus prætulit tot vrbibus, atque oppidis, quibus Neapoli potiretur, quamuis poſtea ea ſpe fruſtratus cum maximo ipſius dolore deceptus fuerit. A Iulio Secundo Pontifice contra Venetos magnis propoſitis præmijs conductus eſt, contra Veneti ciui ſuo præfecturam exercitus, ſummumq; Imperium deferebant. Conſaluus ne Pontificis, ciuiumq; de ſe optimè meritorum animos offenderet, ſui Regis auſpicia ſequi maluit. Nauigaturus itaq; Rex in Hiſpaniam, ac Neapoli fratris filio Ripæ Curtiæ Comite cum imperio relicto, publicis tabulis Regio Chyrographo munitis, teſtata voluit Conſalui in ſe merita, eius in gerendis rebus virtutem, fidem, prudentiam, ſingulare iudicium, belli, paciſq; eximias artes, continuatas victorias, triumphos de bellicoſiſsimis nationibus actos. Nec multò poſt Regibus Sauonæ à Ludouico Gallorum Rege exceptis, Conſaluus imprimis honorificentiſsimè tractatus inter duos Cardinales poſt Ferdinãdum, qui inter Ludouicum, legatumq; Pontificis incedebat vrbẽ ingreſſus, cænantibus Regibus cõuiuia tertius acceſsit. Cum Iulius Pontifex icto cum Rege Catholico ac Venetis fœdere contra Gallos duce exercitus Raymundo Cardonio de ancipiti prælio ad Rauennam commiſſo, quo ſuperiores Galli fuerunt, cognouit, Regi Catholico perſuaſit, vti quamprimum Conſaluum remitteret, quo, ſe ad nouam expeditionem accingente, nuntiatum eſt Raymundum coactis iterum copijs, initaque cum Heluetijs ſocietate illud bellum feliciter confeciſſe, quare Conſaluus in Hiſpania ſubſtitit, militibus tamen ſuis, quos conduxerat, donatiuum centum millium aureorum ex ſuo ære dedit. Regi ſuo dubijs, ſecundiſq; rebus, opera, cõſilio nuſquam deſuit. Demum ex ſuprema liberalitate in comparabilem gratiam meritus, in Loxam ſibi à Rege donatam vrbem ſe condidit, ibique biennio in ocio vixit. Poſtremò in duplicis quartanæ morbum, præcipuèque ex euentu rerum minimè læto planè mortiferum incidit, traductuſq; à Loxa Granatam climacterico ætatis anno in complexu vxoris, Heluiræq; filiæ obijt anno M. D. XIIII. cum vixiſſet annos LXII. Tumulatus eſt circumpoſitis ad ſepulchrum ſupra centum ſignis in maiori ſacello cœnobij Diuo Hieronymo dicato, quod viuens ſibi, poſteriſque extruxit.

Ex Iouio, & Ioanne Maria Rio Sardo Saſſaritano.



ANDREAS
AVRIA.

ANDREAS AVRIA, Cæſare Auria viro & generis ſplendore,& bellicæ virtutis præſtantia conſpicuo,
matre vero Caracoſſa naſcitur anno M. CCCC. LXVI.
A pueritia inter literarum ſtudia militarẽ ardorem præ ſe tulit.
Adoleſcens ad Fridericum Vrbinatium Principem, Neapolim
quoq; ad Ferdinandum Arragoniæ Regem profectus,apud vtroſq; præclara belli facinora edi-
dit. Zelo pietatis commotus Hieroſolymam ad loca ſacra perluſtranda iter inſtituit,vbi equeſtris
ordinis dignitate & honore acquiſito,deinde à Franciſco Galliæ Rege bellum Carolo Quinto Impe-
ratori illaturo conductus claſsi cum ſumma poteſtate præfectus eſt. Quinq; nauibus frumento & mer-
cibus Genuam petituris & in Delphini portu conſiſtentibus, Genuenſes, vt illæ incolumes peruenirent
nouem triremes ſubmiſerant. Auria ex nouem triremibus,vna igne abſumpta, reliquas cum nauibus fru-
mento onuſtis,& Iuſtiniana naue,quę ex Oriente appulſa mille auri pondo pretium ferre dicebatur,in ſuam
poteſtatem redegit. Cum vero Rex Galliæ Barbigium non ſine magna ipſius Auriæ iniuria rei maritimæ
prẹfeciſſet,& triginta millia aureorum ſtipendium debitum dare recuſaret,& ab ipſo Sauonam, vt Genuen-
ſibus reſtitueret, Auria impetrare non poſſet,imò de ſe in regio Senatu capite plectendo conſilia agitata eſſe
cognouiſſet,& Vaſtium atq; Aſcanium Columnam captiuos rex repeteret, à Franciſco ad Carolum Quintũ
Cæſarem defecit,& Galliarum Regi conchyliatum equeſtris dignitatis torquem remiſit. Cum verò Veneto-
rum & Galliæ Regis claſſes Auriam perſequerentur, Gallicam Neapolitano excedentem littore intentiſsimo
curſu ſuæ claſsis tanta celeritate perſecutus eſt,vt quædam nauigia militaribus equis, & pretioſo caſtrenſium
rerum apparatu onuſta conſequeretur,& caperet. Genuam itaq; eo animi infenſi conſilio reuertens,vt Gallos
vrbe pelleret, duas triemes Sauona recta nauigatione vrbem petentes cepit. Nec multò pòſt ſublato Cæſa-
reano vexillo ad vrbem ſuburbani littoris loco, qui Malpaga vocatur,claſſem appulit, exindeq; vrbem in po-
teſtate eſſe per ſuos, quos in eam præmiſerat,certior factus,Gallicas quoq; triremes duas cõſternatis, & ad ar-
cem fugientibus propugnatoribus cepit, acclamanteq; ei populo tanquam victori,aſſertoriq; libertatis ad pa-
ternam domum contendit,ibi ciuibus conſilij ſui cauſas aperuit, & ſuum ergà patriam reductæ libertatis be-
neficium vt agnoſcerent,conſeruareq; ſtuderent,admonuit. Ipſi ciues,præ gaudio plorantes,certatim gratias
agentes receperunt ſe fortibus animis eo vſuros beneficio, quod optimus ciuis & patronus fortiſsimus præ-
ſtaret. Principatum oblatum renuit, marmorea tamen ſtatua inſtar coloſsi donatus eſt, cuius baſi hæc inſcri-
pta ſunt verba. ANDREÆ AVRIÆ CIVI OPT. FELICISSQ. VINDICI ATQVE AVCTORI PVBLICÆ
LIBERT. SENATVS POPVLVSQ: GENVENSIS POS. & pater patriæ appellatus eſt. Carolo Quinto admo-
dum gratus & familiaris,ab eodem aurei velleris equeſtris dignitatis torque donatus, & Melphitani Dux
declaratus eſt. Claſſem contra Solymannum Turcarum tyrannũ Hungariam inuadentem conſtruxit,aliquot
nauigia varij generis commeatus copia onuſtas cepit, qui omnibus turcis captis, & ad tranſtra triremium de-
ductis,tranſlata in triremes ſuas prẹda,omnia nauigia incendit,per eos quoq; dies,quibus marè vndiq; explo-
ratis inſulis Auria percurrebat, Solymanni aliquot triremes captas igne conſumpſit. Coronen vi expugna-
uit,arcem deditione cepit,in dediditias Turcarum mulieres milites laſciuius agentes ſeuerè puniuit. Quere-
bat enim iuſtitiæ & præclaræ fidei famam apud ipſos præſertim Turcas, vt eæ gentes facto periculo manife-
ſtè conſpicerent,in Chriſtianis ad militare decus non deeſſe fidem ac humanitatem,qui adeò moderatè victo-
ria virtute parta vterentur. Quemadmodum etiam Iuſuphum mille Ianizeris præfectum ad Coronen captũ
ſericeis veſtibus,atq; aureo torque donatum,vt ad ſimilem quoq; liberalitatem hoſtem prouocaret Methone
ſine lytro dimiſit. Patras occupauit. Rhium in Achaia deſertum à Turcis ſpoliauit. Carolus Quintus mouens
expeditionem in Africam maritimum negotium ipſi vt fidiſsimo,& experientiſsimo Nauarcho commenda-
uit,vbi Auria expugnata Guleta,capto Tuneto, Ænobarbo tantum terrorem aduentu ſuo incuſsit,vt fugeret.
Hypponem occupauit. Cæſarem deindè ex Africa redeuntem in ſuis ædibus Genuæ excepit, qui eius collo-
quio, atq; præſentia mirificè recreatus fuit. Reconciliatus demũ eſt cum Franciſco Galliæ Rege poſt inducias
cum Cæſare factas. Siculis,& Neapolitanis triremibus ſibi adiunctis, Turcas & Pænos Turcis fauentes
Clupea, Naupolia, Hadrumento, Ruſpina, Tapſoq;, ac tota ea Africæ regione vna excepta vrbe Lepti
depulit,& Muleaſſes Tunetani Regis imperio parere coactus eſt. Tandem honorata ſenectute con-
fectus, ingraueſcente morbo fato functus eſt Genuæ anno M. D. LX.
ætatis ſuæ Nongeſimo tertio.



MARCVS
SITICHIVS
AB ALTA EMBS.

SVſtulit hunc MARCVM SITICHIVM ex Anna Landenbergia coniuge Marquardus pater Alta Embſia gente inter Suevos opulenta,& nobili equeſtriq; dignitate clarus. Cumq; in adoleſcente non obſcuri Martiæ virtutis emicare igniculi conſpicerentur, non difficulter accidit, vt cum hinc tot maiorum præclaris imaginibus, indè natura ſua, atq; paternis ſtimulis immenſo gloriæ ſtudio æſtuaret, poſito belli tyrocinio, varijsq; militaris officij munijs ſtrenuè laudabiliterq; obitis, à Maximiliano primo Romanorum Imperatore inclyto Legioni peditum tribunus præficeretur. Cuius auſpicijs cum obſeſſum validiſsimo exercitu Patauium alacriter oppugnaretur, crus alterum fortiter pugnans Marcus Sclopi glande traiectus fuit. Inde poſteà Ioannes Iacobus Triuultius & Petrus Nauarrus Duces ea tẽpeſtate militari ſcientia fortitudineq; longè clariſsimi Brixiam, muris vi tormentorum actisq; cuniculis latè proſtratis præſidiarijs Marco Antonio Columna & Marco Sitichio fortiter defendentibus tantum non in poteſtatem redactam irrito incepto deſerere coacti ſunt. Maximiliano Cæſare deinde ipſomet denuò in hoſtes mouente, quantã iam tum ſibi militaris ſcientiæ exiſtimationem comparaſſet Marcus, præclarè enituit. Omnis enim penè ea, quæ inter Ollium amnem atq; Padum ſita eſt regio Cremona & Crema exceptis ſub Cæſaris poteſtatem eſt redacta. Cæſare recta Mediolanum contendente, vt eam ciuitatem oppugnaret, virtutem eius maligne deſerente fortuna, atq; profligatis penè hoſtium rebus aduentantibus Bernenſibus Sedunorumq; auxilijs opportunè reſtitutis, irrito conatu obſidionem ſoluere coactus fuit, Marcus verò Antonius Columna & Marcus Sitichius cum Legionibus ſuis Veronam vt eam defenderent profecti ſunt. Lotrechius enim iunctis ingentibus Gallici Venetiq; exercitus viribus, Veronam arctiſsimè obſeſſam, oppugnatamq; ſæuiſsime Cæſari ex torquere conatus eſt. Obſeſsi miſeranda rerum omnium egeſtate, iam tum priuſquam ad oppugnationẽ perueniretur ad ſummas perducti defendendæ vrbis difficultates, equinas, aſellorumq; carnes in delicijs habebant, et hoſtis numeroſo veteranorum militum exercitu validiſsimus à duobus lateribus acerrime inſtabat. Veruntamen neq; vel tanta periculi aſperitate tot vndiq; preſſos in cõmodis, animi virtus atq; conſtantia defecerant. In hunc modum cum hoſte pariter & fame diu conſtantiſsimè fortiſsimeq; conflictatis, miſſa tandem à Maximiliano Cæſare ad octo Germanorum millia Duce Rogendorffio ſubſidio venere, quorum aduentu vrbs obſidione liberata eſt: & Germani in recipientes ſeſe hoſtes ſub ſignis erumpentes lautiora caſtrenſis apparatus inſtrumenta cum tabernaculis, & non exiguam, commeatus viniq; copiam cæſo hoſte in vrbem conuexerunt. Toto iſto acerrimæ oppugnationis tempore tum ſumma aliorum Ducum, tum vero è Germanis Marci Sittichij virtus omnibus conteſtata fuit: adeò, vt vel ipſius Marci Antonij Columnæ, qui omnibus cum Imperio præfuerat, teſtimonio ſummam inter iſtos virtutis, & prudentiæ militaris laudem adeptus ſit. Enatis inter Carolum Quintum Cæſarem & Franciſcum primum Gallorum Regem belli ſeminibus, cum Cæſariani Maſeriam oppidum defendente Bayardo Gallorum duce impigro tormentis fruſtra quaſſaſſent, ipſisq; valido Gallorum exercitu obſeſsis ſuppetias veniente regredi cogerentur, Marcus agmen legione ſua claudens, ſingulari ſua induſtria atq; peritia conſeruatis ordinibus, & lento atq; compoſito greſſu nihil feſtinans, hoſtibus admirantibus, neq; eum vſpiam laceſſere auſis, miles vt tutó reduceretur effecit. Exindè Gulielmo Gofferio Galliæ Ammiralio Mediolanum cum valido exercitu obſidente, Gallorum vim donec viribus ſuis diffiſi pedem indè referrent cum proſpero Columna & Piſcario Ducibus fortiter ſuſtinuit. Ipſe demum Amiralius, graui accepto vulnere deſiderato Baiardo Duce fortiſsimo tormentis exutus, exercituq; deleto, ſuſus ſugatusq; eſt, ingenti quidem Cæſarianorum Venetorumq; Ducum inter quos & Marcus fuit gloria. Prælio ad Ticinum commiſſo, vbi Franciſcus Rex Gallorum cæſus captusq; eſt cum legione ſua interfuit Eodem victoriæ curſu non toto vertente anno poſt, cum excitato per Germaniam ſeruili bello furibunda ruſtica plebs effera immanitate cuncta in prædam verteret, atq; nobilitatem, magiſtratumq; penitus omnem exſciſſum atq; peſſundatum iret, euocatus ex Italia à Ferdinando Cæſare deſignato Marcus, multa ſeditioſorum iſtorum millia ad Acronianum lacum internecione deleuit. Iſta viri virtute, eaq; bellicæ gloriæ fama illectus Henricus Brunſuicenſis Dux, duabus eum præfecit validiſsimis peditum legionibus, quas cum ingenti armatorum equitum manu ad liberandam, quam Galli Lotrechio Duce obſiderant Neapolim in Italiam pro Cæſare ducebat. Qua tamen expeditione cum in Italiam veniſſet ab Antonio Leua perſuaſus Laudem Pompeiam obſedit, cum vero legiones Germanicæ à ſæua peſte valdè vaſtarentur, nulla re memorabili geſta breui in Germaniam reuerſus eſt. Ferdinando demum Cæſare deſignato, atq; Hungariæ & Bohemiæ Regi in ſubigenda poſt cæſum à Turca Ludouicum Regem, Hungaria, quam Ioannes Sepuſianus nefarius patriæ proditor pariter affectabat, adductis viginti ſex peditum ſignis fortem fidelemq; operã nauauit. Eoq; nomine ab optimo Rege pro merito liberaliter habitus, & multa laude cumulatus, cum in patriam reuerſus, in arce Brigantina, cui quemadmodum & Hochenecco à dicto Rege præfectus erat, tranquillioris vitæ ſolatio frueretur, diutina morbi vi abſumptus, diem clauſit extremum.



SIGISMVNDVS
PANDVLPHVS MALATESTA.

SIGISMVNDVS Pandulphus Malateſta eius Pandulphi filius fuit naturalis, qui Bergomo, ac Brixia potitus, Comum imperante Inſubribus Iohanne Maria Galeazio vaſtauerat. Ab ipſis vt aiunt vnguiculis arma inſigni cum laude tractauit. Nam concertante Iohanne Malateſta ex ſtipite Patelli Gaglioli (vt loquuntur) Comitis nomine aduerſus fratres, quos inter domeſticos parietes tenebat, ſupra ætatem (vix enim agebat annum decimum tertium, contento curſu Cæſenam aduolans, collectis copiis eodem die periclitantem patriam, ac ſuos conſeruauit, Cæſenamque in fide retinuit. Deindè Alphonſo Regi Neapolitano operam nauauit, ſub quo mille, & octingentos equites, ac pedites ſexcentos duxit. Ab Alphonſo prout ferè ſolet rerum humanarum varietas, ſe ad Florentinos tranſtulit, à quibus ſummum militaris Imperij munus conſecutus eſt. Defuncto Alphonſo, ac Picinino per agrum Picænum pro Andegauenſibus aduerſus Ferdinandum Alphonſi filium caſtra mouēti acriter reſtitit, eidemque dum in Vmbriam irrumpere omnibus artibus tentaret, quaſi murum ſe oppoſuit. Quo tempore pro Sancta Romana Eccleſia exercitum ducens, circa Liuij Cornelijq; Forum plurima caſtra in rem Romanam reſtituit. A Pontifice rurſum adheret Florentinis anno Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo ſeptimo, quibus oppida omnia, quæ Alphonſus Ferdinandi pater ipſis ademerat recuperauit. Hinc ſuppetias tulit Populoniæ in Hetruria Poſt Florentinis copiis Venetis auxilia præſtitit in Cremæ obſidione, à quibus Princeps exercitus creatus, ad Peloponeſum profectus, Spartam vrbem celebrem acriter oppugnauit. Indè ſeſe Mantineam Arcadiæ vrbem recepit, vbi partes omnes, quæ in Duce requiruntur cumulatiſsimè explicuit vſus prudentia, ac vigilantia in rebus agendis ſingulari, Venetique exercitus Imperator cum Mahomete Turcarum Tyranno belligerans, Peloponeſum Græciæ Prouinciam Reipublicæ Venetæ ſubegit. Hinc in patriam cogitans diu deliberationem ſuſtulit. Nouerat Dux inſignis rerum ſuarum ſe abſente euerſionem Retinebant tamen procul ab Italia Venetorum commoda, quorum res ſe decedente in periculo fore prēuidebat. Vicit igitur patriæ charitas. Sed antequam ex eo littore ſolueret, qui viros doctrina excellentes fouerat ſemper in patrio ſolo, etiam inter arma erga inexteris aridisq; cineribus iacentes ſuum amorem, & venerationem declarauit. Secum enim illius Themiſtij Conſtantinopolitani, quem acceperat poſt Ariſtotelem Græcorum doctiſsimum fuiſſe, oſſa in Italiam transferenda curauit, eaq; Arimini in templo magnifico, quod inter præclara Sancti Franciſci, variis ornamentis, & picturis intrinſecus, & extrinſecus illuſtri æde conſtruxerat, marmoreo tumulo, qui etiamnunc integer tali inſculpta epigraphe digniſsima, vt Sigiſmundi elogio inſereretur, condidit. THEMISTII BIZANTII PHILOSOPHORVM SVÆ ÆTATIS PRINCIPIS RELIQVIAS SIGISMVNDVS PANDVLPHVS MALATESTA PANDVLPHI FILIVS BELLOPELOPONESIACO ADVERSVS TVRCARVM REGEM IMPERATOR OB INGENTEM ERVDITORVM QVO FLAGRAT, AMORVM HVC AFFERENDVM IMMITENDVMQVE CVRAVIT. cIc. CDLXV. Vſque adeò ſanè armis, doctrinæque deditos amantiſsimè complexus eſt, vt pari liberalitate domi aluerit & bello claros, oratores & poëtas vtroſq; ad familiares congreſſus adhibuerit, prout Iohannem Campanum Braccij vitam deſcriptam Carolo Fortebraccio filio oblaturum per Ariminum iter facientem, fama duntaxat ſibi notum, è publico hoſpitio in ædes à ſe honorifico cultu extructas vna cum comitatu ſuſtulerit, & regio apparatu habitum triduo detinuerit, abeuntem adiuncta lectiſsima cohorte vſque ad Apennini iuga proſecutus, propter itineris incommoda magna vi auri ſubleuauerit. Sigiſmundus qui virtutem in alijs ornârat, â Sigiſmundo Imperatore in foro Ariminenſi equeſtris dignitatis ornamento decoratus eſt, cum ille in vrbe Romana Coronam ab Eugenio Pontifice accepiſſet. Febricula correptus, mortalem ſe, atque imprimis Romanæ Sedis filium agnoſcens, certus beatæ vitæ ea omnia præſtitiſſe dicitur, quæ Chriſtianum hominem decerent. Geſſerat quidē Sigiſmundus cum Pio Secundo pro re ſua, quæ ſæpè etiam ſapientes fallit, graues inimicitias, Diuino autem beneficio illi obtigit, vt tantum illi vitæ concederetur, donec ab vrbe abſolutione impetrata, acceptis omnibus Eccleſiæ ritè Sacramentis piè ab hac vita ad meliorē deceſſerit. Rex & Princeps Ariminenſium verè dici poterat, qui à maioribus ſuis hæreditario iure vrbes quindecim, caſtraq; ducenta accepiſſe perhibetur. Sepulcrum in templo Diui Franciſci à ſe erecto à dextra ingredientibus indicat Sigiſmundum obiiſſe Septimo Idus Octobris ætatis ſuæ Quinquageſimo primo, Humanæ ſalutis Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo octauo Princeps aſtutus, fortis, conſtans, aſpectu terribilis, audax, qui aduerſa animo forti tulit, eius ſepulcro ſequentes verſus inſcripti.

SVM SIGISMVNDVS MALATESTÆ E SANGVINE GENTIS
PANDVLPHVS GENITOR PATRIA FLAMINIA EST.



FRANCISCVS
GONZAGA MANTVÆ MARCHIO.

FRancifcus Gonzaga Marchio Mantuæ Quar-
tus Federici ex Margaretha Bauaricę ſtripis filius,qui ab
Illuſtri inuſitataq; animi magnitudine, & immenſo ardore
pugnacis ingenij à Venetis delectus anno M. CD. XCIV.
Imperator,primus eò ſeculo cruenta prid. Non. Iul. cōmiſſa Tar-
renſi pugna Italicæ,atq; externæ virtutis glorioſo congreſſu, quanquam infauſto periculum fe-
cit. In quo tametſi Mantuanus potius equitis quàm prudentis ducis officium impleuiſſe videba-
tur,tãtum tamen aberar,vr eum à funeſto pugnæ exitu temeriratis nomine reprehenderent, vt etiã
ab hac noua probatæ virturis inuictiq; animi gloria clariorem factum admirarentur. Exercitus enim
confœderatorum contra Marchionis mandatum cum magna confuſione flumen tranſierat, & cum in-
genti ordinis perturbatione,ac ferocitate pugnæ initium fecerat,in qua tamen,licet ancipite,maxima Fran-
ciſci virtus & fortitudo enituit,dum capto Borbonio,qui collegatorũ partes ſequebatur, eundem ſucceſſum
de Rege Gallo Carolo octauo ab occupatione Regni Neapolitani redeunte & in iugulo à ſe vulnerato, ma-
gnanimiter ſperans,hunc ex improuiſo in maximo periculo cōſtitutum cum ſuis adortus eſt, qui quanquam
ſe ſtrenuè defenderet,facto voto ad Diuos Dionyſium & Martinum protectores Galliç ardentius cum ſum-
mo vitæ periculo pugnare cepit,eoq; tandem adactus,vt diſcedendi ſecuritatem ab Italis petierit. Conſtat eo
prælio plus ſanguinis fuſum,quàm duobus antea ſeculis, ab eoque incommodo didiciſſe Italos nequaquam
feruidis animis,ſed ſtabili conſilio, & certa arte diſciplinæ miliraris exercenda eſſe arma, cum his præſertim
gentibus,quæ ordines ſeruare, diuerſas repentè acies efficere, nihil vulnera & mortem, aut deniq; ænea tor-
menta reformidare conſueſſent. Cum poſt Tarrenſem conflictum infelicem varia eſſent Ducum conſilia de
rurſus inuadendis hoſtibus Gallis,quod ipſi non virtute illorum, ſed locorum iniquirate ſuperati viderentur,
tum quidem Mantuanus, ſi (inquit) hodiè pari conſenſu vel cuncti audaces, vel cuncti timidi fuiſſemus,neq;
de loco deſerendo, neq; de inuadendis hoſtibus ageretur: Etenim vel lætiores cum Rege captiuo in hoſtium
caſtris cenaremus,vel certè integri viribus,atque animis hac ipſa rutiſsima valle teneremur. Sed cum extrema
conſilia diſsidentibus ingenijs ſemper officianr,media autem in vniuerſum iuuent,neq; pauidos refugere pa-
tiar,neq; item permittam,vt viri fortes iterum pugnę fortunam periclitentur. Cum Nouaria obſideretur,per
eos dies à Senatu Veneto cum multo verborum honore, quod ad Tarrum pro dignitate totius Italiæ ſtrenuè
dimicaſſet Imperator eſt appellatus,nec multo poſt Georgius Emus, Petruſq; Marcellus Imperij militaris in-
ſignia argenteum ſceptrum,& vexillum auratum in caſtra detulerunt. Carolo autem Gallorum Rege aduen-
tante cum tota mole exercitus,vr Nouarienſes obſidione liberaret, Mantuanus munitis caſtris ſingulari ani-
mi magnitudine atq; conſtantia eodẽ loco conſiſtere minimè dubitauit, quanquam à multis,vt ſeſe reciperet,
ſollicitè moneretur. Ipſe enim in conſilio,& palàm apud gregarios etiam milites reſpondebat,ea ſibi maximè
& ſalutaria conſilia videri,quæ impauidi animi,& bellici decoris plena ſpectarentur. Gallorum duces qui cum
valida peditum,equitumq; manu commeatum Nouariam intempeſta nocte introducere ſtatuerunt, de eorũ
aduentu per exploratores certior factus,diſpoſitis præſidiis, cunctiſq; itineribus celeriter occupatis, ipſe ante
alios progreſſus eſt,& cum Galli in turmas ab Mantuano conſtitutas incidiſſent,atque ignota in regione,den-
ſiſq; in tenebris errabundi diffugere conarentur, coeuntibus vndiq; Venetis & Sfortianis,tota ea manus diſsi-
pata captaque eſt. Poſt id factum Mantuanus, vt acrius hoſtes vrgeret,cœnobium Diui Nazarij, quod mœni-
bus erat propinquum,occupauit. Oppidum Brionium cum arce expugnatum,interceptiq; commeatus. Cum
Veneti adhortantibus maximè Ludouico Sfortia Alexandroq; Pontifice defendendi aduerſus Gallorum vim
Ferdinandi Arragonij Regis conſeruandiq; eius Regni negotium ſuſciperent, Mantuanus recenti rerum ge-
ſtarum gloria clarus,quum neninem eo fortius Gallos debellare poſſe homines crederẽt,eumq; pręcipuè Fer-
dinandus flagitaret,Imperaror delectus eſt. Beneuentumque cùm exercitu incolumi peruenit. Eius aduentus
laborantem Arragoniorum fortunam mirificè ſubleuauit. Aſculum deinde Apulorum profectus, ibiq; præſi-
dio relicto, ad Ferdinandum Regem in ſubiectis Fogiæ campis peruenit, à quo incredibili lætitia, ſingulariq;
totius exercitus alacritate ſuſceptus eſt. Cum Duces de tota belli adminiſtratione aliquot initis conſilijs ſta-
tuiſſent prælio ſuperſedere,tueri circumiecta oppida,& iter per Apenninum in Campaniam, atq; Nea-
polim aperire,Mantuanus nauandæ operæ cupidus,eam prouinciam vltrò ſibi deſumpſit,progreſſus-
que cum Franciſco Vrſino Grauinæ Regulo celeriter Montem viridem, Rochettam & Carbonariã
in fidem recepit. Vallata quoq; oppidum in edito colle poſitum magna vi expugnatũ & direptum.
Vallatenſium calamirate permori omnes populi,qui vicum Biſazam,Carifras,Guardiam,ſancti
Angeli caſtrum, vrbemq; Cidoniam incolunt,ad Arragoniam fidem redierũt. Idem paulò pòſt
fecère Pandinenſes & Montecutani,rotumq; id iter vna atq; ea admodum celeri expeditio-
ne pateſactum eſt Authoritatem ſuam apud milites miris artibus adaugere erat ſolitus.
Ornabat enim ſæpè eorum Centuriones,atq; ſigniferos variis muneribus,inmiſce-
batq; ſe gregarijs militibus incredibili comirate, ſed incorrupto ſemper ducis
ac Principis honore,adeò vt nemo tàm ferox eſſet & turbidus, qui ea hu-
manitate,& maximè inſigni liberalitate minimè flecteretur. Tandẽ
læthali morbo correptus,ſobole liberorũ omnino felix è vita
Anno M. D. XIX. xxix. die menſis Martij exceſsit.



ANDREAS CARDINALIS AVSTRIACVS.

ANDREAS Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli S. Mariæ Nouæ Diaconus, Cardinalis ab Austria, Episcopus Constantiensis, & Brixinensis, Abbas Augiæ maioris, nec non Murbachi, Luders cœnobiorum administrator. Sacri Romani Imperij Marchio Burgouiæ, Langrauius Nellenburgi &c. Belgicarum prouinciarum, nec non citerioris Austriæ gubernator, Ferdinandi Archiducis Austriæ filius. Paternarum virtutum æmulus, earundem statim ab adolescentia indicia manifestißima de se præbuit, ita vt non solùm in sacrum Cardinalium collegium primum adoptari, post prouincijs paternis administrandis, demum etiam Belgio in maximis tumultibus bellicis gubernando summa cùm authoritate à Rege Catholico præfici meruerit. Anno igitur Nonagesimo octauo circa finem mensis Augusti ex postulatione Hispaniarum Regis ab Rudolpho secundo Imperatore ad Belgij administrationem destinatus, postpositis propriis negotiis eò celerrimè contendit, cumq; Bruxellas appulisset, Serenißimus Albertus Archidux Austriæ, qui tum Regis nomine Belgicis prouincijs præerat, & iam profectionem suam in Hispaniam consumandi matrimonij sui causa maturabat, Cardinali vniuersam gubernationem cum summa potestate in eius absentia commendauit. Deploratißimus erat tunc Belgij status, pecuniæ in qua neruus belli consistit ingens penuria, omnia tumultuum in variis locis imprimis Antuerpiæ, Lyræ, & Gandaui plena, Galli licet (vt dicebatur) sine consensu eorum Regis confinibus imminebāt, his accedebant grauamina Imperialium Germanię principum, quibus Arragoniæ magnus Commendator exercitus Regij supremus legatus, quod in Imperij territorio contra ipsius Cardinalis mandatum cum maximo subditorum damno hibernauerit accusabatur. In quo turbulento rerum statu Cardinalis fideliter sattagens, nacta pecunia & milites tumultuantes sedauit, & totum exercitum pacauit, præsides, & locorum gubernatores, vt officio suo satisfacerent, pręsidia duplo augerent, & omnibus rebus necessariis prouiderent seriò admonuit. Cum apud Imperatorem, & Germaniæ principes sæpiùs ob prædictam causam se excusâsset, iamq; promisisset seipsum profecturum, totumq; exercitum illinc abducturum, omniaq; damna Imperio illata à se resartum iri, statutoq; loco conuentionis iam se itineri commisisset, fictione occupandi Schenkij iam propugnaculi, Bomelum versus prudenter se contulit, cum vt Imperialium conatibus melius obuiare, tùm vt commodius Gallorum molitiones impediret. Dum in insula Bomelensi moratur, Creuecurium oppidū deditione captum est. Durante obsidioni Bomelensi, multæ hinc indè excursiones, & velitationes maiori tamen hostium damno commissæ, repulsis & cesis hostium quinq; milibus, & horum pręcipui nominis centurionibus sex trucidatis, qui etiam paulò pòst maiori impetu irruentes, cum magna strage profligati sunt, nec quìcquam amplius tentare ausi fuere. Cardinalis postea videns, & considerans Bomelensem munitionem non nisi multo sanguine militum expugnari posse, aliam rationem optimo consilio excogitauit, aliudq; munimentū in insula construi, & ex suo nomine Sancti Andreæ denominari curauit, ex quo vtrumq; flumen Mosa & Vahalis aduersus hostem defenderetur. Quod quidem hostis animaduertens, & ipse exercitum ad Vahalis ripam è regione excitati munimenti adduxit. Excursiones vtriusq; partis crebriores & crudeliores factæ. Cum equitatus castra non satis tuta essent, duas munitiones Cardinalis erigi mandauit, & sexingentos milites in priorem collocauit, hostis verò quinq; millibus peditum & mille equitibus in eam impetuosè irruens hac facilè potitus est, superueniente autem Ambrosio Adrianio equitum Tribuno cum duabus sclopetariorum equitum alis, hostem viriliter aggressus est, & suos vndique circumdatos liberauit Cum hostis denuò posteriorem munitionem adoriri auderet, à præsidiariis, quorum octingenti tantum erant fortiter repulsus est. His laudabiliter gestis, Sancti Andreæ munimentum perfici Cardinalis imperauit, præsidio firmauit, & huic omnibus ad defensionem necessariis, & ad septimestrè spatium suffecturis prouidit. Buscoducis egressus Bruxellas se contulit, vbi ab omnib⁹ magnificentißimè exceptus est, qui de suo felicißimo reditu, & omnibus optimè, strenueq; gestis meritò congratulantes, eius heroîcas virtutes vbiq; prædicabant. Indè expeditis equis Archiduci Alberto, & Sereniss. Hispaniarū Infanti ex Hispania venientibus ad Diuæ V. Mariæ Montem obuiam factus, post multarum salutationum vicißitudinem, & priuata colloquia, tandem in illorum manus totius Belgij gubernationem in meliori quam acceperat statu restituit, Dei singulari inquiens beneficio nihil amisimus, consternatos pauimus, vniuersum exercitum in suo officio retinuimus, machinationes Gallicas impediuimus, Imperialiū motus aliquo modo compreßimus, aliquot ciuitates, & munimima Deo prosperante cepimus, Dothecum scilicet, Rheinbergam, & Creuecurium, vna cum viginti nauibus, & quod summoperè nobis cordi fuit, Diui Andreæ propugnaculum ita fabricauimus, vt nisi vel extrema annonæ penuria, aut singulari proditorum perfidia expugnari queat. De quibus omnibus fidelißimè peractis, gratias non solum egerunt Albertus Archidux, & Serenißima Infans, sed etiam planè Regia munera Cardinali meritißimo obtulerūt, Indè perlustrata, Gallia à Rege humanißimè exceptus, & dimissus, per Allobroges ad suos incolumis Mörspurgū venit. Deniq; sacro seculo pro nuncupatis votis persoluendis Alma vrbe, & hinc Neapoli Campaniæ felicis adita, indè Romam reuersus, & sæua febre oppressus obiit, Id. Nouembris Anno M. DC. in æde Diuæ Virginis Noua nominata iuxta alios Germaniæ Principes sacratos, secularesq; Romæ fato functos, & ibidem conditos tumulatus est.



MAVRITIVS
AVRAICVS NASSOVIÆ COMES.

MAVRITIVS GVLIELMI Auraicæ Principis, &
Naſſouiæ Comitis ex Anna Mauritij Saxoniæ Electoris filia
altera conjuge filius ſecundogenitus, patre à Sicario interem-
pro orbatus fuit anno M. D. LXXXIV. ætatis ſuæ decimo-
quarto A pueritia bellicis actionibus, & grauiſsimis Reipublicæ
negotijs exercitatus, non tantum ob patris merita, ſed etiam propter egreggiam de ſe excitatam
ſpem Marchio Veræ, & vna Zeelandiæ, Hollandiæ, ac cæterarum prouinciarum conſœderatarum
omnium conſenſu terra, mariq; ſummus præfectus, & exercitus dux creatus ſuit. Quo in munere
qualem ſe geſſerit, res ab ipſo intra decennium geſtæ demonſtrant: nobis eas in tam ſuccincto opere
digito attigiſſe ſuffecerit. Opere, & præſidio munitiſsimam arcem cum vrbe Bredana arte, & aſtu recepit.
Captis deindè propugnaculis aliquot, atq; caſtellis alijs, & inſulæ Bomelianæ arcem Heil, Terheiden præte-
rea, atq; Stenbergam in ſuam poteſtatem redegit, & Zutphaniam propugnaculo, quod iuxta eam erat inſi-
gni ſtratagemate expugnato ad deditionem compulit: Dauentriamq; vrbem vehementiſsimè oppugnatam
ſe ſubmittere coëgit. Indè cum exercitu in Friſiam mouit, & propugnacula Ementil, Anvvart, Opſlag, &
Delphzil occupauit. Hunc progreſſum diutius non ferens Dux Parmenſis, munitionem Knodſenburg à
Mauritio non ita pridem ad compeſcendos Nouiomagenſes in aduerſa Wahalis ripa extructam, magna vi,
ſed infelici conatu adortus eſt. Eodem tempore in Bathauia non procul ab oppido Arnhemio aliquot ſelectioris
equitatus vexilla in inſidias tracta, circumuenta, cæſa, centuriones magni nominis Itali, & Hiſpani cum ſignis
capti, multiq; nobiles viri deſiderati ſunt. Obſidione eo modo ſoluta, Mauritius improuiſò in Flandriam inua-
dens, Hulſtum, & Stenvvicum oppida magnis operibus munitiſsima ſuæ poteſtatis fecit, cum quidem iſtud a-
cerrimè defenſum fuiſſet, adeò vt ipſemet globo in ſiniſtra maxilla ictus diſceſsiſſet. Hinc rectà ad Couerden ca-
ſtellum natura loci, arteq; munitiſsimum pergens, reiecto prius Verdugio obſeſsis opem ferre conante, atq; Oth-
marſen ex itinere capto, deditione recepit. Montem poſtea Sanctæ Gertrudis, quam vrbem anteà Parmenſi à
milite ſeditioſò venditam annis Octuageſimo nono, & Nonageſimo ſecundo recuperare fruſtra, & infeliciter
tentauerat, arctiſsima obſidione cinctam, tandem in conſpectu Petri Erneſti Comitis Mansfeldij ſummi pro
tempore Belgij Præfecti occupauit. Groningam ampliſsimam, & primariam Occidentalis Friſiæ vrbem auxiliis
deſtitutam, difficili, & laborioſa obſidione ſui iuris fecit. Quatuor porrò hoſtium legiones cum quinq; equitum
vexillis in ſtatiuis Tornhutanis opprimere eum vellet, de aduentu eius certiores factas, atque in itinere occurren-
tes nequiquam exſpectato pedite, ſolis equitum turmis inuaſit, ſtrauit, & præter captiuorum numerum vltra
duo hoſtium millia cum Legato Varombono cecidit. Jnde trimeſtri interuallo Alpen, Modilianum, & Berkham
ad Rhenum, Grollam etiam nuper fruſtrà tentatam, Brefurdiam paludibus in acceſsibilem, Enſcedam, Odmar-
ſiam, Oldaſclam, Lingumq; oppida vi, deditioneq; vario labore occupauit, & Hiſpanica præſidia toto iſto tractu
abegit. In Hiſpaniam profecto Archiduce Alberto, ipſius cum imperio legatus Franciſcus Mendoza Arragoniæ
Admirantius omnibus copijs Inſulam, & vrbem Bomelianam magna celeritate aggreſſus, totam ibi æſtatem nul-
la re memorabili geſta triuit, tanta vigilantia omnibus eius conatibus ſe oppoſuerat Mauritius. Extructum ta-
men interea ab Andrea Cardinali Auſtrio in inſulæ angulo, atq; in conſpectu Mauritij exquiſiti operis propug-
naculum, quod vulgò Sancti Andreæ vocatum eſt. Anno Sexcenteſimo frigoris, & glaciei beneficio, atq; opera
Ludouici Guntheri Comitis Naſſouij VVachtendonk oppidum ad Moſam interceptum eſt. Verum ordines cō-
fœderatarum prouinciarum iniquo animo ferrentes Sancti Andreæ propugnaculum luminib⁹ ipſorum obſtru-
ere, illud obſeſſum miſerunt Mauritium, alieno adhuc anni tempore, & pluuio cœlo, qui mirum in modum ca-
ſtris vndiquaq; vallo aggereq; munitis præſidiarium militem propter ſtipendia ſeditioſum, auxiliaq; deſperan-
tem, pacta magna pecuniæ ſumma, vt locum relinquerent adduxit. Deindè ex ordinum conſulto Flandriæ oram
claſſe numeroſa exercitu tranſmiſſo adortus, propè Nouiportum maritimum oppidum conſedit. Eum Albertus
Auſtriæ Archidux, ſuæ dignitatis, & officij memor, vndiq; contracto exercitu. Oſtendam feſtinanter præterue-
ctus, quaſi indagine clauſum omnibus cum copijs opprimi poſſe ſperauerat. Quandoquidem duabus legioni-
bus, quibus Erneſtus Naſſouiæ Comes manè hoſti obuiam ire iuſſus erat ad internecionem cæſis, octode-
cim ſignis militaribus, & duobus tormentis relatis, non ad exploratam, ſed partam iam victoriam, Alberti
milites ſibi properare videbantur. At Mauritius quamuis iniquitate regionis plurimum impeditus, ob
amiſſam iam exercitus partem perturbatus, diſtributaſq; hinc indè copias anxius, & hoſte longè infe-
rior, ſibi non defuit, ſed omnia prouidendo, adhortando, & pugnando fortiſsimi ducis officio per-
functus, perquam ancipiti diu pugna hoſtes tandem toties reſtaurata, & impulſa acie in fu-
gam egit, profligauit, Arragoniæ Admirantium, plurimoſq;, clariſsimos, & illuſtres
viros militares cum magno veterani militis numero captiuos duxit, & me-
morabili ſed ſatis cruenti victoria potitus eſt.



IOHANNES IACOBVS TRIVVLTIVS MEDIOLANENSIS.

IOhannes Iacobus Triuultius Marchio Viglebani & Mesochij Comes, qui ob egregias res bello gestas Magni nomen obtinuit, Mediolani ex principe ciuitatis familia ortus est, patrem verò habuit Antonium, qui clarissimus bello dux, idem libertatis ac patriæ imprimis studiosus fuit. Nam mortuo Philippo Vicecomite, cum de successore deligendo diuersa essent hominum studia, atq; consilia, ipse populum ad libertatem vocauit, & vt arx, quæ ceruicibus impositum seruitutis iugum videbatur, solo æquaretur author fuit. Paternas igitur virtutes & gloriam æmulatus Jacobus, omni laude dignam vitam egit. Vndecim annos natus, à Francisco Sfortia primo inter aulicos pueros ascitus, atq; in bellū ductus, inter arma bellicosq; furores clarissimi ducis exemplo, & auspiciis didicit rudimenta militiæ, ac paulò pòst Galeatium Sfortiam in Sequanos secutus, Iacobo Cremonensi strenuo viro ex mediis hostibus erepto atq; seruato, corona ciuica donatus est. Hinc verò quasi classicum audiisset, quo ad summam virtutis gloriam inuitaretur, omnibus in bellis, quæ posteà per vniuersam Italiam turbulentis illis temporibus gesta sunt, summa cum fortitudinis & prudentiæ laude versatus est. Rubeos Sancti Secundi Comites, qui à Galeatio defeciuerant, pluribus præliis fusos, oppidisq; & vicis exutos, fuga sibi consulere coegit. Robertum Sanseuerinum inueteratę gloriæ ducem, semel ac iterum bello Ferrariensi minori militum manu fudit. Heluetios qui Mediolanensem agrum despecta Ducis pueritia & imbecillitate barbara populatione inuaserant, altero ad Domussulam prælio internecione deleuit. Buccalinum Auximi tyrannum laboriosa ac difficili obsidione ad deditionem compulit. Alfonso Calabriæ Duci Turcas ex Italia expellenti magna edita strage cum ipsis præter omnium opinionem congressus, maximo vsui fuit. Cum autem Galli cedentibus Arragoniis regnum Neapolitanum occupâssent, & omnibus viribus ne in Italiam redirent impedirentur, singulari virtute, & consilio iter illis ad Tarrum expediuit. Missus verò à Ludouico duodecimo Galliarum rege, fugato Alexandria Sanseuerino, Mediolanum, & omnes eius ditionis vrbes atq; oppida intra viginti dies Gallorum regi acquisiuit. Cum vero Ludouicus Sfortia qui Morus cognominatus est, præpropera celeritate auxiliantibus Heluetiis in vrbē rediisset, cum Iacobus ad Nouariam, compulsis, ad deditionem Heluetiis cæpit, & citius quam amiserat Mediolanum recuperauit. Germanis deindè ad Tridentinas fauces oppositus, qui in Italiam cum potentissimo exercitu irrumpere conabantur, bellicosissimæ gentis impetum incredibili virtute ac stratagemate elusit, & oppidum Agreste munitissimum vt per deditionem à Venetis parumper cunctantibus caperetur, expedito ipse consilio effecit. Gliscente verò inter ipsum Ludouicum regem, & Iulium Summum Pontificem propter Ferrariense bellum discordia, Bentiuolios profligato sine sanguine Pontificio exercitu Bononiam reduxit. Francisco autem primo Gallorum Rege in Italiam contendente, cum Heluetij vt transitum impedirent, solita Alpium itinera firma manu obsiderent, difficili ac prius quidem ignota per argentarias rupes via exercium incolumem, & (quod magis mirandum) tormenta maiora trium dierum spatio traduxit, atq; Prosperum Columnam præstantissimum Ducem nihil tale opinantem ad Villam Francam oppresit & cępit. Tùm verò ad Melignanum vicum, vbi cruentissimo ac acerrimo prælio cum Heluetiis pugnatum est, non prudentissimi magis ducis, quam fortissimi militis septuagenarius iam senex operam præstitit. Sæpè enim in medios hostes inuectus prælium reparauit, plures manu sua confodit, à pluribus ipse hastis & gladiis petitus est, & graui indutus armatura bis tantum equo permutato ieiunus & insomnis in prima acie versatus est. Postremus illi belli honor tribuitur, quod Maximilianum primum potentissimum Romanorum Imperatorē, qui armis vinci non poterat, literarum commento, iniecta de fide Heluetiorum suspicione infecta re domum redire commouit. Indè in Galliam profectus ad diluendas Lotrechij criminationes, obiit Blæsis apud Carnutenses oppido Nonis Decembris anno Millesimo Quingentesimo Decimo octauo, ętatis verò anno Septuagesimo octauo, cum ingentes stipendiis suis comparâsset diuitias, Viglebani Marchio factus, Comes Mesochij apud Rhetos, & quod magis ei honorificum fuit Magister equitum quem Mareschalcum Galli vocant, & honos Regio proximus apud illos censetur. Mediolanum magnificò funere expensis regiis delatus, ad Sanctum Nazarium in Sacello, quod sibi viuens extruxerat conditus est. Addita tumulo (vt ipse mandauit) hac inscriptione: IOHANNES IACOBVS TRIVVLTIVS QVI NVNQVAM QVIEVIT, QVIESCIT, TACE.

Fuit docili ingenio in explicandis dubiis rebus, exequendisque consilijs celer, prudens, humanus, beneficus, æquitatis obseruantissimus, atque in retinenda disciplina militari seuerus vindex, liberalis ergâ milites, vt quorum inopiam sæpius sublcuarit. Quamuis haud magna statura corporis esset, viribus tamen & animo ad labores inuicto, constantiq; adeò valebat, vt in obeundis militiæ muneribus, præliorumque subeundis periculis robustiores quosque milites adæquare videretur, & ad Recardinem flumen vbi funalibus accensis de bellica virtute inter Italas gentes ad multam noctem decertatum est, cum ei esset interfectus equus, alium arreptum nullo auxiliante in ipso pugnæ ardore armatus conscenderit. Vicies septies cum hoste conflixit, semel tantum ad Nouariam Heluetiorum audaciæ cedere coactus est.



COSMVS MEDICES FLORENTIÆ DVX.

COſmus Medices Florentiæ Dux ſecundus, Iohannis Medicis magni bellatoris, qui ob inuictum animi robur militiæ fulmen apellabatur, ex matre Saluiata filius, naſcitur anno M. D. XIX. In iuuenili ætate ingenij acumine præditus, magnam apud omnes de ſe ſpem concitauit. Clementi Pontifici comprobata ipſius ingenij ſagacitate acceptiſsimus fuit. Cum Alexandro Florentinorum Duce Neapolim ad viſitandum Carolum Quintum Cæſarem, qui iam ex victoria Tunetana redierat, ſe contulit. Occiſo pòſt Alexandro Duce, Coſmus Mugelli commorans manu ſtipatus validiſsima Florentiam contendit, & à ciuibus vnanimi conſenſu ciuitatis Princeps ſalutatur, ſed matre ſuadente, abnuit primùm perhumaniter, at potioribus tandem Senatorum eligentium perſuaſionibus, & votis in Florentinæ Reipublicæ Caput decimo ſeptimo ætatis ſuæ anno palam pronunciatus eſt. Tumultuantibus pòſt mortem Alexandri aliquot ciuibus, qui facta cum exulibus conſpiratione noui electi Principis Imperium minus ferre poterant, & ad libertatem adſpirabant, Coſmus conſcripto milite, adiunctis auxiliaribus Cæſaris copiis inimicorum conatibus fortiter reſtitit. Acceſsit ad hunc belli tumultum ingens aduerſus Coſmum Pauli Tertij Pontificis collectus exercitus, cuius cauſam referunt odium propter electionem, & traditum Coſmo Principatum fuiſſe. Cardinali Saluiato, vt Principatum deponeret, ſuadenti, ſe hunc nec precibus, nec illiciris modis, ſed conſentientis Senatus ſpontanea ſuffragatione, & voluntate conſecutum animo conſtantiſsimo reſpondit, & propterea indignum eſſe renunciare dignitati, quæ publico iudicio, & electione ipſi decreta fuiſſet. Saluiatus igitur Cardinalis videns ſe præter ſpem nihil profeciſſe, alia via negotium aggrediendum, & Coſmo, vt à Cæſare deficeret, Gallicaſq; partes ſequeretur, perſuadere tentat. Coſmus autem optima, & matura deliberatione habita Cæſari ſemel iuratam fidem, & ne familiam ſuam ingratitudinis indelebeli macula contaminaret ſanctè ſeruandam ſibi proponens, ſe ad defenſionem parauit, & quod ſingulari eius clementiæ adſcribendũ, exules ciues, qui tempore Clementis Pontificis magiſtratu functi variis in locis ſe continebant, in patriam vt reuerterentur iuſsit, ac prioribus honoribus reſtituit. Omni igitur ſpè iam eluſus Cardinalis Saluiatus, bellum, vt cum ſociis aduerſus Coſmũ pararetur ſummo ſtudio promouit, quod Petro Strozza ſupremo militiæ præfecto, coacto ingenti exercitu inchoatum, Coſmi autem diligenria, qua hoſtium conatus anteuertit, ſuſis captiſq; ad Montemurlium pręcipuæ authoritatis militum ducibus finitum eſt. Carolus itaque Cæſar animaduertens Coſmi in rebus bellicis ſingularem induſtriam, & gubernandi dexteritatem, maiori eum beneuolentia complexus eſt, in tantum, vt eum confirmatis omnibus priuilegiis, quæ anteà Duci Alexandro conceſſa erant, Ducem Florentiæ pronunciârit, & declarauerit Cæſarem in Africam ſecundã expeditionem ſuſcipientem Genuam vſq; comitatus eſt, & Imperator poſtquam cum eo varia magni momenti contuliſſet, eius in conſiliis prudentiam, & rerum maximarum experientiam vehementer admiratus eſt. A Cæſare dimiſſus, & in Hetruriam reuerſus, Piſanam ciuitatem propugnaculis muniit, & reſtaurauit, publicum ibidem Gymnaſium olim per Laurentium Medicẽ cognomine magnificum fundatum quidem, ſed propter varias continuorum bellorum calamitates interitũ minans, introductis optimis, & doctiſsimis quibuſq; profeſſoribus reſtituit, fundato inſuper nouo collegio cui Sapientiæ cognomen inditum, in quo pauperes ſtudijs liberalibus addicti ſine vllo illorum impendio alerentur. In bello Mediolanenſi ab Imperatore Carolo monitus, auxiliaribus copiis miſsis Strozzium cecidit, Mediolanumq́ue à periculo imminenti liberauit. Orbitellum cum alijs maritimis Hetruriæ locis à Hariadeno Paſſa captis recuperauit. Pro ſecuritate maris Tyrheni Claſſem ſuis ſumptibus inſtituit. A Cæſare deindè ob pręclara bellicarum, aliarumq; virtutũ exempla ordine equeſtri Aurei velleris donatus eſt, cui etiam contra Germaniæ conſœderatos Principes equitum aliquot turmas auxilio miſit. Genuenſibus ad liberandam Corſicam ex Gallorum manibus, ducentis equitibus ſubſidio venit. Poſtea Dux ſupremus militiæ Senenſis à Cæſare conſtitutus, eam expeditionem ad feliciſsimum finem perduxit. A Philippo Hiſpaniarum Rege arcem Florentinam, ciuitatem Senarum, vna cum territorio, alijſq; locis & munimentis recepit. Pacificata iam Hetruria Ordinem militum ſancti Stephani, qui pyratas toto mari perſequerentur, inſtituit, annuiſq; prouentibus ornauit. Regi Hiſpaniarũ aduerſus Turcam exercitum paranti auxiliares copias miſit, additis decem triremibus cum noui ordinis Diui Stephani equibus. Militiam perpetuam, quam Ordinanzam appelant quadringentis leuis, & ducentis cataphractis equitibus, quorum virtute regni fines tueretur, publico ſtipendio alendis conſtantẽ erexit. Vrbes in Flaminia Heliopolim, Saxum Simonis in Vmbria, Coſmopolim in Iluę Inſula extruxit. Maximiliano ſecundo Cæſari cõtra Turcam ſub Aurelio Fregoſo, quemadmodum etiam Carolo Nono Galliarum Regi contra Hugenotos auxilia ſuppeditauit. Pius Quintus Pontifex illius virtutes, admiratus, eum Magnum Hetruriæ Ducem creauit, aureaq; roſa donauit. Ad expeditionem ſacri Fæderis contra Turcam triremes inſtructiſsimas auxilio miſit, quibus Chriſtiana claſsis aucta memorabilem victoriam ad Echinadas inſulas de Turcis conſecuta eſt. Tandem cum triginta ſeptem annos patriam magna cum laude, & ſubditorũ commodo gubernâſſet vita ſunctus eſt Anno M. D. LXXIIII. ætatis ſuæ LIIII. Corpus ad Sancti Laurentij templum à Sancti Stephani equitibus deportatum, & cum titulo PATRIS PATRIÆ ex publico decreto ſepulchro mandatum.



IACOBVS
MALATESTA.

IACOBVS MALATESTA Leonidis Generalis de Monte Alcino & Caſſandræ Liuiæ Florentinæ filius, primus Marchio Roncofredi à Pio Quinto Pontifice compatre ſuo creatus. Huius inſtitutor in diſciplina militari fuit Sigiſmundus patruus, ſui æui in rebus bellicis verſatiſſimus, & poſtea Ferdinandus Gonzaga, cum quo ad bellum Duranum contra Gulielmum Cliuenſem Ducem ſuſceptum (qui mortuo Carolo Geldriæ Duce Geldriam occupauerat, quem etiam Galli in ſuas partes pertrahere nitebantur, vt Cæſar in Belgio vicinum hoſtem haberet, ætatis ſuæ anno duodecimo ſe contulit, vbi Dura Cæſarianorum militum virtute vi expugnata, à milite direpta, & nouiſsimè incendio miſerè vaſtata, Iulia deditione recepta, Ruremunda Geldriæ caput caſtigatione Duranorum perculſa ad pactionem deſcendit, fidelitatemq́; iureiurando confirmauit, Cæſare deindè ad Venlonem agente, Princeps Cliuenſis ſanioribus vſus conſilijs comitatus Henrico Bruuſuicenſe Principe, & legatis Archiepiſcopi Colonienſis Septemuiri ad Cæſarem ſupplex veniens ab eodem ſub quibuſdam conditionibus in gratiam receptus eſt. Cæſarem quoq; Malateſta ad expeditionem Africanã ad Algeriam expugnandam infelicem quidem ſecutus eſt. Cum eodem in Siciliam abiens Siciliæ Prorex conſtitutus fuit. Paulo Tertio Pontifice mortuo, cum Fabricio Columna Gonzagæ affine egit, vt Principatum ſuũ ſub Coſmo Florentinorũ Duce recuperaret. Aſcanio Columnæ in Bello Senenſi adfuit, à quo Plumbino & Oræ Senenſi præfectus eſt, quam gubernans contra Turcos defendit, & cum Principe Salernitano Scarlinum prius à Carolo Gonzaga & Leone Strozza tentatum expugnauit. Paulo Quarto Pontifici in bello Neapolitano contra Philippum Hiſpaniarum Regem militauit. Pij Quarti militiæ Dux, in huius ſuſpicionem incidit, quod CaraffICæ familiæ adhæſiſset, captum & in caſtellum Sancti Angeli coniectum Veneta Reſpublica liberauit, & Gubernatorem Regni Cypri conſtituit, vbi legatum & alios qui fratrem interfecerant occidit. Ex illa Inſula maximo cum vitæ periculo mirabiliter excedens, & à Guidone Vbaldo Vrbinatium Principe receptus. Turcis Melitenſis Inſulæ ciuitatem arctiſſimè obſidentibus oppugnantibusq́; cum hoſte fortiſſimè conflixit. Pius Quintus Pontifex in belli Imperatorem creato Anconæ & maritimarum ciuitatum præfecturã commiſit. Poſt ad Echinadas obtentã memorabilem contra Turcas victoriam, à Pontifice Veneti, vt eius opera vti poſſent impetrarunt, qui mox Albaniæ eum præfecerunt, vndè pulſum captum à Turcis, & Conſtantinopolim ductum, tandem Galliæ Rex intercedente Pontifice Turcica captiuitate liberauit. Deniq; Veneti ipſum Bergomi Prætorem conſtituerunt.



CASPARVS
FREVNDSBERGIVS.

CASPARVS Freundſbergius Dominus in Mindelhaim, Sterzingen, & Peterſberg, Georgij filius, eximia fortis animi indole à prima ſtatim adoleſcentia documento eſſe potuit: fortes creari fortibus & bonis. Nam in expeditione Maſſilienſi ſub Duce Borbonio, cui eum pater commendauerat, etiamnum adoleſcens magna futuræ virtutis indicia præbuit, ſummamq; de ſe ſpem, & expectationem apud omnes excitauit. In Italia deindè Mediolanēſi bello, Ticinum vrbem (Papiam hodiè vocant) contra Gallorũ vim, & oppugnationem ſtrenuè defendit. Germanorum peditum, qui ei bello interreant, Imperator factus, Mediolani arcem ſibi creditam à Gallorum copiis arctiſſima obſidione cinctam egregiè tutatus, Mediolanenſes ipſos defectionem meditantes in officio retinuit. Hinc Borbonium ipſum, & Antonium Læuam laudatiſſimos Caroli Quinti Cæſaris eatempeſtate Duces, ſuæ virtutis teſtes nactus eſt, à quibus magnificè prædicatus, & Imperatori Carolo V. cōmendatus, ob operam egregiè nauatã, & ſumptos belli de ſuo patrimonio factos, oppidis & arcibus aliquot donatus, & ad rem domeſticam conſtituendam in Germaniã reuerſus eſt. Dum verò in Italiam à Cæſare vocatus, vt exercitum indè in Italiam duceret, magnis itineribus properat, acerrima febri correptus domum redire cogitur, vbi poſt dies non multos animam Deo reddidit. Magnitudine animi, & egregia militarium laborum tolerantia patrem, cuius decora ſibi imitanda propoſuerat, exæquare procul dubiò potuiſſet, niſi præmatura mors Deo ita ſtatuente longiorem ei vitam inuidiſſet. Obiit enim ætatis Sexto & triceſimo nondum exacto, pridie Calend. Septembris, qui annus à Chriſto nato numerabatur ſupra Milleſimum & Quingenteſimum Triceſimus ſextus. Filium reliquit Georgium auo cognominem.



IOHANNES RVEBERVS BARO IN PIXENDORF ET GRAVENWERDT.

IN IOHANNE RVEBERO perantiquæ nobilitatis Duce longè optimo & fortiſsimo flagrans armorum ſtudium enituit. Hic in ſenium vſque bellicis laboribus incumbens militaris diſciplinæ munia obiuit, ac ſummæ in exercitu poteſtatis & in ſuperiori Hungaria præfecturæ iura ita exercuit, vt in eo inuictæ virtutis retulerit decus, & clariſsimis factis nomen famamq́; latiſsimè extenderit. Juuenis plures regiones noſcendis variarum gentium moribus peregrinatione circumeundas ſuſcepit. Peragrata Italia, & Hiſpanijs perluſtratis Galliã adiit, vbi apud Germanicas copias aliquantiſper commoratus quendam belli vſum ſibi comparauit, inde in Belgium cõceſsit. Hinc repetita Germania in Auſtriam natale ſuum ſolum remigrauit. Ex his peregrinationibus multiplici rerum notitia auctus ſe totum Marti dicauit, atq; in Italiam redijt, ſub ductu Ferdinandi Gonzagæ in Pedemontio & Gallia Narbonenſi primam nauauit militiæ operam, diuerſarum vrbium & munimentorum occupationibus deditionibusq; interfuit. Mauritio Saxoniæ Duce in Hungariam contra Turcas mouente domi ſe præparantem ignis nitrati puluis ita læſit, vt ſequi nequiuerit. Inde in Belgium ad Caroli V. Imperatoris exercitum ſe contulit, & ſuas quoq; nouo Heſdino cõdendo ſub Philippo Comite Eberſteinio cohortis vni° vexillifer adhibuit manus, vti etiam Carlomontio & Philippopoli in Hannonia extruendis. Prope hanc machinæ globo petitus mirè ſingulari Dei beneficio abſq; grauiori noxa ſeruatus eſt. Jn Hungaria ſub Marcello Theodorico legionis Germanicæ præfecto vnius cohortis tribunum agens alias quatuor in Jmperij partibus cohortes conſcripſit, quibus Viennam deductis in Sepuſium contendit, quo tempore ordinum Auſtriacorum ſtipendia ſimul meruit, equitum, qui illi parebant, ala in Iauarini ſtatione collocata. Cum Ferdinandus Secundꝰ Archidux Zigethio ab Haly Paſſa Budenſi obſeſſo ſuppetias ferret, in illo atrociſsimo conflictu acerrimè dimicauit. Diſſolutis illis copijs & equitatu dimiſſo Iauarino in Belgiũ ſe recepit, vbi à Philippo Hiſpaniarum Rege cõductus eſt, vt tres in Gallici belli vſum equitum alas compararet. Victoriam Grauelingenſem plurimum adiuuit. In plurimis expeditionibus, prælijs, & locorum expugnationibus cum fortiter rerum geſtarum laude verſatum, & celebrem Maximilianus II. Jmperator ex Belgio per veredarium adſciuit, vt haud mediocrem equitatum in Hungariam deduceret. Cum vero tardius appuliſſet, donec vſus poſceret, interim cenſum conductitium ipſi decreuit. Sicut Ferdinandi, ita Maximiliani II. Jmperatorum coronationibus Francofurtenſibus interfuit, functus præfectura prætorianæ alæ. A Maximiliano cum vna vexillatione equitum Iauarinum miſſus ad Theodatam plurimos Turcas cecidit & cepit. Erdeudo á Turcis obſeſſo, & Lazaro Schuendio petente, Maximilianus Rueberum ad illum cum quatuor vexillationibus equitum deſtinauit. Schuendius aſſentientibus omnium legionum, cohortium & alarum præfectis, tribunis & centurionibus ſummum Magiſtrum equitum eum creauit. In quo munere Maximiliani Auguſti approbatione conſtitutꝰ ex voluntate Schuendij, & caſtris vltra Tibiſcum nauali ponte iunctum poſitis cum octo vexillationibus in Turcas iuxta Samoſium caſtrametatos mouit, & eos, qui Cæſareani exercit° pabulatores conciderant, ad hoſtium vſq; caſtra perſecutus eſt. Fugientibus Turcis commixtus in maximo verſatus eſt diſcrimine, atq́; eò magis, quod Turcæ ſumma vi ex caſtris ingruerint, qui illum cum ſuis in fugam profligare, diſsipare & trucidare contenderunt. Sed ſtrenuè impetum ſuſtinentem & iugiter præliantem periculo nox & nimbus eripuit. Schuendio alia poſt alia hoſtilia munimenta & arces, potiſsimum Mungatſchium, obſidenti, tormentis quatienti, in poteſtatem redigentiq́; maximo vſui fuit. Miſſus à Schuendio cum tribus millibus equitum & peditũ, vt Riuulum Dominarum à Iohanne Sigiſmundo Trauſſyluaniæ Principe obſidione cinctum & vehementer oppugnatum liberaret, tardius propter pontis naualis defectum illuc quidẽ aduenit, ſed quãuis eo loco hoſtis potitus eſſet, tamen traiecto amne celeriter in eum perrexit, improuiſo aduentu inimicos perterrefecit, oppidum recuperauit, in arce tormentario puluere accenſa plurimis hoſtium interemptis, præſidiarios interfecit, oppidanos denuò Cæſari iuriſiurandi ſacramento obſtrinxit. Palotham vnà cum Ekhio Salmenſi & Georgio Helffenſteinio Comitibus, Turcis fuga obſidionem ſoluentibus, ſeruauit, Veſprinium & Theodatam recepit. Cum Salmenſi & viginti quinq; equitum Germanicorum & Hungaricorum alis in Turcas ſub Alba Regali caſtramentatos mouit. Poſtquam Schuendius ſuperioris Hungariæ adminiſtratione & exercitus imperio ſe abdicâſſet, á Maximiliano illi ſuffectus eſt. Quod munus ea mentis prouidentia & conſilijs procurauit, vt Cæſar incommodi & regio illa detrimenti nihil omnino capeſsiuerit, nec quiſquam de vlla militum licentia & iniuria conqueſtus ſit, publica tranquilitate & aduerſus Turcarum vim, Tranſſyluanici Principis, & quorundam Hungarorum complicum technas atque ſtudia defenſione optimè conſtituta. In illa ſummæ authoritatis præfectura euaſtantis artus Podagræ dolore oppreſſus fato conceſsit, herôicarum virtutum & militaris induſtriæ illuſtribus exemplis relictis.



ALBERTVS
ARCHIDVX AVSTRIÆ.

ALBERTVS Archidux Austriæ, huius nominis
in Austriaca progenie Septimus, Dux Burgundiæ, Co-
mes Tyrolis &c. Princeps, & Dynasta Belgarū. Natus Ma-
ximiliano Secundo Jmperatore Augusto, & Maria Caroli V.
Cæsaris filia. Indolē ab vtroq; traxit, & patre, & auo, comi graui-
tate, & magnitudine mira animi, consilij præstantia, constantiaq; in omni euentu sedata. In Hi-
spaniam iuuenis admodū iniit, comitatus sororē Annā nuptui Philippo secundo Hispaniarū, & In-
diarum Regi datam. Ibi in aula aliquandiu vixit, cui ingenium, moresq; sic probauit, vt Cardinalis eo
adnitente, & mox Archiepiscopus Toletanus, Primasq; Hispaniarum sit factus. Lusitania autem post
Regem Sebastianum à Mauris in acie cæsum, atq; Insulis, Indiaq; Orientali in ditionem eiusdem Regis
Philippi redactis, cum rebus valdè turbidis, Lusitanorum animis alienis, hostibus insidiantibus, ad guber-
nandum, & in officio continendos istius Regni Ordines singulari prudentia opus esset, Philippus Rex inter
omnes cum elegit, qui suas vices Prorex sustineret. Administrauit autem illud Regnum tali iustitia, modera-
tione, & prouidentia, vt pari charitate, & veneratione apud indigenas, ac terrore apud hostes esset. Quos autem
Anglorum auxiliis, instructaq; magnà classe confisos, & quatuordecim millibus militum portus Regni, & de-
niq; Vlyssiponem ipsam tentantes, paruo motu, & mole repressit, ac reiecit. Itaq; eo experimento Philippus Rex
fidentior, in Belgium cum ablegauit, ciuilibus etiam recentius externis bellis, scilicet apertè Gallico, occultè An-
glico annos amplius triginta conflictatam. Diu à Belgis Regi suo adhuc adherentibus expectatus, tandem Bru-
xellas ingressus, ab omnibus Proceribus, ordinibusq; magnificētissimè exceptus, & salutatus est. Postquam Belgij
statum constituisset, non tantum armis, sed etiam pacis instructus consilijs, & ad vtrumq; paratus, ad pacatam
gubernationem animum applicuit. Pacem bello præferens, cum hanc Mauritio Nassouio, Battauis, & horum con-
fæderatis obtulisset, nec tamen impetrare posset, suo officio se satisfecisse ratus, abdicato pacis consilio se ad bel-
lum præparauit, Quod à Gallis auspicatus, Feram Veromandiæ vrbem valido Hispanorum præsidio munitam,
tunc à Nauarreo obsessam, & commeatus penuria, qui ob munitiones pluribus locis ab hostibus excitatas difficil-
limè importari poterat, laborantem, superatis maximis difficultatibus illata intra muros annona recreauit. Dein-
dè rebus omnibus ad bellum paratis, copias omnes in agrum Valencenensem conuenire iussit, & recta Feram cum
vniuerso exercitu ad osidionem soluendam iturus videbatur, at aliud fuit Archiducis propositum. Etenim præ-
ter Gallorum omnium expectationem Caletum Iccius portus, & Gessoriacum antiquitus appellatum ex impro-
uiso inuadere meditans, callido stratagemate, quo hostem egregiè elusit vsus est. Plures militum præfectos ad di-
uersa loca cum copiis militum mittens, Gallos ambiguo metu distinuit, Ambrosium Landrianum Montrolium
versus tanquam ad hanc vrbem obsidendam summa cum celeritate contendere iussit, ipse cum tota mole exerci-
tus Artesiæ latitudinem emensus subsecutus est, & in agrum Caletanum tanto silentio peruenit, vt prius adesse
conspiceretur, quam aduenisse crederetur, non sinè ingenti Caletanorum ciuium, præsidiariorumq; formidine, &
trepidatione, qui quod vrbs esset munitissima nihil minus quam ab hoste Fera periclitante obsidionem expecta-
bant. Turrim validam Risebenam vulgò dictam portui adiacētem primò in potestatem redegit, militibus, & tor-
mentis maioribus, ne hostium nauibus in portum pateret ingressus firmauit. Post turris istius expugnationem, in
qua maximum ad victoriam consequendam inerat momentum, Caletum terra mariq; obsidere cæpit turrim &
portum tutare iussit, ipse in continenti cum cæteris exercitus præfectis consedit, suburbia opere, & milite munita
quę portui adiacebant expugnata sunt. Nihil cunctandum ratus, vrbem tormentis verberare cępit, quibus ingen-
ti edita murorū ruina, post petitas quidē sed reiectas inducias, ciues rebus suis diffidentes de vrbis deditione trans-
egerunt Archidux dedita vrbe vitam, fortunasq; incolumes futuras pollicitus est, concessa interim optione, si vel
in vrbe manere, vel in arcem se recipere vellent, additis etiam sex dierum inducijs. Quibus acceptis conditionibus
ciues terrore perculsi ad vnum penè omnes in arcem confugerunt, vltimo porrò induciarum die adueniente, o-
mnia ad oppugnationem præparata fuerunt, cum autem obsessi arcis diditionē recusarent, tanto tormentorum
impetu arcis mænia Archiducis iussu prostrata sunt, vt milites per murorum ruinas infusi, arcem cæsis propu-
gnatoribus horæ vnius spatio fortissimè expugnauerint. Archidux arcem ingressus, ciues qui reliqui erant à
militum iniuria vindicauit, mulieribus, pueris, & plerisq; ciuibus, qui abiectis armis in locum quendam iner-
mes confugerant parcitum, ingens viduarum numerus partim per vicos, & compita obuersabantur, è qui-
bus extraneæ abire iussæ, donatis aliquot dierum alimentis, & viatico, vrbanæ verò in suas domos dimis-
sæ sunt. Archidux portu hoc commodissimo, & oppido totius Gallię munitissimo intra paucos dies par-
ua militum suorum iactura in Anglorum, Gallorum, & Hollandorum conspectu occupato magnam
nominis sui gloriam acquisiuit. Caleto expugnato, Archidux Chisnas cum arcibus quibusdam fini-
timis in potestatem suam redegit, milite longè lateq; agrum Bononiensem euastante. Paulò pòst
Ardeam oppidum situ, opereque firmissimum obsedit, obsessi autē inducias postulauerunt.
Quibus recusatis, & nuper Caletensium clade perterriti deditionem fecerunt. Tum ver-
sis signis Hulstū Flandriæ, quod natura, & manus penè inexpugnabile reddiderant,
illud se quoq; dedidit. Non diu abhinc ingrauescente ętate, & valetudine Philip-
pi Regis, alterum fulcrum rebus, regnisq; electus, & gener destinatus Isa-
bellam Claram Eugeniam filiam natu maiorem vxorem duxit,
cum qua florētissimas Belgiæ Prouincias adeptus, quas
nunc etsi in graui rerum motu summa cum pru-
dentia & animi fortitudine regit.



CHRISTOPHORVS
BARO A TEVFFENBACH.

INter generosos Martis alumnos, nostro æuo virtute militari & rebus præsertim contra Turcas fortiter gestis claros, Christophorus Teuffenbachius, ex nobilissima familia ortus, locum qui meritis par est, obtinet. Hic in pueritia liberalibus disciplinis institutus, adultiore ætate regiones varias pacis belliq; artes & vsum consequendi studio perlustrauit, ac in diuersis expeditionibus ea suæ militaris virtutis specimina edidit, vt in patriam reuersus à Diuo Ferdinando bellicis consilijs & muneribus adhibitus, ac in ijsdem Maximilianus II. illo vsus sit, atq; Rudolpho II. Augusto idem Teuffenbachius parem operã egregiè præstiterit. Anno M. D. LXV. sub Lazaro Schuendio in superioris Hungariæ partibus exercitus Cæsareani Imperatore alæ germanicæ magister, inter Tibiscum & Samosium amnes castris positis, irruentem Alybeghum, Lippæ Sangiackum, deleuit. Anno M. D. LXVII. ad Gothensem obsidionem Maximilianus II. illum cum alijs legatis destinauit. Gotta & Grimenstainio deditis, sumptoq; de perduellib⁹ supplicio, Teuffenpachium, qui iam sibi magnam prudentiæ, fortitudinis, solertiæ, dexteritatis existimationem pepererat, Antonio Verantio tum temporis Agriensi præsuli collegam adiunxit, & Byzantium ad Sclymum II. Othomanum ex comitijs Posoniensibus ablegauit. Anno M. D. LXVIII. Hadrianopoli communi opera octennales inducias pepigit: Ex Thracia reuerso Maximilianus II. mille equitum Tribunatum præter Balthei honorem contulit, & paulò post Sackmariensis præsidij præfectum constituit. Schuendio Iohanneq; Ruebero mortuis in bellico apud superiores Hungaros imperio successit. In qua generali præfectura quæ laude & memoria digna contra Turcas gesserit, inter multa tantum celebriora quædam & obitum eius præcedentia recensebo. Anno quidem M. D. XCIII. decimo sexto Nouembris Teuffenpachius ad Cassouiam coacto exercitu Sabackam mouit, & hanc arcem omnium istius loci munitissimam obsedit, tribus partibus vehementer machinis verberauit, stratis muris expugnauit, pręsidiarios trucidauit omnes. Hac insigni victoria ab excursionibus & depopulationibus hostium illa ditio reddita est tutior. Capta Sabacka, magna vsus celeritate exercitum abduxit, castraq; ad firmissimã vrbem & arcẽ Filekium locauit. Postridie admotis machinis Teuffenpachius sine intermissione muros portasq; quassauit. Sangiackus se viribus Christianorum imparem cognoscens, cũ paucis militibus noctu clam egressus vicinis Turcis Christianorum aduentum numerumq; ipsemet nunciauit, & consilia cum ijs inijt de illis inuadendis. Bassa Temesuariensis, ac Giulæ & Hatuani Sangiakbegi defensionem Fileckii susceperunt, qui coniunctis octodecim millibus equitum & peditum cũ multo bellico apparatu & tormentis in Christianos profecti duobus miliaribus á Fileckio cõsederunt. Teuffenpachi⁹ de aduentu hostium certior factus, delectu militum habito, & consociatis propinquorum munimentorũ præsidiarijs, in Turcas perrexit, eos impetu adortus statim in ipso pugnæ initio fudit fugauitq;, ac sex millia Turcarum in acie & fuga cæsi, Bassa Temesuariensis, & Fileckij Sangiakus cum alijs plurimis nõ infimi nominis Turcis inter trucidatos reperti. Fileckio postea arctius, quã anteà, obsesso, misit tres Tubicines, qui deditionem promissa gratia postularent, qua à Turcis detrectata, mœnia & propugnacula indesinenti tormentorum verberatione diruit, ac patefacto aditu vicesimo quarto Nouembris suburbium primûm, deindè vrbem vno impetu expugnauit. Eodem die arcem quoq; exteriorem, in qua Sangiakus suas habuit ędes, occupauit. Vicesimo septimo Nouembris interior etiam arx obsessa, & sequenti die deditione recepta. Teuffenpachius cũ suis arcem ingressus confestim in genua procubuit, ac Deo omnis victoriæ largitori gratias egit, cùm ob hostes deuictos, locumq; munitissimum recuperatum, tùm maximè ob tot Christianorum millia à Turcarum tyrannide liberata. Postq; euersa & collapsa restaurâsset cum socijs & milite equestri pedestriq; circiter vicies milleno Sodocham petiit, & cognito in itinere Turcas Duinenses & Hamekienses metu perculsos stationes suas deseruisse, missis aliquot cohortibus & turmis eas occupauit, ipse cum reliquo exercitu in agrum Setschiniensem delatus est. Setschinienses Turcæ ad hostis conspectum subdito puluere nitrato arcem incenderunt, & fuga se proripuerunt, Teuffenpachius relicto Setschinij sufficienti præsidio victoriam prosecutus, Plauenstainium adijt. Oppidani trepidantes illud incenderunt, & intempesta nocte fuga sibi consuluerunt. Quod exemplum Salecienses, Dregeliani, & Palenkenses secuti sunt. Jlla loca Teuffenpachius opere & præsidijs firmauit. His prosperis euentibus successit anno M. D. XCIIII. Hattuanij obsidio. Obsessi à Budensii Bassa suppetias flagitauerunt, qui confestim exercitum decem milliũ selectissimorum militum illuc expedijt. Hi ob Christianorum ora Cis interfluentem amnem castramentati sunt, eo consilio, vt traiecto fluuio Christianos eminus adorirentur & obsessos liberarent. Explorato Turcarum animo, Teuffenpachius illis instructa acie obuiam progressus nõ mediocri difficultate flumen transmisit, & hostiles copias assecutus omnem tormentorum vim in hostem contorsit. Turbatis hostium ordinibus magna alacritate eos inuasit pugnatum est acriter. Christiani vincentes obuios quosq; Turcas ceciderunt. Tandem fortissimis quibusq; amissis Turcæ se in fugam effuderunt. Fugientes cum sex Germanorum & Vngarorum millibus persecutus Teuffenpachius quotquot assequi potuit, medio Budenij itinere trucidauit. Teuffenpachius omnibus hostilibus machinis & septendecim signis Iasparino arce à Turcis metu consternatis deserta potitus est. Tunc vltimum Heroicorũ facinorum, illa fuit virtutis suæ testificatio, quam edidit in Agriensis prælij & victoriæ auspicio, culpa corrupto. Deindè annis grauis, & belli laboribus defessus conquieuit, & vitæ militariq; imperio mors finem attulit.



IACOBVS AB EMBS.

IACOBVS AB EMBS ex vetuſta & equeſtri Alto-Embſiorum familia clariſsimum ab excellenti virtute & rei militaris peritia heroem tabella hæc exprimit. Hic egregia domeſtici ſplendoris decora vt minimè interrupto ordine ad poſteros auctiora cumulatioraq; tranſmitteret, ſuauem illum ſolidæ gloriæ fructum ſibi omnem à Marte petendum, atq; à ſolis rebus bello præclarè geſtis decerpendum ſtatuit. Eo, quod in Italia ruptis inter Iulium Secundum Pontificem, & Ludouicum Duodecimum Gallorum Regem, maximè funeſtum exarſit bello, Gaſtone Foiſſeio Nemurſij Comite Gallicarum copiarum Duce, octo peditum Germanorum millibus à Gallo præficitur Quo quidem munere (vti ex ſequentibus paret) ſtrenuè admodum, ac planè vti virum fortem decuit, perfunctus eſt. Namq; cum Heluetij, qui à Pontificis parribus ſtabant, ad ſecundum vſq; à Mediolano lapidem cum vniuerſis copijs progreſsi, agrum Inſubrum infeſta populatione, flamma ferroq; deuaſtarent: & Dux Gallus conuocatis vndiq; copijs eorum violentiæ reſiſteret, atq; quos à caſtris aut prædæ ſpes, aut frumentandi lignandiue longius abiunxiſſet deſiderium, circumfuſo equitatu interciperet: aduolantibus tandem Molardo cum Vaſconib⁹, & cum Germanis peditibus Embſio, eos ſemel atq; iterum ita repreſsit, vt arrepta fuga ad agrum Sebuſianum ſeſe recipere cogerentur. Bononia tandem ampliſsima vrbs, quam Galli Duce Triuultio non ita pridem profligatis Pontificijs, atq; arce, quam iſthic munitiſsimam Iulius Pontifex extruxerat, funditus diruta, Bentiuolijs reſtituerant, eodem impetu ijſdemq; copijs ab Hiſpanorum Pontificiorumq; oppugnantium vi metuq; liberata eſt. Quam verò vtrobiq; præclare cum ſuis ſeſe geſſerit Iacobus noſter, ſtatim abundè teſtatum redditum eſt: quos enim Alegria clariſsimo Gallici præſidij Duce Bononia ægrè ſuſtinuerat hoſtes, propugnante cùm ſuis Germanis Iacobo (tantum huius virtuti tribuebat) conſtanter opperiri deniuò fortunam periclitaturos decreuerat. Ideoq; vt is cum ſuis vrbi præſidio relinqueretur à Foiſſeio vehementer flagitatum eſt. Verum quod & is ipſe exploratam penè rei aduerſus Venetos, qui Brixiam proditione receperant, benè gerendæ ſpem in Germanis, eorumq; præfecto Iacobo nõ minus reponeret, de relicto iam vrbi Bononienſi quatuor mille peditum, & Ducentorum quinquaginta equitum præſidio nihil immutare voluit. Neq; verò etiam eum concepta de Germanis opinio quicquam fefellit. Iis enim cũ cætero exercitu ſecum raptatis, incredibili celeritate, & ex itinere Paulum Baleonium impigrum Ducem, quem ad expugnãdam Brixiæ arcem, quam præſidiarij Galli retinuerant, Veneti tribus cum peditum millibus, & centum grauis armaturæ equitum ala miſerant, in nobiliſsimi ruris loco, qui Iſola della Scala dicitur, propè Atheſim fuſò fugatoq; exercitu eius adeò profligauit, vt ipſe Dux fluuio nando traiecto ex fuga vix ſeruatus ſit: & Brixiam Andrea Gritto, qui poſtea Venetiarũ Dux fuit, & Antonio Iuſtiniano, qui præturam iſthic Veneto nomine triduò geſſerat, captis, recuperarit. Indè Foiſſeius cum Embſio vndè venerat rediens, Rhauennam, vt eius campos inſigni ac memorabili victoria, ſed longè funeſtiore ex interitu ſuo clade nobilitaret, delat⁹ eſt. Libet verò hic adijcere verba, quæ paulò antè prælium ad Rhauennam cõmiſſum inter Foiſſeium, & Raymundũ Cardoniũ Neapolis Proregẽ Gallici, Hiſpaniciq; exercitus Duces interceſſerunt. Data enim vtrinq; accepraq; fide, cũ in campo conueniſſent, ad Cardoniũ Proregẽ Foiſſeius, Domine, inquit, quid me vis? Tu verò ait ille, tibi quid placer? Aſt ego vocatus huc acceſsi reſpondet Foiſſeius: tuum igitur eſt, vt quid velis ediſſeras. Nunquid igitur hodie, quærit Prorex, pugnabimus? Iſtud verò, perplacet reddit iſte: & anne hoc inquit, apud vos certo decretum eſt? Imovero. reſpondet alter decretum eſt: moxq; confractis, quos feciales geſtabant albis bacillis vtrinq; diſceſſum eſt. Reuerſus ad ſuos Foiſſeius, Embſiũ in cuius virtute fortitudineq; plurimum confidebat, vt ad ſtrenuè pugnandum milites ſuos animaret, hortatus eſt. Quod quidem & ab eo verbis: & à milite Duceq; facto & re ipſa ea fide præſtitum eſt, vt poſt pugnam horis aliquot inuicta vtrinq; virtute conſtantiſsimè pugnatam, iſtorum tandẽ opera, & Embſij præcipue virtute, vel hoſte ipſo Hiſpano, ſe præter Germanorum robur nihil quicquam formidaſſe profeſſo, Gaſto ingenti victoria potiretur. Verũ dum recipientes ſeſe hoſtes intemperantius perſequitur, circumuentus atq; interfectus, eã Gallis anteà nimio ſanguine emptam longè quam hoſtibus morte ſua luctuoſiorẽ reddidit. Præter verò quam plures, eosq; illuſtriores Gallicæ nobilitatis proceres, & pleroſq; ex Germanico peditatu Duces fortiſsimos etiam Embſius noſter in ipſo victoriæ partæ limine læthali vulnere proſtratus occubuit. Milites eius, qui prælio iſto longè omnium cruentiſsimo ſuperfuerunt, prædam, quã opiniam facere potuiſſent, excelſo animo generoſè contempſere. Cum inuitãtibus ad ſpolia legenda, & excurſiones faciendas, non pro lucro, ſed pro gloria ſeſe pugnaſſe, atq; ideò quæſtum minimè curare reſpondiſſent. Cadauer Embſij Mutinæ Cathedali Eccleſiæ illatum, atq; monumento eius marmoreo, quod illic extat, iſtud quod ſequitur Epitaphium inciſum eſt.

JACOBO AB EMBS NOBILI SVEVO CÆSAREO DAPIFERO GERMANI PEDITATVS IN JTALIA GALLICO GENERALI CAPITANEO, POST MVLTAS VICTORIAS IN CONFLICTV RAVENNATI EXTINCTO. BVRCHARDVS FRATER PIENTISS: POS: XVIII. MAII. M. D. XII. EO TEMPORE DOMINI DAVIDIS DE FVRST SVEVI MVTINÆ CÆSI LOCVM TENENS.



CINCIVS
CAPISVCHIVS.

CINCIVS Capiſuchius Romanus Aemilij filius, Petri Ludouici nepos, anno ſalutis Milleſimo Quingenteſimo Viceſimo quinto partu editus. Pubeſcente iuuenta cum auxiliaribus copiis à Paulo tertio Pontifice Maximo Carolo Quinto Romanorum Imperatori in Germaniam miſſis ſtrenuam operam nauauit. Quo bello confecto, inimicitiæ ei interceſſerunt cum Iulio Biſcialara Viterbienſi peditum Duce, ſingulari certamini dies indictus, hoſte pugnam detrectante victor iudicatur. Sed Biſcialara dedecore motus, coniuratorum manu Cincium adoritur, à quo tamen interfectus eſt, ſiccarijs partim ſaucijs ac fuſis, partim in carcerem coniectis. Pauli Quarti Pontificatu peditum præfectus decernitur in bello Campaniæ, quod munus etiam Flaminius Caſa nobilis Florentinus ſuſtinebat. Exorto inter ipſos diſſidio, ac libellis hinc indè acceptis, ad ſingulare certamen deuentum eſt, hoſtis armorum electionem ſortitus, Cincius in dextero latere cæſus, aduerſarium multis confodit vulneribus, in arena extinctum relinquens victoria potitus eſt. Poſtea Pius Quartus Pontifex eum cuſtodiæ addixit, ſed Cincius lictorum conatus in eo apprehendo animoſè repulit, vt omnium admiratione incolumis euaſerit. Quod tamen factum Pontifex quia Cincius fortiter ſe geſſiſſet non egrè tulit, imò ex virtute egregij viri allectus, eum in Picentes ad ſeditiones ſedandas miſit, quibus præſertim Aſculani ardebant, quorum vrbem perduelles penè exciderant. Eò profectus Cincius adminiſtrationem ſuſcepit, milites conſcripſit, & paucis menſibus prouinciam pacatam reddidit. Quare Pontifex eum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Caſtrorum præfectum perpetuum creauit. Cum verò Pius Quintus Pontifex bello poſt hominum memoriam grauiſſimo ſuſcepto coniunctis claſſibus fœderati Turcas ad Echinadas cecidiſſent, inibi eodem magiſtratu functus eſt. Gregorio Decimotertio Pontificatum capeſſente idem munus obiit. Cuius infracti animi fortitudinem, præaltum ingenium graui temperantia temperatum laudarunt omnes. Exceſſit è vita Decimotertio Calendas Auguſti anno Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo quinto, Annum Quinquageſimum agens.



CHRISTOPHORVS MONDRAGONIVS.

CHRISTOPHORVM hunc Mondragonium humili admodum loco in Hiſpania Medinæ Campi natum in ſplendidum iſthunc clariſsimorum herôum cætum ipſius excelſa virtus collocauit. Vix ephebis egreſſus victrices aquilas in Italiam primò, atq; indè ad Guletæ Tunetiq; expugnationem in Africam ſecutus, à Vaſtio exercitus Imperatore auctiori ſtipendio virtutis ergò meruit. Bello deindè quod Smalcaldicum vocant ſub Albę Ducis legione vexillarius, pręlio quo Elector xo captus eſt interfuit. Poſt Mediomatricenſem expeditionem in Belgium profectus, cum Heſdino recepto mille equites Gallos agrum Duacenſem cui vrbi præſidio cum ſuis erat inueſtare didiciſſet, eos non plus quingentis equitibus ſtipatus præda recepta inſigni ſtrage data reiecit. Louanium poſteà ab Auraico tentatū legione ſua, q̃ Albani iuſſu in agro Leodienſi conſcripſerat, periculo liberauit. Gouda Zelandię ab Auraico vndiquaq; obſeſſa cum hinc aditus maritimi oẽs ab hoſte; illinc terreſtres ab aquis ſtagnantibus præpediti eſſent: ipſe Mondragonius cum Valone Germanoq; ſuo milite, atq; aliquot Hiſpanis forti auſu è longiſsimo illo atq; cænoſo tractu ſupra q̃ credi poterat quinq; horarū ſpatio feliciſsimè eluctatus, hoſtiū nihil tale opinantiū tribus millib⁹ cæſis, cæteris in fugā actis, oẽm eorū apparatū tormentariū nact⁹ eſt. Cum poſt infelicē Regiorū ad Alcmariū naualē pugnā quidā hoſtiū Middelburgio inſidiarentur, iamq; ſcalis admotis tantum non vrbe potirentur: Mondragonius præfectus pari felicitate proturbatis reiectisq; hoſtibus ſubuenit. Longa tamen obſidione ad extremam omnis commeatus inopiam redact⁹, Auraico vrbem ceſsit. Ea expeditione, qua Ludouico & Henrico Naſſouiis fratribus & Chriſtophoro Palatino comite primo repulſis: indè ad Moukenſes campos atrociſsimo prælio cum maxima militum parte, atq; inſigniori tribuno, centurione, eq; potiori nobilitate præcipuò quoq; cæſis cum Sancio Dauila celeberrimam victoriam conſecutus eſt. Zelandos foſſarum & lacunarum altitudine cænoq; ſecuros exercitu per brachium maris (quod vocant:) perq; Sanctæ Annæ, & Philippi inſulas in Duuelandiam inſperato ſucceſſu ſine nauibus traiecto, mirabili dexteritate eluſit: nihil expectante, præſidio propugnaculum Bommeneum expugnauit: Caſtris in ipſo penè alluentis refluentisq; maris æſtu ad vrbem Zicizeam poſitis, cum hoſte pariter, & extrema cæli inclementia tota hyeme fortiter patienterq; luctatus, ea tandem labefactis penè hac ſua victoria Holandorum Zelandorumq; rebus potitus eſt. Coniectis in fugam hoſtibus, atq; tormentis impedimentisq; omnibus receptis Namurcum Ruremondamq; obſidione citius liberauit, quam aduenire in hoſtium caſtris nunciaretur. Vti pariter in conflictu illo à cæſo ad Gemblacum hoſtium exercitu, delectisq; à bis mille tantum regiis equitibus decem peditum millibus atque equitibus compluribus, admodum nobili, ſummæ fortitudinis peritiæq; militaris documenta dedit. Eadem virtute communicatis cum Octauio Gonzaga laboribus arcem Karpenam vnius noctis ſpatio expugnauit. Parmenſe Duce Traiectum; indeq; Tornacum; & Audenardam poſtea, Dum Kerkamq; Montes D. Winoci, VVeſterlocumq; obſidēte, oppugnante, recipienteq; Mondragonius vbiq; fortem fidelemq; operam nauauit. Quam eandem longè maximam ad obſeſſam Antuerpiam exhibuit. Holachium Comitem, Iſelſteiniumq; qui triginta cum nauibus Parmenſis & in Scelda fluuio extructis operibus deſpectis, ad aggerē Couenſteinium illum perſoratum appulerant, cōſerta manu repulit, naues aliquot tormentis depreſsit, aliquot easq; maiores æſtu deſtitutas cepit. Belgici exercitus gubernatio ipſi Mondragonio Parmenſi adferendum catholicis ſubſidium in Galliam profecto commendata fuit, quod non niſi ſummæ virtutis fideiq; teſtimonium eſſe poterat certiſsimum. Parmenſi è viuis ſublato Mondragonius exigua militum manu VVeſterloenſe propugnaculum fortiſsimum, & Bergenſem Tournhoutenſemq; munitiones non contemnendas in poteſtatem redegit. Nec minus celebris planeq; glorioſa fuit expeditio illa, quæ contra Mauritium Naſſouium ſuſcepta Mondragonij vltima fuit. Cum enim is Naſſouius inſtructiſsima claſſe VVahalim Rhenumq; ingreſſus, Syluamq;, Ducis niſi Mondragonius maturatò occurriſſet, obſeſſurus: magna indè celeritate per Iſelam foſſasq; Druſianas delapſus ad Grollam hæreret: traducto per Lippam fluuium exercitu eum hoſti metum incuſsit, vt relicto penè omni commeatu ab obſidione noctu diſceſſerit. Ea ſoluta cum caſtra intra Lippam & Dinſlakenſem præfecturam haberet: Mauritiusq; eum propius admoto exercitu, ne denuo Rhenum traijceret, diſtinere vellet: accidit, vt Philippus Naſſouius cum quingentis equitibus à Mauritio, quę hoſtium vires, qui conatus, quæ diſciplina militaris eſſet, exploratum miſſus, ab octodecim Hiſpanis pabulatum egreſsis detegeretur. Qui id in caſtra nunciantes, lectiſsimorum equitum cohortes vt in hoſtem mitterentur effecerunt. Verum ij ab hoſtibus alacriter excepti, victi, cæſiq; ſunt. Aſt dum prædando moras longiores necterent, maioribus Mondragonij copiis denuò oppreſsi, recrudeſcenteque pugna internecione deleti ſunt. Perpetuus iſte victoriarum pariter & excellentis ſuæ virtutis tenor à grariſsimo Rege, eiúſq; in Belgio gubernatoribus probè poſteà remuneratus eſt. Atque ita Antuerpiam reuertus innumeris propè victoriis clarus diem ſuam extremam obiit, Anno M. D. CVI. ætatis ſuæ LXXXVI. in Sacello quod ipſe in Antuerpiana arce cuius præfectus fuit extrui curauerat tumulatus.



IACOBVS
HANNIBAL COMES AB ALTO AMISO.

IACOBVS Hannibal Comes ab Alto Amiso, & Galerata Wolfgangi ex Clara Mediceæ filius, nono ætatis anno patre orbatus sub tutela auunculi Ioannis Iacobi Medicæi Marchionis Meliniani, nostro æuo famigeratissimi ducis liberaliter educatus, optimisq; præceptis miliraribus imbutus, Carolo Quinto Cæsari sub eodem in bello Germanico contra protestantes Germaniæ Principes operam nauauit, primamq; militiam exercuit. Recuperationi Constantiensis ciuitatis, quæ Heluetiis se adiungere volens rebellionem moliebatur, sub Nicolao Polvvilero nomine Ferdinandi Rom. Regis exercitus imperatore interfuit. In Parmensi expeditione vnius signi præfectus, primos ordines duxit, paulò pòst secundum signum adeptus vtriq; quinquennium præfuit. In bello Senensi Ioanni Baptistæ Comiti ab Arco, legionem militum ducenti legarus adfuit. In Belgium posteà profectus à Phillipo Hispaniarum Rege qui tum Durlanum in Picardia obsidebat, honoratissimo stidendio conductus eidem legionem militum Germanorum adduxit, cum qua in tota illa expedirione contra Henricum Galliarum Regem laudabiliter perseuerans Regi Carholico charissimus esse cepit, liberalitatem Regiam muneribus immensis expertus est. A Ferdinando Imperatore pro se & hæredibus suis Comitatus titulum & dignitatem accepit In Hispaniam Pio Quarto Pontifice missus triennium ibidem in maximo honore habitus, & numero Magnatum adscriptus permansit. Anno Sexagesimo quarto iussu Philippi Regis cum legione militum sub Garriæ Toletani Classis supremi præfecti auspiciis in Africam profectus, Pinorium munitissimam arcem mari circumfluam (ex qua quia in freti Herculei aram & Hispaniam facilima impressio esset, Christianis maxima damna inferebantur) obsessam & tormentis verberatam expugnauit, ciuitatemq; Pellinam, quam hostes metu perculsi dereliquerant, funditus demolitus est. Eo bello finiro in Hispaniam reuersus, à Rege pro se & hæredibus suis trium millium ducatorum annuorum pensionem obtinuit. Inde Romam profectus à Pontifice consentiente vniuerso purpuratorum senatu totius Romanæ militiæ summus dux inauguratus est. Turca numerosissima classe Italiã infestanre, iamq; Melitem Insulam cum ciuitate obsidente, sedis Apostolicæ nomine conducto milite, & dispositis præsidijs maritima loca tutatus est. Mortuo Pio Quarto Pio Quinto Pontifice succedente ab eodem in summa militum status Ecclesiastici præfectura confirmatus est. Anno Sexagesimo sexto cum legione militum in Regnum Neapolitanum profectus, in eo & Apulia maritimas ciuitates Manfredoniam, Barletam, Carnium, Bisslegium, & Barrum contra Turcarum vim defendit. In Germaniam reuersus, aliquot locorum vtpote Brigantij, Veldkirchij & Hocheneggi præfecturas à Serenissimo Ferdinando Archiduce Austriæ consecutus est. Anno LXXIIII. tertium à Rege Hispaniarum vocatus exercitum quatuor millium in Belgium ducturus in itinere propè Taliernas Alsatiæ paucis comitantib⁹ ab hoste circumuentus acceptis duobus vulneribus fortiter se contra sexcentos defendens per medios hostes saluus euasit. Sanitati autem restitutus perrexit, in Traiectensi agro castra posuit, à commendatore Maiore Castiliæ Ludouico Requesensio Belgij gubernatore ascitus relicto milite, Bruxellas venit, indè post habitum de bello gerendo consilium ad exercitum suum rediturus in itinere rursus ab hoste in brachio & latere sinistro glande vulneratus, ad suos tandem perueniens, exercitum qui quindecim signis constabat in Brabantiam duxit, quorum quatuor in ciuitate Antuerpiensi, quinq; in diuersa præsidia distribuit, sex reliqua in castra quæ tum in obsidione Bomelensi posita erant transmisit. Præcipua loca præcipuè Antuerpiam singulari vigilantia atq; industria contra Auraici Principis & Gallorum machinationes Regi conseruauit. Post mortem Requesensij. Anno Septuagesimo septimo denuò in Hispaniam euocatus Regem de statu Belgij edocuit, & ab ipso Comitatum Galeratensem in Mediolanensi Principatu ob fidelem in varijs expedirionibus bellicis nauaram operam pro se & hæredibus suæ prosapiæ in perpetuum obtinuit. Sequenti anno Ioannis Austriaci qui Requesensio successerat postulatu legionem viginti signorum in Comitatum Burgundiæ contra Gallos duxit, qui de eius aduentu certiores facti relictis locis quæ anteà occupauerant, in Galliam recesserunt. Indè post obitum Austriaci in Belgium ad Parmensem Belgicarum Prouinciarum gubernatorem cum suo milite mouens, iussu eius VVerdam fortissimum hostis propugnaculum post arctissimam obsidionem deditione in potestatem quidem redegit, præsidiarij tamen cum eorum præfecto, quia anteà oblatas æquiores conditiones contumaciter detrectâssent, ex mandato Parmensis omnes occisi. Postrema eius cum eodem Parmensi fuit expeditio Traiectensis ad Mosam, in qua eius singularis virtus & magnanimitas prudentibus consiliis & fortibus factis reluxit Commilitones suos in maximis periculis nunquam deseruit, labore & vigilia semper infractus. Patriæ restitutus in ea reliquum vitæ tempus quietè traduxit. Tandem tot bellorum laboribus exantlatis & muneribus militaribus cum laude administratis vigesima-sexta Decembris, Anno M. D. LXXXVII. in arce sua alti Amisij naturæ debitum exoluit.



MELCHIOR
MICHAEL VENETVS.

MELCHIOR Michael Auratæ militiæ Eques, Sacri Lateranenſis Palatij Comes, Diui Marci Procurator, ex præclara Venetiis Michaelium familia, in qua olim laudibus inſignes viri Viralis primus, Dominicus, & Vitalis ſecundus Ducali dignitate floruerunt, ortus. Hic propter ſpectaram fidem cum ſumma rerum gerendarum prudentia coniunctam per omnes quaſi Magiſtratus in patria decucurrit, in quibus ſuas partes pro Republica ſumma cum moderatione ſemper implens, perpetuo tenore gratioſus apud populum, maximèq; probatus apud proceres Senatus ſuit. Senator in collegio Sapientum, Præſes conſilij Decemviralis, Procurator monetæ, Inquiſitor ſecretorum, Aduocatus Reipublicæ, aliiſq; dignitatibus claruit. Nec minor eius virtus in terreſtribus & maritimis, tam ciuilibus quam militaribus rebus extra patriam adminiſtrandis extitit. Nimirum generalis Prouiſor Dalmatiæ, Aſcrinij, & Corcyræ, quemadmodum etiam gubernatio ciuitatum Brixienſis & Patauienſis ei commiſſa. Orator quoque ad Pium IIII. cum à purpuratorum Cardinalium Senatu in Summum Pontificem electus eſſet deſtinatus, ſuperindè propter morum grauitatem, indomitum præſtantis animi vigorem, & dexteritatem in explicandis negotiorum difficultatibus incomparabilem, vnanimi conſenſu ad Diui Marci Procuratoriam maximam poſt Ducalem dignitatem eſt euectus. Quanta autem eius fuerit in rebus gerendis prudentia, teſtis eſt Brixia, quæ in duas factiones Auogadram & Martinengam Principes in ea ciuitate familias diuiſa, ciuibus de potentia, dignitate, vitaq; dimicantibus in miſerrimo erat ſtatu. Ad hanc cum ampliſſima poteſtate miſſus Michael, prudentiſsimè factionum ferociam ita mitigauit, vt iracundi eorum animi ad colendę pacis ſtudium flecterentur. Hanc non minorem felicitatem, ciues Patauienſes experti ſunt, dum inter juuentutē diuerſarum nationum ingeniorumq; ſtudiorum gratia confluentem iuſtiſsimè illam vrbem gubernaret. Sponte ab vniuerſo Senatu Veneto in Aſcrinij Procuratorē creatus, eam dignitatem primum ſuſcipere modeſtè renuit, Gritto autem tum temporis Duce interpellante & rogante, quod ea ciuitas ſine ipſius præſentia nec rectè muniri, nec contra hoſtem defendi poſſet, tandem conſenſit, ea tamen conditione, vt poſt certum tempus ei in patriam redire liceret, atq; ei alius ſubſtitueretur. In Dalmatiam igitur profectus, omnibus quæ ad muniendum & defendendum Aſcrinium neceſſaria erant ritè procuratis, elapſo tempore ſibi a Senatu cōſtituto literis ad hunc de dimiſsione datis hanc impetrauit. Cum verò inopinatò rumores de Turcarum motu incaleſcerent, & ne metu licentiam redeundi Venetias, petiiſſe exiſtimaretur, quam celerrimè ſuis ſumptibus Hennioliam cum miniſtro ſuo expediuit, qui antequam Turcarum molitiones Venetiis innoteſcerent illuc appulit, & indè hero ſuo literas retulit. Michaelius igitur prudentiſsimè conſiderans, quantum Reipublicę Veneræ intereſſet ciuitatem Aſcrinienſem munitiſsimam conſeruari, eam contra Turcarum impreſsiones egregiè tutatus eſt. Reuerſus cum maxima feliciter fortiterq; geſtarum laude in patriam, fama & occaſione ſecuti belli Turcici Anno M. D. XXXIX. à Senatu Dalmatiæ militiæq; Legatus creatus eſt, quod munus etiam inuitus obiit, aſſerens non eſſe è Republica, ſe, qui non magnum in re militari vſum haberet, tot fortibus & claris in bello viris qui cum exercitu in ijs locis eſſent præfici, ſe nolle imperium cum odioſum, tum ſuis viribus maius ſuſcipere. Tandem Landi Ducis precationibus adductus rurſus in Dalmatiam perrexit, & ſecum illis ciuitatibus ſalutem, ciuibus ſolatium, & Regni conſeruationem attulit, quò vt primum aduenīſſet, res omnes in periculoſiſsimo ſtatu reperit. Erant enim ciuitatum populi propter Turcarum metum hinc indè diſperſi iam quoq; ciues Traunienſes, Sicenſes, & Spalatini de ſedibus relinquendis & fuga cogitabant, quemadmodum etiam Camillus Vrſinus, & Iulius Monteuechius inſignes Duces hoc idem ſuaſerunt, omneſq; vires ad defenſionem ſolius Iaderæ conuertendas eſſe. Michael autem illos Duces à tam calamitoſo conſilio cum auertere non poſſet, conuocato Magiſtratu & ciuibus Venetis Iaderæ tum degentibus, Duces hoſtis metu deſpondētes animos, & populos turpiſsimè de patria deſerenda cogitantes authoritate ſuæ grauiſsimæ orationis à fœdo propoſito generoſè diuertit, & in ſuam ſententiam, vt furori hoſtis obſiſterent pertraxit. Hoſtis autem poſtquam Michaelis Imperatoris, & Ducum pręſentis animi magnitudinem cognouiſſet, eo tempore bello abſtinuit. Sicinenſes, dum hæc agerentur cum omnibus familiis ſuis in Apuliam relicta ciuitate proficiſci conſtituerant, quos Michael cum eandem ſe cum ipſis contra hoſtem fortunam, experiri velle promitteret, laudibus eius pietatem extollentes ciues ne abirent animauit. Nonam ciuitatem propter hoſtium formidinem habitatoribus vacuam contra Murathem Agam celebrem in iis partibus præfectum eam in ſuam poteſtatē redigere machinabantem adductis ſecum aliquot equitum turmis & militum cohortibus Michaelius ab inimici inſidiis liberauit, totumq; illum tractum in Chriſtiana religione & Senatus fide ſeruauit His omnibus in Dalamatia glorioſè peractis, tandem Anno M. D. LVIII. Corcyræ Claſsis Mariſq; Imperator creatus eſt. Quæ verò tunc, & vbiq; aliàs præclarè geſſerit paucis complectar, vrbes muniuit, populos in officio & fide continuit, hoſtium impetum repreſsit, diligentiſsimè omnino Reipublicæ incolumitatem & dignitatem procurauit.



SFORTIA
PALLAVICINVS.

SFORTIA Pallauicinus Marchio Cortemaioris
ex antiquissima eademq; illustrissima Pallauicinorum
familia, vt quæ ab hinc ante octingentos floruerit, & tàm
bello quàm pace clarissimos duces virosq; protulerit, descen-
dit, inter quos recentiori memoria Ludouicus literarum armo-
rumq; peritissimus varijs legationibus ad diuersos Christianos principes obitis magnam no-
minis celebritatem sibi comparauit. Huius vestigia Vbertus, Vbertinus, Casparus, Rollandus
secuti summa cum laude enituerunt. Patrem habuit Manfredum, matrem verò ex illustrissima
Bentiuolorum, Bononiensium quondã Principum prosapia oriundam, Sanctij filiam, cum qua, Gal-
lis totam ferè Longobardiam occupantibus Mediolano discedens exul aliquandiu Tridenti vixit. Re-
cepto deinde per Carolum Quintum Mediolano cum matre in patriam remigrauit. A teneris annis puer
optimæ indolis ad literarum studia animum applicuit, in quibus breui temporis interuallo tantos fecit
progressus, vt & coætaneos suos facilè vinceret, & ij, sub quorum disciplina literis, moribusq; informabatur,
ingenij acumen, in disputando subtilitatem, argumentorumq; obiectorum expeditam solutionem summo-
perè admirarentur. Verum crescentibus annis animaduertens se non modò animi dotibus pulcherrimis, sed
& corporis validissimi, membrorumq; robore à supremo illo rerum largitore ornatum, literis nuncium mit-
tens ad ea, quæ Martis studium concernunt, omni industria, cura, & diligentia incubuit. Iuuenis adhuc in
ludicris militaribus tàm equestribus quàm pedestribus se quotidiè exercuit, & non obscura futuri summi
ducis indicia præbuit. Vicesimum annum nondum attingens patria discessit, aliquot socijs nobilibus comi-
tantibus sub Caroli Quinti Cæsaris auspicijs suis sumptibus prima militiæ tyrocinia posuit, & aliquot ex-
peditionibus interfuit. In his eam virtutis & fortitudinis militaris existimationem consecutus est, vt ab eo-
dem Imperatore ex priuato milite in militum præfectum electus, aliquot militares copias equestres pede-
stresq; duxerit. In Pedemontio sub Antonio Leua, cum hic Fossanum recuperaret, hoc defuncto, sub Vastio
Marchione militauit. Carolo Quinto in Flandria bellũ aduersus Gandauenses tumultuantes gerenti, quem-
admodum etiam postea aduersus Germaniæ protestantes Principes cum suis militibus adfuit. Anno Millesi-
mo Quingentesimo Quadragesimo secundo, cum in Comitijs Norinbergensibus expeditio in Vngariam
contra Turcam decreta esset, ac magnus vbiq; conscriberetur exercitus, Pallauicinus quoq; quingentos leuis
armaturæ, & sclopetarios equites centum Regi Ferdinando adduxit. In pugna ad Budam cum Turcis com-
missa animosissimi ducis militisq; officio functus est, ita, vt Ferdinandus Rex eum ex castris Viennam re-
deuntem honorificè susceptum in eorum procerum numerum, qui à cubiculis sunt, receperit, & eius opera
in militaribus consilijs vsus sit. Interfecto Petro Aloisio Parmensium duce in Italiam rediit, Farnesijs opem
tulit, & ab Octauio Farnesio legatus ad Carolum Imperatorem missus fuit. Expertus est etiam Strozza in
Senensi bello Pallauicini in dimicando fortitudinem, cuius cohortes, commisso ad Scriuium fluuium prælio,
& occisis quamplurimis in fugam compulit. A Paulo Tertio Pontifice conductus, castrorum Pontificiorum
supremus præfectus constitutus est. Eo mortuo Ferdinandum Romanorum Regem rursus adijt, à quo cum
exercitu in Transsyluaniam missus, Turcas Daciam deuastantes, & Lippam obsidentes cecidit, & obsidio-
nem & soluere coëgit. Georgium Verbetium Antistitem Varadinensem, qui se pro tutore pupilli à Iohanne
Vngariæ Rege relicti gerebat, & omnia pro suo nutu in Transsyluania administrabat, cum Turca collu-
dentem occidit. Cum verò nimia cupiditate incensus denuò hostem parua manu acrius aggrederetur, eo-
rum numero circumuentus, maiore parte suorum militum strata, captus & Constantinopolim ductus ad-
uersam fortunam patientissimè tulit. Ferdinandi Regis posteà liberalitate liberatus eum Mareschalcum
& Commissarium generalem omnium castellorum munitionumq; in Vngaria creauit. Cognita igitur iam
passim Pallauicini in rebus bellicis prudentia, & vigilantia, continuato Martis opere, summa militaris disci-
plinæ obseruatione, quam in omnibus expeditionibus seuerissimè tutatus est, qua etiam multas victorias re-
tulit, Venetus Senetus tantarum virtutum fama, & præstantia motus eum, postquam à Ferdinandi Regis
seruitijs liber in Italiam redijsset, ad suæ militiæ vsum euocandum duxit, statimque omnium pedestrium
copiarum præfectum generalem creauit, quo munere ad constitutum triennij tempus laudabiliter fun-
ctum vniuersi exercitus Veneti summum Imperatorem constituit. In qua dignitate qualem se præ-
stiterit, multis testificationibus clarum reddidit, præsertim in illa classica pugna cum Turca ad
Echinadas conserta, obtentaque celeberrima victoria, in qua sagacibus suis consiliis prudentia, &
opera immortale nomen sibi peperit. Exorto in Veneta ciuitate media nocte terribili incendio,
non solum vt flamma furens extingueretur, curauit, verum etiam sua authoritate, ne tumul-
tus (qui sæpe in huiusmodi casibus fieri solet) efferuesceret, diligẽtissimè cauit. Multas mu-
nitiones tâm in maritimis, quàm terrestribus Veneti Dominij locis partim nouas condi-
dit, partim restaurauit, quod Bergomum, Jadera, Creta, Cyprus, & Verona abundè
testantur. Deniq; præclaris titulis, & honoribus auctum, summam bellicæ vir-
tutis lauream adsecutum, laboribus confectum, febris inualescentis violen-
tia Cortemaiori, Anno Millesimo Quingentesimo Octuagesimo
quinto sustulit, vbi eius sepulchrum visitur.



AVGVSTINVS
BARBADICVS VENETVS.

HIs armis, trabea, & ſcipione conſpicuus Augu-
ſtinus Barbadicus, ex directa linea eorum ſuorum genti-
lium, qui Venetorum principum dignitate eminuerunt,
deſcendit. A primis iuuentutis ſuæ annis optimis literis, præ-
ſertim Iuris ciuilis, & philoſophiæ Ethicæ ſtudijs animum ad-
uertit, atq; eloquentiæ, aptiſsimo quippe ad regendos in Republica alios, & ſeipſum ad hono-
rum faſtigia prouehendum magna cura & opera incubuit, tantumq; in ea profecit, vt ſuo æuo
forſan paucos pares, aut etiam difficulter quemq; ſui ſimilem, ſi quidē vnus inuentus ſit, habuerit.
Largita eſt huic natura admirabilem prudentiam, & ſingularem conſtanriam, quam arte adeò ille au-
xit, & confirmauit, vt perpetua in eo mentis æquiras apparuerit, qua tàm aduerſa quàm proſpera tulit,
cum demonſtratione cordis inuicti, & animi nullis affectibus obnoxij. Perquam dextrè, & diligentiſsimè
negotia geſsit commiſſa, mira polluitq; inuentionum felicitate, atq; ſubtilitate. Has dotes comirabatur gra-
uitas elegantiſsimi ingenij ſuauitate mixta, paucis communis. Domi foriſque muneribus, & magiſtratibus
ſplēdidè ac ſolicitè, vt ſemper publico vſui inſeruiret, perfunct⁹ eſt. Legatiōes ampliſsimi honoris in Gallias
Hiſpaniasq; obijt. Forum Iulium Pataniumq; approbante Senatu, ab omnibus amarus, & laudatus guber-
nauit. Continuato in vtroq; ordine, quem collegium ſapientum nuncupant, multi temporis decurſu Rei-
publicæ clauo cum patribus conſcriptis aſſedit, qui eius opera, ſolertiæ, prudentiæ, fidei conſultiſsimi ſena-
toris confidentes, ſæpius vſi ſunt in confinium controuerſia cum Sereniſsimo Auſtriæ Archiduce Carolo
componenda. Decreuerat ei Senatus curationem vniuerſalem regni Cyprij. Aditionem iſtius varij caſus prę-
uerterunt. Ad idem munus in Creta obeundum deſignatum glorioſiſsima mors ilicò pòſt naualem victo-
riam præuenir. Cum verò Selymus Secundus veterem pacem perfidè abrupiſſer, & Venetis regni Cyprij
ceſsionem iniquiſsimè poſtulanti ryranno recuſantibus immani vi bellum intuliſſet, Senatus Hieronymum
Zenonem claſsi, quæ Cyprio ſuppetias ferret, præfecit, cui Hiſpana claſsis auxiliatrix ſexaginra triremium
cū nonnullis pontificijs, & Hetruſcis ſe coniunxit. Sed licet vel culpa, vel fatis aduerſantib⁹ euenerit, vt Tur-
cica claſsis abſq; vllo impedimento in Cyprum appulerit, & Nicoſia amiſſa ſit, claſſe Hiſpana ſubſidiaria in
Siciliam, & Venera in Corcyram reuerſa, Senatus miſſo decreto Auguſtino Barbadico iniunxir, vt Hierony-
mum Zenonem claſsis ſuæ præfectum omni imperio & authoritate exueret, compedes inijceret, & his illi-
gatum Venerias ad cauſam rei malè geſtæ dicendam deuehi iuberet, & huic Sebaſtianum Venerium tunc
Corcyræum prætorem ſurrogaret. Inito fædere de conſociandis claſsibus, & armis in Turcas vertendis inter
Pontificem, Hiſpaniarum Regem, & Venetos, hi memores meritorum Auguſtini Barbadici, & quod hic ſa-
pienria, forritudine, rerum maritimarum peritia, graui, acri & conſtanti in rebus iudicio, cum ſingulari vigi-
lantia, & prudentia coniuncto præſtantiſsimus eſſer, fidem ſuam, & in rebus gerendis promptitudinem, ac
ſtudium erga Reipublicæ incolumitatem & commodum declarâſſet, digniſsimum iudicârunt, quem in claſſe
ſua ad ſecundas imperatorij muneris partes adoptarent. Hic ergo Venerij legatus naualem diſciplinam me-
lius conſtituit, perperàm ordinatam correxit, milites inſtruxit, claſſem, cui de omnibus rebus neceſſariis pro-
uiderat, eduxit non minori prudentia quàm militari virtute. Inextricabiles ferè grauiſsimarum, quarum ad
publicam ſalutem permaximi retulit, cauſarū difficultates explicuit, & eas ſuis conſiliis & opera ſuperauit.
Quin etiam ſua authoritate, prudentia & interceſsione effecit, vt fœdus, ſimultate inter Ioannem Auſtrium
& Venerium orta in maximum diſſolutionis diſcrimen adductum, ſartum conſeruatum ſit, & ex illa diſſen-
ſione Chriſtiana Reſpublica nihil irreparabilis detrimenti acceperit. Cum autē huius ſal⁹ tota in victoria ex
fractis præpotentis hoſtis virib⁹ obtinenda conſiſteret, generoſi animi ardore ad prudenter & fœliciter pug-
nādum ferebatur. Idcirco author & ſuaſor extitit, vt nocte, quæ prælium præceſſit, claſſes portu ſoluerint, &
neutri, Chriſtianæ nimirum & Othomanicæ claſsi ad alterius frontem prouectæ amplius integrum fuerit
congreſſum declinare. In illo conflictu Barbadicus ſiniſtro cornu trium & quinquaginta triremium ſtre-
nui bellatoris, & magnanimi ducis officium compleuit ita, litori proximus, vt nihil aliud illi reliquum
eſſet, & concederetur, niſi aut honeſtiſsimè mori, aut glorioſè vincere. In ea acerrima dimicatione cum
mulras triremes deuiciſſet, dū imperaret, & militum animos hortando accenderet, adortę ſunt eū à pup-
pe aliquot hoſtilium rriremes. Obuerſo retrò vultu, vt periculum caueret, ſagitta in oculo transfixus
eſt, ex quo ictu vox illum aliquandiu defecit. Sed rediit illi fandi poteſtas, antequam è viuis decede-
ret, & percunctatus, vtra pars viciſſet, poſtquàm intellexiſſet. Chriſtianos ſuperiores eſſe, Turcicā
claſſem partim captam, partim depreſſam atque incenſam, illi etiam captiui adducti, & ſpolia
monſtrata eſſent, in immenſo vulneris lethalis dolore, propter optatum certæ glorioſæque vi-
ctoriæ euentum affarim gaudio recreatus eſt, maximas diuinæ Maieſtati victoriarum
largitrici egit, & lętiſsimus ex hac vita ad cœleſtem emigrauit, quamuis omnibus bonis
gementibus, & mœrenribus. Sic animā ſapientiſsimus, & fortiſsimus Dux, atque
impigerrimus miles animam Deo reddidit, laborum, periculorum, ſanguinis
fructus poſteris reliquit. Herôica autem eius virtus, conſtans in patriam
fides, vera in Deum pietas, & reliquæ innumeræ cùm animi, tùm
corporis dotes. quæ illum apud omnes clariſsimum, gratio-
ſumq; reddiderunt, perpetuo in hiſtoriarum mo-
numentis extabunt, & omnis poſteri-
tatis laudatione celebrabuntur.



CAMILLVS VRSINVS.

CAMILLVS Vrſinus de Lamentana dictus, ex vetuſtiſsima Romana familia oriundus, patrem habuit Paulum Tripaldæ Marchionem. Poſt cladem ad Lyrim acceptam, decem annos natus, Neapolim ductus, Regi propter morum ſuauitatem chatiſsimus fuit. Cum verò in iuuentute militaribus atmis ei ætati conuenientibus quotidiè ſe exercetet, iiſque delectaretur, militiam ſequendã ſibi propoſuit. Magiſtros verò habuit tres ea tempeſtate bellica laude eximios vitos. Nicolaum Vrſinum Comitem Petilianum, Bartholomæum Liuianum, & Iohannem Iacobum Ttiuultium, quorum præceptis, & exemplis inſtructus, ſortiſsimus, & prudentiſsimus miles euaſit, & bellicarum virtutum exemplum primũm, cum Cadorum expugnaretur, inſigne demonſtrauit. A Ludouico Duodecimo Gallorum Rege in bello Neapolitano conductus, copiis Gallicis cum impetij anthoritate præfectus fuit. A Leone Decimo Summo Pontifice, equitatus leuis armaturæ dux Florentinis in auxilium miſſus eſt. Cum idem Pontifex poſt Baleonum in Hadriani mole ſecuri petcuſſum, qui ſocer Camilli etat, de Peruſinæ iuriſdictionis occupatione, excluſis Baleonis, ad quos ea hæreditas ſpectabat, cogitaret, Camillus, recuſatis ampliſsimis honoribus, & ſuprema Pontificij equitatus præfectura, vxoris partes, & Balinorum iura in ditione Peruſina tutanda ſuſcipere animum induxit. Iram itaq; Pontificis ſugiens ad Carolum Quintum Cæſarem in Belgium ſe contulit. Pontifex eius diſceſſum indignè ſerens, omnibus poſſeſsionibus eum ſpoliauit, iiſdem Robettum Vtſinum, Atchiepiſcopum Rhegienſem, inaugurans. Mottuo Leone Pontifice, durante intertegno & Camillo in Italiam reuetſo, Cardinalium collegium illum timens, copiarum ſuatum ducem Agnolum, vt illius progreſſus impeditet, obuiam miſit. Camillus autem ducentis ſolummodò peditibus, & ſexaginta equitibus ſtipatus, Agnolo, qui exercitum quatuot millium peditum ducebat, congreſſus cum ad Sanctum Geminium cecidit, & profligauit, Baleonosq; ſua virtute ſingulati ſinceritatis fide in patriam reſtituit. Eo tempore, quo Veneti Carolo Quinto Impetatori fædere coniuncti aduetſus Franciſcum primum Valeſium Gallorum Regem, arma ſumpſetunt, Camillus copiarum Venetarũ ſummus dux declatatus Gallorum conatibus ſottiter ſe oppoſuit, vbi inter primos pugnans duabus plumbeis glandibus lethaliter vulneratus magnam hoſtium ſtragem edidit, ablatisq; tormentis bellicis Gatlaſcum oppidum occupauit. Veneti poſtea ob nimiam Caroli Cæſatis potentiam ſuſpicione inuoluti, vt rebus ſuis cautius conſulerent, Camillum cum tribus millibus peditum, quadringentis leuis atmaturæ equitibus, & ducentis cataphractis Betgomum mittentes eiuſdem gubetnatorem, & ſi Imperiales aliquid aduerſi molitentur, illarum partium deſenſorem conſtituerunt, quod munus egtegia fide, & ſortitudine executus eſt, Bello Neapolitano cum Lotrechius ſummus Gallici exercitus Imperatot nomine Regis ſuis Venetotum auxilia imploraret, Camillus â Senatu Veneto cum exetcitu miſſus, vbi Popolim, & ad Tutrem Maiorem perueniſſet, tumultuantem, & ſurore percitum militem, qui Ludouicum Piſanum, & Iohanem Veturium Venetotum Legatos comptehendere volebat, compeſcuit. Manſredoniam obſidens, expugnationis optima iam ſpe concepta, cum nuncium de cæſo ad Neapolim Gallico exetcitu accepiſſet, Tranum, Barlettam, & Monopolim contra Vaſtium Cæſaris belli ducem ſttenuè deſendit. Facta pace inter Cæſatem, & Franciſcum Regem, Venetias rediit. Exorto bello inter Venetos & Turcam, ad Dalmatiæ gubetnationem miſſus, Iaderam aduetſus Turcarum imptesſiones opetibus firmauit, hoſtilemque equitatum noui inſttumenti cuiuſdam inuentione, quod in via hinc inde ſparſerat, ſunditus deleuit, ac vlteriotes excurſiones ad Oſttouiziam, & Obroazium teptesſit. Dalmatiæ rebus compoſitis, Romam ſe conſerte volentem Veneti, ne tanto viro, bellicarum rerum experientiſsimo & in atmis exercitatiſsimo deſtituerentur, aucto multotum aureorum annuo ſtipendio eum ab inſtituto reuocârunt & Veronenſis ciuitatis gubernatotem eum declarârunt. Quo munere ad conſtitutum tempus deſunctus, ad Herculem Fertariæ Ducem ſe contulit, qui eius conſilio in grauiſsimis negotijs vſus eſt. Cum Carolus Quintus & Henricus ſecundus Galliarum Rex diuturnum inter ſe bellum gererent, & ſuas vterq; vires in Italia augere contendetent, Camillus Parmenſem ciuitatem ſub obitum Pauli Tertij Pontificis ita tutatus eſt, ne vel in huius, vel illius poteſtatem redigeretur. Sub Iulio item Tertio contra indeſeſſos Petri Toletani proregis Neapolitani conatus patriã ſttenuè deſendit. Deinde in eo bello, quod Philippo Hiſpaniarum Regi cum Paulo Quarto intercedebat, Ferdinandi Ducis Albani minis & machinationibus ſe opponens tem eò deduxit, vt pax certis conditionibus conficeretur, & Albanus ab vrbe Roma, cui imminete videbatur, retroceſſerit, His ipſius meritis motus Pontiſex eum omnium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ciuitatum præſectum generalem creauit, & ob iuſtitiam incottupto animo adminiſtratam publicæ tranquillitatis authorem, ipſiusq; Romæ, atq; adeò totius Eccleſię deſenſorem eximio titulo appellandum cenſuit. Ea ſuit in hoc vito motum elegantia, & expediendotum conſiliotum dexteritas, eâ heroica grauitate condita comitas, & ſumma in adducendis hominum quocunq; veller, animis ſacundia, vt omnes eum ſingulari non minus reuerentia, quam amote proſequetentur. Mortuus eſt circa annum ab orbe redempto M. D. L. cum vixiſſet annos ſeptuaginta. Cohoneſtatus eſt à Pontifice gratiſsimo in teſtimoniũ ſuę fidelitatis, virtutisq; ſplendida ſunebri pompa, ad Sanctum Saluatorẽ deportatus, ibidemq; ſepultus.



ASCANIVS
CORNEVS.

ASCANIVS Corneus Francisci filius, maximi dux animi, optimique consilij, in prima iuuentute, cum Genua expugnaretur, super murum, quem primus cōscenderat, signum locauit. Alterum oculum ad Casale in Insubribus, dum cedentibus socijs ingentem procellam hostium penè solus sustineret, amisit. Petro Strozzio è media inimicorum acie ad Montem Murlium euadenti comitē se addidit nō minus fide, quàm fortitudine, singulari. In Actiaco nauali prælio, cum ordinē duceret, aduersante fortuna, se ad Castrum Nouum in Dalmatis se cōuertit, & acerrima minus trium horarum oppugnatione cepit. Ianninum Tadęum ex prouocatione, rara admodum victoria, illęsus tertio ictu interfecit. Durante interregno Iulij Tertij Pontificis tempore, seditiones in Piceno erumpentes, oppressit. Ab eodem Pontifice auunculo suo Prætorio præfectus fuit. Montem Bellum in Flaminia validum muris, situq; ipso munitissimum antè redire ad Pontificem coëgit, quàm credebatur obsedisse. Cum Senenses in factiones diuisi, quibus Carolus Quintus Imperator Diegum Mendozium præfecerat, propter rigidiorem ipsius administrationem tumultuarentur, iamque castellum in medio ciuitatis ad compescendas seditiones à Cæsarianis extructum expugnâssent, & clanculum sub specie conseruandæ libertatis Galliç Regis Henrici patrocinium recepissent, Mendozius, qui tum Romę erat, per Cosmum Florentinum Ducem, cuius maximè intererat Senensem ciuitatem in obedientia conseruare, de omnibus rebus certior factus, vt periculis tempestiuè remedium poneret, quamprimum Senas profectus est, Ascanium Corneum, qui iam à Galliæ rege defecerat, secū adduxit, qui in Perusino territorio exercitum duorum millium & quingentorum peditum conscripsit, & à Garzia Toletano, Neapolitano prorege, qui cum exercitu iussu Caroli Quinti Cæsaris in Hetruriam ad comprimendos conatus Senensium proficiscebatur vniuerso peditatui præfectus est. Coniunctis exercitibus, multa castella ad montem Pulcianum occupata, inter quæ præcipua, & maximi momenti Mons Fullonicus, & Monticellum munitissima arx, quę vi expugnata fuit. Moncalcinum posteà oppidum obsessum, vbi Termesij Gallici ducis cohortes, qui pecuniam præsidiariis militibus in Monte Alcino exsoluendam comitabatur, cæsæ profligatæq; sunt, & pecunia intercepta. Obsidione post varias oppugnationes frustra tentatas soluta, post Garziæ Toletani proregis, qui Florentiæ obierat, filij discessum Ascanius cum suis militibus in agro Clusiensi, quem varijs modis infestabat, remansit. Clusum oppidum natura & defensoribus firmissimum, communicato consilio cum milite præsidiario quodam, qui olim beneficiarius suus fuit, & hora aperiendæ portæ constituta, Ascanius cum cohorte ciuitatem intrans, perfidia eiusdem militis à præsidiariis circumuentus, captus & in Strozzæ potestatem venit, qui eum in libera primum custodia habuit, sed, manifestata eius tentata fuga, arctiori custodiæ traditus, indè ad Portum Herculis, & postea in Galliam Regi adductus fuit, qui eius virtutem militarem considerauit, à quo in gratiam Pontificis auunculi sui honoratus, & sine lytro liberaliter dimissus Romam reuersus est. Exorto deindè inter Hispaniarum Regem Philippum, & Paulum Quartum Pontificem bello à Iulio Vrsino Pontificij exercitus Imperatore in summum eiusdem Tribunum electus, cum quibusdam cohortibus equitum peditumque Velitras, vt eam ciuitatem muniret atque defenderet, missus fuit, cui muneri operiq; intentus & aduersam fortunam expertus in maximam Pontificis indignationem incidit, qui Papirium Cappizuccium cum quadringentis selectis militibus, vt Ascanium captiuum Romam deduceret, misit. Ascanius sibi insidias improuisa hac gente strui suspicans, præsidiariis suis militibus, vt se Pontificiis opponerent, mandauit Durante inter hos velitatione, Ascanius Papirio, hoc non animaduertēte occasionem nactus, auersa porta exiens Neptunum peruenit. Inde cymba piscatoria Caietam Neapolimque delatus ad Albanum Ducem Proregem in ipso belli apparatu, quod nomine Hispaniarum Regis contra Pontificem gessit, peruenit, à quo honorificè receptus, & castrorum Regiorum in eo bello summus præfectus creatus fuit, strenuamq; illi operam nauauit. Ad Philippum postea Regem, qui tunc cum Gallis bellum gerebat, profectus eandem præfecturam gessit, ad summa adhibitusq; consilio sapientia, solertiaq; profecit, vt breue intra tempus auctus dignitate, atq; opibus Italiæ redderetur. Turca Melitensem insulam cum ciuitate obsidente, & Rege Hispaniarum duce Iohanne Cardona cum auxiliaribus copiis missus, eius ductu præcipuè scientiaq; rei militaris, profligatis Turcis, Melite obsidione liberata est. Antequam fædus à Pontifice Pio Quinto, & Philippo Secundo Hispaniarum Rege percuteretur, & Rex in Venetorum auxilium ad Cypri conseruationem cum sexaginta circiter triremibus Iohannem Andream Auriam destinâsset, in illa Hispania classe inter alios generis prosapia, & bellicæ laudis gloria præstantissimos proceres adfuit etiam Ascanius Corneus, cuius fidei, ac virtuti Rex plurimum confidens res suas maximoperè commendauit, atque Auria eius consilium cùm propter eximiam virtutem atque prudentiam, tùm insignem rei militaris peritiam plurimi fecit. Rogatus sententiam, quid suscipi necesse esset, ac expediret, eam oretenus exposuit, & scriptis declarauit. In Christianorum fœderatorum contra Turcas classibus & pugna ad Oechinadas commissa Iohanni Austriaco adfuit castrorum præfectus, consiliorum eius, reportatæq; victoriæ socius, adiutor & particeps, ab eoque missus ad Pontificem cum mandatis Romæ mortuus est, annum agens Quinquagesimum sextum, grandi desiderio cum suarum virtutum memoria omnibus relicto.



NICOLAVS
SERINII COMES.

NICOLAVS ex illuſtri Seriniorum Comitum familia ortus, omnem penè ætatem in rerum bellicarum Vngaricarum negotijs conſumpſit, & aduerſus Turcas multoties feliciter & victorioſè pugnauit, præſertim cum āno M. D. Lxvj. Turcæ poſt arcem Ainakienſem propter præfecti (qui cum ſelectiori militum parte Agriam profectus erat) abſentiam occupatam, ea victoria elati, oppidū Sigethi tentare conſtituerant Serinium à Cæſare Viennam vocatum abeſſe exiſtimantes, Serinius autem qui tum fortè redierat in aduentantes Turcas impetum facere, & ſe ducem ſequi iuſsit acriter pugnatum, ingens ædita cædes, reliqui terga verterunt, duo currus interfectorum præciſis capitibus onuſtos victores reduxerunt. Cum verò eodem anno Solymannus Turcarum Sultanus nihil de ſuo in Chriſtianos odio, & acerbitate intermittens, iniquo ſuo fato, cum numeroſiſsimo exercitu in Vngariam perſonaliter proficiſceretur, & Sigethum oppidum arte, & natura valdè munitum expugnare conſtituiſſet, Serinius de aduentu Solymanni certior factus, mille pedites, & equites quingentos præmiſit, qui periculum facerent, manumq́; cum Turcis obuijs conſererent, aut certè illis non inuentis oppidum Sichlouſchum, expugnarent. Milites cum oppido appropinquaſſent, ducentos pedites cum centum equitibus præmiſerunt, qui cum ad Turcarum caſtra perueniſſent, in eos impetum fecerunt, eosq́; diſiecerunt, cæſis non paucis, multis propè nudis fuga ſibi conſulentibus, ipſe quoq; præfectus hoſtilis exercitus accepto vulnere in paludibus periit, porro filius eius cum tribus inſignioribus Turcis captus eſt, deniq́; Turcicis rebus præſtātiſsimis, & pecunia octo camelos, ſexaginta equos, & quinquaginta mulos onuſtos, ſex quoq́; plauſtra ſpolijs omniuarijs impleta ſecum victores Sigethum reportarunt, inter quæ duo rubei coloris ingentia ſigna fuerunt, fuitq́; ea ſanè præclara victoria. Solymanus poſt pontē ſtratum Drauum tranſmiſit, indè Sigethum contendit, & non longè caſtra poſuit. Eius copioſiſsimum militem cernens aduentare Serinius, conuocatis nobilibus, & ciuibus in medio illorum ſtans, eorum animos confirmauit, & ne tanta hoſtium multitudine frangantur hortatus eſt, Deum Opt. Max. minimè eis defuturum, deindè ipſe primus iuramentum Deo, Cæſareæ Maieſtati, & militibus, atq; vt idem alij quoq; facerent, perſuaſit. Vltima Iulij vno à Sigetho milliario conſederunt Turcarum nonaginta millia, quos ex caſtris ſecuta ſunt centum millia, aliquot dies pugnauerunt cum illis, ij qui erant in arce, nec paucos è ſuis amiſerunt Turcæ, donec ſexta Auguſti Solymanus in caſtra venit. Poſtquam Turcæ tribus locis nouum oppidum tormentis verberaſſent, extructoq́; aggere in ipſa foſſa arcis, in eamq́; euectis maioribus tormentis arcem interiorem vexaſſent, multumq́; damni datum, id conſpicatus Serinius, nouam vrbem inflammari curauit, veteremq́; occludendam. Non multò pòſt Turcæ magnam ciuitatem in ſuam redegerunt poteſtatem, cæſis multis fortibus viris, qua clade accepta, & amiſſis rei militaris peritiſsimis viris, Serinius cum ſuis qui ſupererant ſe in arcem recepit. Dum autē poſteà Turcę in arcem incurrunt, multos è ſuis deſiderauerunt, duo quoq; ſigna ipſis erepta. Ianizeri porrò in propugnaculum portæ contiguum irrumpentes, & maxima vi in arcem contendentes, bis ſtrenuè repulſi ſunt, etiam ipſo Comite cum illis manus conſerente. Nec hoc ſucceſſu cōtenti præſidiarij, eruperunt, cum hoſte fortiter dimicantes magnam ſtragem ederunt, & Iagnizarorum quendam Tribunum cæperunt. Magnus erat hoſtium ſtratorum numerus in campo, quorum cadauera, cum propter obſeſſorum crebras tormentorum exploſiones ſepeliri non poſſent, Solymannus ob infectum aërem retrocedere coactus fuit. Poſt multas deniq́; oppugnationes fruſtra ob hoſte tentatas, Serinius multis amiſsis ſtrenuis militibus ſeptima Decembris cum reliquis arci interiori ſe incluſit, poſtridie manè Turcæ ignem in arcis interioris loca illa in quibus Serinius morabatur iniecerunt, cumq́; iam flamma nimium aucta tolerari nō poſſet, Serinius centum ducatos, & claues arcis miſit in tunicam ſuam, atq; ad ſuos cōuerſus ait, dum gladio tractando manus ſua apta foret, neminem centum illi ducatos, & claues erepturum, ſe verò haud quaquam Sigetho abiturum, ſed omnia forti animo toleraturum, indè è ſuo conclaui procedens, omnesq́; illic equites diſtrictis gladiis præſenti animo ſe expectare conſpiciens, ita ferè ad eos locutus eſt, videmus iam quomodo Deus igne in nos animaduertat, atq; hoſtis eodem nos ſuperet, cuius ſanè potentia non perindè nobis noceret, atq; hic ignis, noſtis quid anteà promiſerimus, & hactenus promiſsis ſtetimus, eadē in poſterum in nobis fides & conſtantia perſeuerabit, procedamus igitur in exteriorem arcem, pugnemus fortiter cum hoſte, cum Deo haud dubiè victuri ſi occubuerimus, ego verò primus vos antecedam, vos ad meum exemplum componite, ego profecto nunquam vos deſeram. His dictis, cum ter ſanctiſsimum nomen Ieſu appellaſſet, vexillumq́; Cæſareū præferri iuſsiſſet, nudo enſe, & exiguo ſcuto munitus, ex arcis porta egreditur, reliqui ſequuntur, pugnatū acriter cum Turcis in ponte, tribus locis à Iagnizeris glande Serinius percuſſus in terram corruit, cæteri omnes cæduntur, caput Serinij pręciſum vt Solymano exhiberetur, ſed ille antê aliquot dies expirârat. Octaua deindè Septembris caput Serinij à Baſſa Budenſi Comiti Ekio Salmenſi tranſmiſſum eſt, qui in literis ſuis virtutem & fortitudinem militarem Serinij honorificè laudauit, & extulit Salmenſis in caſtra Maximiliani Imperatoris ad Iauarinum poſita deferri curauit, indè à filio cum multis lachrymis Tſchacaturnum delatum in monaſterio ſanctæ Helenæ apud primam eius vxorem & filiam, duosq́; filios conditum eſt.



NICOLAVS RADZIVIL.

NICOLAVS RADZIVIL patre Ioanne & Matre Anna Kiſ-
czanka, natus, nepos Nicolai primi, Dux in Olica & Nieſuiesch
Sacri Rom. Imp. Princeps, Palatinus Vilnenſis, Archimarſchalcus
& Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniæ, patre mortuo, ab anno
ætatis decimo octauo cum patruo Georgio in multis expeditionibus contra Tartatos
& Moſchos ſtrenuè ſe geſsit, in expugnatione arcis Moſchorum Starodubo inſignem
operam nauauit, tandem viuente adhuc Sigiſmundo primo Rege Poloniæ & Magno
Duce Lithuaniæ à Sigiſmundo Auguſto filio Regis ad Sereniſsimum Imperatorem Ferdi-
nandum, tunc Regem Romanorum orator miſsus, negotia ardua circa quaſdam differen-
tias de ſupradote poſt mortem Eliſabethæ filiæ Imperatoris, & Regis prædicti iunioris con-
iugis primæ tranſegit. In Comitijs Imperialibus Auguſtæ Vindelicorum, ab Inuictiſsimo
Carolo Quinto Imperatore transfuſio Ducalis dignitatis in illum collata eſt, poſt deceſ-
ſum abſque prole maſcula Nicolai Secundi patrui (dum enim anteà Duces Radiuili in
Goniadæ & Medelæ titulum habebant) huic in Olicam & Nieſuiesch, fratri autem patru-
eli in Dubinki & Bierze translatum eſt. Denuo à Sigiſmundo Auguſto Rege ad Sereniſsi-
mum prædictum Imperatorem Ferdinandum in legatione miſsus ſponſalitia cum Catha-
rina altera filia Imperatoris, tertia coniuge Sigiſmundi Auguſti, vidua poſt Franciſcum
Ducem Mantuæ, nomine Regis celebrauit, illamque maximo apparatu Cracouiam ad-
duxit. In ea autem legatione Diui Maximiliani Imperatoris filium Archiducem Erneſtum
è ſacro fonte leuauit. In expeditione ad Posfole cum Rege contra Liuoniæ Magiſtrum
ordinis Firſtembergium magno cómitatu adfuit, tandem multis honoribus à Rege au-
ctus, ter in Liuoniam cum exercitu porpriis ſumptibus collecto miſsus, Prouinciæ illius
magnam partem & præſertim Metropolim eius Rigam in fidem Regis recepit, ſimulque
cum illo aduenerant, Marchio Brandeburgenſis Archiepiſcopus Rigenſis, & Gothar-
dus Curlandiæ Dux, antea ordinis Magiſter ac Regi homagium Vilnæ præſtiterunt,
crucem auream quam Magiſter ex collo geſtabat, cum ſigillo quo idem Magiſter
ordinis vtebatur in quo exſculpta eſt Beatiſsima virgo, inſidens aſino cum
puero IESV, quando monitu Angeli in Ægiptum fugerat, Regi præſen-
tauit, multis poſtea rebus præclere geſtis, cum morbis arteticis
totus conflictaretur, moritur anno Milleſimo Quingen-
teſimo Sexageſimo Quinto ætatis Quinquage-
ſimo, ſæpultus Vilnæ.



MARCVS ANTO-NIVS COLVMNA.

MARCVS ANTONIVS COLVMNA, familiæ Princeps, Marſorum, Paliani, & Taliacotij Dux, Magnus regni Neapolitani Comeſtabilis, Aſcanio Columna, & Ioanna regio Arragonenſium genere, ad bella paciſq; munia pari fœlicitate dexterrimè obeunda diuinitus quodãmodo Anno poſt Chriſtum natum M. D. xxxv. natus eſt. Militiæ adſcriptus non miles, ſed plurimorum ipſe militum dux, nunquam victus, perpetuò victor hoſtili ſanguine manus priuſquam tenera lanugine malas perfudit. In bello Senenſi rei militaris ſcientia primò eruditus, Ioannis Iacobi Medicei legatus, equitumq; cataphractorum regni Neapolitani Comeſtabilis, cum decimum ſeptimum annum ætatis ageret, prælio felicisſimè decertauit. Enituit tum primo in adoleſcente penè fortitudo incredibilis, & dicendi copia ſingularis: cum Medicæo abſente totius ipſe exercitus Imperator relictus, & Hiſpanos milites ſeditione ſuborta ſecedentes eloquentia reuocarit, & Petro Strozzio Francorum Regis duce deletis copijs fugato vrbem Senarum victor ſubegerit. A Paulo Quarto Pontifice Maximo hæreditarijs oppidis, & caſtris eiectus, Albę Ducis ea tempeſtate Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis in Italia Vicarij legatus, milite impetrato, continuò quæ amiſerat eiectis hoſtibus recuperauit. Neq; verò quiſquam citius terras tot paſsibus peragraſſet, quot hic armis oppida occupauit, Anagniam, Fraxinum, Signia, Tibur, Neptuninium, Præneſte, Pragelle, Oſtia, Palianum, eadem qua obſederat fortitudine virtuteq; ſibi ſubiecit. Quo in bello cum ipſius virtus, Guiſium Francorum Ducem, Gallorumq; efferatos impetus repreſſerit, Heluetiorum apud Laccicanum exercitus trucidauerit, Italorum robur effregerit, præfectis partim fugatis, partim cæſis, totq; oppida obſidione expugnauerit, docuit, nullam eſſe vim tantam, quæ non ipſius dextera, atque conſilio debilitari, frangíque poſsit. Rebus ita fortiter geſtis, quæ vna fuit ab Auſtriacis fortiſsimis Imperatoribus aut ſummæ nobilitati, aut egregijs victorijs, vel ab ipſa inſtitutione aurei velleris deſtinata dignitas, ea Marcus Antonius exornatus eſt, neq; tam familiæ ſplendori, quam rerum geſtorum gloriæ à prudentiſsimo Hiſpaniarum Rege Philippo debitus honor tributus ſit. Interea Turcarum claſsis planè innumerabilis aperto mari irruebat, Chriſtiano nomini interitum allatura. Querebatur à Pio Quinto Pontifice Maximo claſsi tantum in hoſtem fuæ dux, vnus omnium tam graui ferendo oneri par eſſe habitus eſt Marcus Antonius, in quo præter arridentem vndíque conatibus ſuis fortunam par erat cum excellenti fortitudine facundiæ laus, quarum altera inter Pium Quintum Pontificem, Philippum Hiſpaniarum Regem, & Venetam Rempublicam, Chriſtianoſq; Principes iam inchoatum in Turcarum Tyrannam fædus abſoluit, altera Ioannis Auſtriaci fęderis totius Imperatoris legatus, hoſtes maximo impetu & numero noſtram in claſſem irruentes deuicit. Tam memorabili parta victoria, ſpoliis diues, omníque obuiam effuſa ciuitate, cum laudibus & cum ſolenni pompa triumphans Romam ingreſſus eſt. Inmortalis præterea ei ſtatuæ honor decretus, monumentumq́ue in Capitolio à Populo Romano gloriæ ac virtuti ipſius erectum eſt ſempiternum. E præliis ad Regnorum gubernacula à Philippo Hiſpaniarum Rege euocatus eſt, vt quem bellum fortiſsimum ducem, eundem pax moderatorem prudentiſsimum declararet, Siciliæ adminiſtratione ſuſcepta, publicè, priuatimq́ue multa præclarè inſtituit, quorum hodieq; vſus cum vberrimo ciuium fructu perſeuerat. Nullus eſt ex eo Regno in quo ſeptennium præfuit, qui non ipſius iuſtitiam, liberalitatem, prudentiam prædicet, nec cuiquam tanti erat huiuſcè lucis vſura, quin de ſua detractum aliquid libenter ſi poſſet in illius vitam conferre voluiſſet. Tandem in Hiſpaniam à Philippo accerſitum, dum maiora parat prouectæ iam virtutis facinora, mors oppreſsit, vt illi immatura, ſic rei Chriſtianæ ac bonis omnibus acerba. Medioli Quadrageſimo nono ætatis anno priuſquam ad Regem perueniſſet ſubita febri correptus occubuit: poſteris omnibus admirationi futurus, quod quæ multitudine infinita, magnitudine admiranda, vix multi pluribus ſeculis præſtitiſſent, ipſe vnus paucis annis ſumma celeritate perfecerit. Ingemuit merito Italia amiſſum Ducem, antiquitati æmulum, poſteritati exemplum. Aequa fuit Marcus Antonius corporis ſtatura, aptiſsima membrorum compagine, graro & pleno dignitatis aſpectu, niueo flammeoq́ue ore conſpicuus, flaua barba, nudo capillis vertice, lata fronte, exporrectis ceruleis, viuacibuſq; occulis, magnitudine ingenij præclara, natura facilis, ſuauiſsimis, & pacatiſsimis moribus, ſummis pariter atque infimis chariſsimus, prorſus inuicti ad laborem, & gloriam, ad res arduas gerendas animi vir, militaris, famæ, & veræ gloriæ cupidus, laboris patiens, diuitiarum contemptor, & cum quolibet priſcæ ætatis Romanorum Ducum natalibus, virtute fortuna, ſiue nauali, ſiue terreſtri, rei militaris ſcientia, paciſq́ue artibus comparandus, eloquentia, grauitate, iuſtitia, temperantia, fœlicitate, conſtantia, liberalitate clarus, ac demum dignus, cuius res præclariſsimè geſtas poſteritas omnis tanti Ducis memor in omne tempus imitetur & celebret.



BARTHOLOMÆVS
COLEO.

BArtholomæus Coleo Sfortianæ ſimul,& Braccia-
næ diſciplinæ diligentiſsimus obſeruator,multis ſortibus fa-
ctis, conſtantis atq; impigri ducis ſamam eſt conſecutus, eoq́;
præſertim prælio,quo Gallorum ſanguinaria manu bella geren-
rium feritarem atque ſeuitiam pari crudelitate vindicauir. Mortuo
namq́; Philippo,quum Mediolanenſes ſeſe in libertatem aſſeruiſſent,Raynaldus Gallorum Dux
ab Aſta vrbe ſuæ ditionis Alexandrinum agrum hoſtiliter inuaſerat,nec quem ei opponerent Inſu-
bres habebant,Franciſco Sforria ipſorum Imperarore aduerſus Venetos bellum gerente, qui ſine certa
pernicie indè reuocari non poterar.Erat tum Coleo cuſtodię traditus Philippi iuſſu,proprer inanem con-
cepti transfugij ſuſpirionem. Itaq; hunc maximè idoneum, qui Gallis reſiſtere poſſet rati, cuſtodia edu-
cunt,adiunctoq; ei Aſtorre Fauentino cum parte copiarum conrra Gallos proficiſci iubent. Conſerra eſt ad
primum hoſtis conſpectum pugna maximè atrox,& cruenta apud oppidum Boſchum. Nam Galli pro gen-
ti inſita ſæuitia contra Italicum morem captos & deditos Coleonis cataphractos diffibulata caſside iugula-
bant. Quod vbi Coleoni nunciatum eſt,clamore edito ſuis edixit, vr Italicæ conſuetudinis obliuiſcerenrur,&
nemini Gallo parcerent,atq; ira graui ira ſuccenſus, conglobatis alis in hoſtes irrupit, fuſosq; proſtrauit,ſic vt
magna eorum pars interficeretur,& Raynaldus captus vix ſupplex ſalutem impetrârit.Primis ſtipendiis diu
vagatus,turmæ equitum præfecturam à Braccio promeruit. Etenim planè puer pecuniæ inops Paulo patre
propinquorum inſidiis inrerfecto,miſer & errans domo exierat,matre etiam in carcerem ab mariti percuſſo-
ribus immaniter coniecta,ſic vt paternis oppibus nulla in parte iuuaretur. Sed Iacobus Caudola non multò
poſt ei turmam equitum dupplicauit, iuſtæq; demum alæ vexillum detulit Braccius. Rex autem Alfonſus
vberiore auxit ſtipendio, & ipſe quoque Sfortia honoratiore miliria condecorauit,& nobilirauit. Adheſit tan-
dem Philippo, ſub quo bella multis annis viguerunt. Cæterum Coleo Veneti Imperij fortunam agnoſcens,
eius auſpicia opportuno tempore ſecutus eſt, vigintiq́; amplius annis eorum copiis cum Imperio præfuit. Eo
autem bello, quod aduerſus Mediceæ familiæ Principatum à Florentinis exulibus in Gallia Togata excita-
tum eſt, Coleo Dux primus omnium inſtituiſſe dicitur, vt tormenta aduerſus hoſtem in acie emitterentur,
cum antea in expugnandis tantum, defendendisque vrbibus vſui eſſe ſolerent Spingardas enim, ita voca-
bant minora tormenta tricubitalis longitudinis,quæ glandem pruni maioris magnitudine violenter effun-
derent)paruis curribus inſertas poſt acies auehi,& ſigno tuba dato,quo ſua agmina relicto interuallo hinc at-
que illinc ex panderentur,in oppoſitos hoſtes dirigi iubebat. Quo inuento ad Ricardinam Bononienſis agri
hoſtilem aciem ita perterruit, vt quum huiuſmodi tormenti pila Herculi Ferrariæ Principi calcaneum deter-
ſiſſet,maligno ac barbaro more Coleo feciſſe diceretur,qui viros fortes gladio,atque haſta pro virtute & gloria
dimicantes,inuſitata atq; terribili pilarum procella ſternendos curaret. Ea enim humanitate milites,ducesq́;
extra cruorem per id tempus in Iralia depugnabant,& eo prælio funalibus accenſis, quum nox ingrueret,am-
plius quatuor millia cataphractorum equitum admirabili, ridendaq́; hodiè ſpectaculi contentione concurre-
runr. Fuit Coleo corporis ſtatura erecta, atq; habili,adeoq́; formoſus & agilis,vt Regina Iohanna ingenio pro-
caci mulier,auidaq́; virorum forrium Coleonis amore caperetur,quum ea ſpectante cunctos in paleſtra,iactu-
q́ue ferrei vectis,& ſaltu curſuq́; certantes cum magno ſpectantium plauſu ſuperaret. Deerant ei latinę literę,
ſed his preditos ſuſpicere, & per eos hiſtoriæ veteris notitiam conſequi erat ſolitus. Nec ingenium eius ab vr-
banis faceriis alienum fuit,vt ex eo ioco apparuit,quo Galeazium Sfortiam acutiſsimè perſtrinxit. Nam cum
ei Galeazius iuuenili perulantia dono miſiſſer vulpem cauea incluſam,vt exactę ætatis Duci,nec ſemper aſtu-
to illuderet,Coleo eum ſtatim pari dono remuneratus eſt, mittens Tinnungulum compeditum loro,& binis
de more accipitrum argenteis rintinabulis exornatum,qui à pueris pro accipit regeſtari ſolent,quaſi tantę for-
tunæ principi ingenij leuitatem exprimeret,qui nihil præter ornamenta, & inanem effigiem grauis, & ſtre-
nui Ducis præferre cenſeretur. Oderat nebulones,ſures autem,& delatores ſeuerè puniebar,quum exactè ex-
tra bellum pietatem coleret. Familiæ digniratem cultu,& conuictu admodum liberali tuebatur,magnifi-
cenriæq; deditus, tribus templis ſuo ſumptu ædificatis patriam honeſtauit. Condidit autem perameno
in ſiru caſtellum ſtructuræ elegantis,quod Malpagam appellauir. Ea in arce cùm vixiſſet annos ſe-
ptuaginta ſex exceſsit è vita. Condito teſtamento,in quo Senatum Venetum ex quadrante ſcri-
pſir hæredem,vt congeſtarum opum inuidiam ea liberalirate redimeret. Staruit & ſibi viuens
ſepulchrum ad aram maximam,apud quam marmorea eius effigies, & in tabula etiam ſcitiſ-
ſimè depicta Bergomi conſpicitur. Senarus autem meritò ei ſtatuam equeſtrem æneam ad
templum Iohannis & Pauli cum marmorea baſi erexit,Patauiana quidem ma-
gnitudine grandiorem,& luculentam.

Ex Iouio.



IANVS MARIA
FREGOSIVS GENVENSIS.

FREGOSIORVM familiam cùm clarissimam, tùm etiam perantiquam esse constat, in ea pręstantissimi viri, qui Ligurum Rempublicam summa cum prudentia administrârunt, ab eadem quoque exercituum ductui præfecti bellica laude insigniter præpolluerunt. Inter quos plenus gloria emicuit Tomasinus, qui à Ioanne Galeazio Maria Mediolanensi Duce Corsicæ insulæ Comes factus est. Intercesserat quoque ipsi cum Alphonso Siciliæ Rege arctissima necessitudo, qui illi Comitatum Corsicæ non solum confirmauit, verumetiam ab eodem Regens Magnæ, & Vicariæ Curiarum Neapoli fuit creatus, quod munus magna cum prudentia & æquitate obiuit. Ex hoc ortus Ianus Maria Fregosius, qui paternæ virtutis æmulus, cum ab adolescentia se totum militiæ deuouisset, per annos quadraginta Reipublicæ Venetæ strenuam operam nauauit, à qua cataphractorum equitum turmæ præfectus eam tanta obseruantia & pietate coluit, vt ab illa post prælium ad Abduam grauissima clade affecta, cum cæteri penè omnes, qui pro Venetis militabant sibi consulerent, Ianus dignitatis potius, quàm salutis suæ rationem habens, nunquam deficere voluerit. Petiliano, qui fuerat summus Venetorum terrestris exercitus Imperator, defuncto, cum à Senatu bello acer, ac militari disciplina clarus haberetur, inuiolabilisq; fidei testimonia pleraq; antea dedisset (quippe, quòd amplissimis conditionibus persepè à Cæsarianis sollicitatus fuisset, vt Venetis relictis in suis castris insignes præfecturas acciperet) Petiliani exercitum turbulentissimis illis Reipublicæ temporibus, quibus in Gallia Cisalpina bellum gerebatur, eadem, qua Petilianus dignitate & authoritate rexit, vt, quoniam maximo vsu rerum polleret Fregosius, maturè ingentibus turbis incommodisque, quæ in castris quotidiè oriebantur, consuleretur. Mandato ergò Senatus quam celerrimè ad Contarenũ (qui tunc in castris Prouisor generalis erat) maturauit, conuocatoque exercitu, qui se tunc inter Cremam & Laudem Pompeiam cum Laurrechio coniunxerat se recepit, atque huic ex dignitate centum equites leuis armaturæ, trigintaq; pedites, vt suam personam tutarentur, adscripti fuerunt. Qua prouincia suscepta, perstrenuè hostium impetum repressit, qui Mediolano egressi, in arcem Sancti Angeli aliaq; munita Principis Mediolanensis, cui tunc Veneti summoperè fauebant, loca irrumpere decreuerant. Præcipuè verò eius militaris industria enituit, cum ad Papiam oppugnandam vna cum Paulo Manfrono missus fuit. Hic enim cum vrbem Galli ac Veneti socijs armis aggressi essent, & vario Marte pugnaretur, Manfronusque glande plumbea traiectus cecidisset, confirmatis militium animis, Ianus se adeò strenuè gessit, vt ad expugnandum vrbem non parum auxilij attulerit. Brixia quoque cum à Gallis Venetisq; obsideretur, Germanum militem, qui tribus millibus constabat, & pecuniam pro militum stipendio Brixiæ numerandam comitabatur, occupatis saltubus, octingentos cęcidit, cæteris in fugam coniectis, maxima cum laude in castra rediit. In recuperando Patauio à Cæsarianis occupato tàm clarum specimen virtutis suę edidit, vt eius authoritati non parum accessionis apud Venetos sit factum. Compositis rebus inter Iulium secundum Pontificem & Venetos, cum ille Genuæ terra marique expeditionem tentâsset, classemque Venetam in bellum rursus euocasset, iamque vrbi appropinquaret, intrepido animo Fregosius vnico nauigio speculatum init, qui vbi vrbem validissimo esse præsidio munitam cognouisset, cruentamq; futuram esse oppugnationem nuntiaret, abeundi consilium omnium consensu approbatum est. Existimârunt enim satius esse commodiorem expectandam occasionem occupandæ vrbis, quàm temerè cum hoste confligere, quam non multò post in summa rerum varietate belli fortuna obtulit. Siquidem fluctuantibus Italiæ rebus, cum Placentia Parmaq; se Pontifici dedidissent, nactus pulcherrimam occasionem consequendi, quod in votis habebat, Ianus peditibus equitibusque à Venetis adiutus Genuam proficiscitur, tantumq; terroris vrbi iniecit, vt pulso Gallorum præfecto ea à Rege defecerit. Tunc Princeps Ligurum creatus est, quam dignitatem Tomasinus eius pater anteà obtinuerat. Missæ sunt tunc temporis à Summo Pontifice ad eum literæ, quibus ipsi gratulabatur, quòd, excusso grauissima Gallorum iugo, Genua libertatem pristinam recuperârit. Sed hîc cernere est, quanta sit rerum humanarum vicissitudo. Adurniorum factioni fauens vrbe expulsus est: Qui tamen cum sciret sibi opes non animum aufferri posse, nixus propria virtute ad Venetos, pro quorum Imperio persepè periculis se obiecerat maximis, se recepit, qui eum non modò summa humanitate sunt complexi, sed memores, quod non vulgaria eius erga Rempublicam extarent merita, his honorum titulis Ianum decorandum duxerunt, quem in supremum omnium suarum copiarum præfectum deligerent, amplissimo stipendio sexies mille ducatorum annuorum constituto. Hac dignitate ornatus, vt cataphracti milites centum, quorum ipse ductor fuerat, Cæsari & Alexandro filiis suis subderentur, facilimè obtinuit cùm maxima erga se Senatus beneuolentia, tùm plurimis in illum meritis, nec non quod Respublica exploratum haberet fortes à fortibus creari. Ad senium perueniens Ianus vir & morum suauitate amabilis, & vitæ integritate suspiciendus Brixiæ in morbum inciderit ibidem obiit, condito ac testamento, quo cauit, vt corpus suum Veronam deferretur, & in Diuæ Anastasiæ templo humaretur. Hoc Hercules filius maxima cura executus, in eius memoriam aram marmoream egregio opere statuisq; penè spirantibus, quibus herôica eius facta repræsentantur, ornatam magnis sumptibus erexit.



CAROLVS
LOTHARINGIÆ DVX.

CAROLVS Tertius Lòtharingiæ, Calabriæ, Geldriæ, & Barri Dux, patre Francisco, cui sapientis cognomen fuit, & Christierna Danorum Regina anno Millesimo Quingentesimo Quadragesimo tertio natus est. Patrem amisit penè infans, & cum annum ætatis suæ nonum ageret, à Rege Galliarum Henrico Secundo, qui deindè illi socer fuit in Galliam ductus, ac in aula regia simul cum Francisco Delphino eiusdem Regis primogenito ijsdem studiis, est educatus. Is annum natus Quindecimum Claudiam Henrici Regis filiam, & Elisabethæ Hispaniarum Reginæ sororem in vxorem duxit, Felix hoc, & ab omnibus admirandum, ac pro exemplo habitum matrimonium, sed præmatura mors Claudiæ, cum duas vno enixu egregia forma peperisset filias coniugium non amorem diremit. Cœlebs dehinc quamuis ætate viridi florens perpetuò mansit Carolus. Ex Claudia Henricum Pontis Mussonij Marchionem, Carolum Cardinalem Episcopum Mediomatricensem & Argentinensem, & Franciscum Valdemontis Comitem liberos, Christiernã, quæ Ferdinando Medicæo Magno Hetruscorum, Elisabetham, quæ Maximiliano vtriusq; Bauariæ, Antoniettam, quæ Ioanni Gulielmo Cliuiæ Ducibus nupserunt, Catharinam hoc tempore adhuc innuptam, Annam, & Claudiam tenera ætate defunctas filias suscepit. Carolo semper fuit singularè pietatis, pacis, ac inprimis Catholicæ religionis studium, quippe ingenio adeò mansueto, adeò ad virtutem, & honestatem nato, vt ne verbum quidem aut acerbum minis, aut turpe, quando cum familiaribus egit, vel dissimulationis, vanitatis, vel artificij plenum, quando seria tractauit vnquam protulerit. Tam in vtraq; fortuna moderatus fuit, vt illi ne quidem vultus aut elatus, aut demissus fuerit, iram, quod est maximum, sic superauit, vt nec voce permotum unquam illi fuisse animum quisquam deprehenderit. Has animi dotes ornauerunt forma regia, & decens proceritas imperio digna. Coactus arma sumere Bitcense oppidum expugnauit. Catholicos cum in Galliis pro religione decertarent, viribus, opibus, copijs non semel tantummodò, sed multoties iuuit. Ipsemet exercitum in Germaniam duxit, Germani enim equites, quos Henricus Nauarreus Rex expectabat, inter Basileam, & Argentoratum Rhenum traiecerant, vt rectà ad Nauarreum tenderent, & cum ipso vires iungerent. At Carolus cum expedita manu illis obuiam processit, atque inter Peenfeldiam, & Markolheimium eos assecutus, cum primus inter alios pugnaret, strauit ac fugauit, & ne in Galliam pertingere possent iter præclusit, paucis exceptis, qui ad Basilæam instituto itinere peruaserunt, Bellum hoc prudenter suscepit, prosperè gessit, felicius confecit. Hinc vt victoriam prosequeretur ad felicitatem iuncta celeritate paulò pòst in Burgundiam, & Galliam traiecit, Vasseium primarium Hugenotorum in Gallia nidum admotis tormentis cõquassauit. Primum natu maximum filiorum Marchionem, & deindè Valdemontis Comitem cum valida armatorum manu, & insignium virorum in Catholicorum fœderatorum suppetias Luteliam vsq;, & in Neustriam misit, Virodunensium, & Tullensium libertatis assertor appellatus, ciuitates illas fidei Catholicæ addictas in suam tutelam recepit, easq; aduersus insidias, & arma Hugenotorum fortiter conseruauit. Iametziam arcem munitissimam quindecim, Marsalium oppidum, quod multis inexpugnabile credebatur, decem, Villam Francam octo diebus expugnauit. Marchione verò Pontis Mussonij duce Coiffium, Montemclarum, & Montemigneum vi captas vrbes suas reddidit. Cum post mortem Episcopi Argentinensis Ioannis Comitis à Manderscheit Canonici Catholici ad Tabernas oppidum conuenientes Cardinalem Lotharingum elegissent, protestantes autem, cum oporteret Episcopum esse potentem, & opulentum, qui posset aduersariis resistere, nec talis in numero eorum inueniretur, collatis consiliis Ioannem Georgium Marchionem Brandenburgensem Episcopum postulassent, indè exitiale inter vtrosq; bellum esset exortum. Argentinensibus autem cum multis Principibus, & præsertim Marchione Brandenburgensi patre electi Administratore tunc Archiepiscopatus Madeburgensis, & Gallis quibusdam in id vnum conspirantibus, vt Carolus Cardinalis Lotharingius ab eo, in quem electus fuerat Argentinensium Episcopatu vi pelleretur, Carolus pater hoc tam pium quamuis grauè bellum imprimis suscipiendum esse putauit, & alterum quo detinebatur Gallicum, quodque hinc à Lingonibus, illic à Duce Bullionio Hugenotorum primario duce, qui ambo per Nauarræum iuuabantur, & in eum concitabantur, vndiq; premeretur, ab incepto nihilo magis deterruerunt. Illud igitur per Cardinalem filium inchoauit; qui adiuncto sibi Valdemontio fratre in eo nõ minus grauiter, quàm sanctè & sapienter nauauit operam. Hostis aliquoties cesus, oppida, & arces per Argentinenses anteà occupata, rursus partim vi expugnata, partim deditione recepta, Argentinenses verò cum viderent Principes Germanos Brandenburgico affinitate coniunctos belli negotium non magnoperè curare, neq; prouincias suas immensis sumptibus exhaurire velle, suis expensis equites, peditesq; conscribere, & alere coacti fuère. Tandem languentibus vtrinq; animis, & intercedentibus legatis Cæsareis arma posita, & pax facta est, atque tàm Cardinali, quàm Marchioni Episcopatus Argentinensis territoria, & oppida distributa certis conditionibus possidenda assignata sunt. Carolus autem Dux tunc demum postquam Nauarræus Pontifici reconciliatus, in regnoq; Galliæ confirmatus esset, bellum aduersus illum gerere desijt, suosque optima pace donauit.



NICOLAVS
RADZIVIL.

NICOLAVS RADZIVIL Georgij filius ex Matre Barbara de Daleiovvo Nicolai primi nepos, frater germanus Barbaræ Reginæ Poloniæ ſecundæ coniugis Sigiſmundi Auguſti, Dux in Dubinki & Bierze, Palatinus Vilnenſis, Cancellarius & Exercituum Dux Magni Ducatus Lithuaniæ. Dum patrem haberet generalem exercituum, ſtatim à pueritia militari ſtudio operam dedit, quem pater vt per gradus militares aſcenderet ita habere voluit, vt omnia officia miliraria exerceret, omnibusq́ue periculis licet hunc vnicum filium haberet ſemper exponere voluit, igitur & in multis prælijs cum Scytis & Moſchis interfuit, tum etiam ſub Starodubo cum hoſtibus ſæpe congreſsus eſt. Poſt mortem patris, generalis Magni Ducatus Lithuaniæ à Sigiſmundo Auguſto Rege Poloniæ, & Magni Ducis Lithuaniæ creatur, cum hoſte prælijs multis conflixit, ſemperq́ue victor extitit. Præſente Rege Sigiſmundo Auguſto contra Liuoniæ Magiſtrum ordinis exercitum duxit, Arcem Taurenſem in Liuonia ſtratagemate cuniculis ſub aquam profundam ductis, dum tantum pauca tormenta minora haberet, ſub Moſchis recepit. Suiſcium Generalem Moſchorum cum quadraginta millibus ad fluuium Vlam paruis ſuis copijs fermè ad internecionem deleuit, ipſumq́ue Ducem vulneratum in acie, ac poſtea mortuum loco triumphi Vilnam aduehi, ibidem in fano Græcorum Beatæ & intemeratæ Virginis honorificè ſepeliri curauit. Cum autem à prædicto Sigiſmundo Auguſto ad altiorem gradum eueheretur, Generalis officium depoſuit, ſed auſpicanti bellum Rege Stephano cum Moſcho, ob experientiam & felicitatem quaſi innatam denuò à prædicto Rege Generalis creatur, in omnibus deinde expeditionibus cum Rege, Polocenſi, Magnæ Luki & Pleſcouiæ interfuit, arces quaſdam recepit. Tandem confectus ſenio, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo quarto. ætatis Sexageſimo ſexto moritur, & ſæpultus in Dubinki.


Cæsare sub Quinto uarias Gonzaga per oras
Bella manu gessi consilioq. bonus;
Ipse meas artes præsens, studiumq. probauit,
Insubresq. meo credidit imperio.

FERDINANDVS
GONZAGA ARRIANI DVX.

FErdinandus Gonzaga Arriani Dux &c. patrem habuit Franciſcum Gonzagam Manruæ Marchionem quarrum Maximiliani primi Cæſaris, Ludouici duodecimi Galliæ, Ferdinandi Arragonij Regum, Reipublicæ Venetæ, & Summi Pontificis Ducem exercirus ſupremum, marrem verò Iſabellam Areſtinam Herculis primi Ferrariæ Ducis filiam. Paternarum virrurum æmulus, ad belli & armorum ſtudium ſe contulit. Anno ætaris decimo ſeptimo, in Hiſpaniam ad Carolum Quinrum Cæſarem profectus, ab hoc humanirer ſuſceprus, & in ea aula rriennium commoratus, cenrum leuis armaturæ equitum præfectura honeſtarus eſt. In Iraliam reuerſus, Carolum Ducē Borbonium Cæſariani exercitus ſummum Imperarorem, qui tum in Romana expedirione occupatus erar, ſecurus eſt. Diſplicuir tamen valdè Ferdinando illud bellum, & domi manere conſtiruerat. Conſiderans aurem caſum miſerabilem vrbis Romæ, ſi ea expugnaretur, & matrem ſuam ibidem habirantem exiſtere, mutaro conſilio, & ipſe ad exercirum venir, nec quidem fruſtrâ. Nam Roma recepra, & in prędam militi conceſſa, relicta diriſsima præda, domum marris, pudiciriā, & honorem mulrarum marronarum, & puellarum, quæ ad marrem, & huius rutelam conſugeranr, cum maximo ſuo periculo fortiſsimè ſeruauir, &, Borbonio in expugnarione vrbis occiſo, ſupremam leuis armaturæ equitum præfecturam iuuenis adhuc acquiſiuit. Hoc bello finito Neapolim conrendir, quo tempore Franciſcus primus Galliarum Rex cum Clemenre Septimo Pontifice, & Venetis confœderatus Neapolitanum Regnum affectabat, iamq; Gallorum exercirus Lorrechio Duce Cainanum peruenerat. Ferdinandus cum mille, & quingenris equiribus ciuitare exiens, hoſti vniuerſum commearum abſtulit. Cum naues confœderatorum hoſtium aduenifſent, & Lottrechius maiorem exercirus parrem ad recipiendum milirem, & pecuniam auocâſſet, Ferdinandus in remanentium hoſtium parrem cum equiribus ſuis impetum fecir, & in fugam conjecir. Morruo Lorrechio Marchio Saluziarum, qui ei ſucceſsit, obſidionem re inſecta ſoluere coactus, noctu Auerſam ſe recepit. Ferdinandus verò eius fugam præſentiens hoſtem inſequirur, & cedir, Petrus Nauarrenus cum mulris alijs militum præfectis capti funr, & Saluzius per Guidonem Rangonum pacem petere coactus. Ægroranre Aurangio, & mortuo Vgone Moncada Prorege Neapolitano, in prælio nauali contra Philippinum Auriam capto Vaſtio, Ferdinandus ſolus quaſi rei bellicæ adminiſtrarionem ſuſtinuit. Hinc ob præclâra rei geſtæ ſacinora Arriani Ducatu Carolus Cæſar eum remuneratus eſt. Finiro bello Neapolitano, iuſſu Caroli cum exercitu in Herruriam mouit, & Florentiam obſedit, Aurangio ſupremo duce ibidem ex ictu tormentarij globi mortuo. Ferdinandus in ipſius locum ſucceſsir, & Florenriam occupauit. Cæſare cum potentiſsimo exerciru contra Turcam in Hungariam proficiſcente, eius iuſſu cohorri rrium millium equitum leuis armaturæ præfectus eſt. Eodem quoque anno ab ipſo in ordinem equeſtrem aurei Velleris allectus, & Cæſarem in Africam ſecutus, Ferdinandus primus contra hoſtem prodiit, conſilio ſuo, manu & armis, viam Chriſtianis ad clariſsimam victoriam Tuneto & Guletta capra aperuit. Inde rediens, Prorex & Capiraneus generalis Siciliæ crearus. Sequenti poſt anno conrra Franciſcum Galliæ Regem à Carolo Cæſare, vt Carolo Sabaudiæ Duci auxiliaretur, euocarus, & vniuerſo exercitui equeſtri prefectus eſt. In quo bello ad Brunolam in Prouincia hoſtem cecidir, captis Montegiano, Boiſio, & Sanpetro Corſo ducibus. Ex mandaro Cæſaris cum ſuis ſe Principi Auriæ coniunxit, qui vnà cum Venerorum claſſe Barbaroſſam & Turcas perſequebatur. Cum verô ipſius conſilium in cœdenda claſſe minus ſequi vellent, ipſe indignatione generoſa motus, in Dalmariam cum decem millibus Hiſpanorum vereranorum profectus, Caſtrum Nouum clarum Turcarum monumentum expugnauir. Meſſanæ propugnaculum Saluaroris nomine celebrarū extruxir, ciuitatem ampliauir, & muro cinxir, arcem in monre ædificauir, & ſuo nomine Gonzagā apellauir. Panormum, Drepanum, Melyras, Cataneam, Syracuſas, & Caſtellam Auguſtum fortiora reddidir. Cæſar prius Placentiā expugnare iuſſo Mediolanenſis Ducatus adminiſtrarionem commiſir. Cum hoc exercitus ſupremus Tribunus cōſtirutus, in Germaniam conrra Ducem Cliuenſem ſe contulit, Duram ciuirarem in præſenria Cæſaris expugnauit, & Cliuenſis veniam perere coactus eſt. Lucemburgum à Gallis captum cum paucis ſuorum recepit, Commerſium, & Lignium munitiſsima loca in confinibus ab eo expagnata ſunt. Sandeſirium quoq; Ferdinandi aſtutia in Cæſaris poreſtarem venir. Ex Gallia in Siciliam reuerſus, eodem rempore morruo Vaſtio, Ferdinandus rurſus à Carolo euocarus, adminiſtrationi Mediolanenſi denuò ſurrogatus eſt. Dum autem ex Sicilia cum coniuge & liberis decem tanrumodò nauibus diſcederet, conſpectis pyrararum triginra nauibus, licet numero impar, cum eis congredi ſtatuit, qui ipſius animoſiratem videnres, ſugam ceperunt, quos cum Inſequirur, biremem cum duabus velocibus cepit. Marchionatum Saluziarum ſubegir. Deniq; cum Philippus Hiſpaniarum Rex Galliarum Regi bellum inruliſſet, Ferdinandus in Belgium ab eò vocarus, in Flandriam veniens & equi pręcipitis lapſu læſus Bruxellis in grauem morbū incidit, quo indies in graueſcente ibidem obiit. Anno M. D. LVIV. valetudine aduerſa dum affligeretur, non modò viri generis claritate, militaribus ordinibus inſignes, verum etiam Philippus Rex ipſe ſæpius atq; etiam in extremis agentem iuniſit, grauiterq; hominis omnium ſerè rerum peritiſsimi obitum tulit.


Me Druijdum ueteres fortem sensere coloni,
Dum pro rege meo strennuus arma gero;
Hinc ego post patrem & germanum prole carentē
In patria merui tercius esse Ducum.

HENRICVS MOMORANCIVS ANVILLÆ DOMINVS.

HENRICVS Anuillius, Annæ Momorancij Ducis filius, in prælio ad Druidum vrbem commiſſo magnum de ſe virtutis, & roboris ſpecimen dedit. Cum enim patrem iam captum, & aciem Regiorum inclinare vidiſſet, ac Condæum Principem auctis iam ſuorum animis pro victore ſe gerere animaduertiſſet, ipſe facto cuneo in peditatum iſtius irruit, neq; antè pugnandi finem fecit, quam via armis facta in ipſum inuectus, equo globi ictu vulnerato Principem cęperit. Non enim dubitauit, quin ex permutatione parens pro eo facilè dimitteretur, quod & factum eſt. Adeò obfirmato animo prælium continuauit, vt à perſequendis hoſtibus vix multa nocte in caſtra redierit. Anno ſupra Seſquinille Septuageſimo ſecundo Anuillius à Rege Carolo Nono ad Nemauiſi occupationem miſſus, Vtticam Curſolenſis, ditionis oppidum fruſtra tentauit, arcem verò Sangenicæam deditione, Caluiſſonem vi expugnauit. Hinc antequam Nemauſum pergeret, Sommieram capere prius ſtatuit ciuitatem Montipeſſulano vicinam. In hac obſidionę, etſi mænibus lata ruina ſtratis impetum in eam vrbem ſæpius faceret, nihil tamen ad rei ſummam efficere potuit, cum propugnatores fortes, & animoſi quotidiana à ſuæ factionis hominibus auxilia acciperet. Tandem verò cum & ipſe recentibus potitus eſſet ſuppetiis, poſtulato ab oppidanis colloquio ciuitatem deditione cæpit. Poſthac copijs per oppida diſtributis à bello quieuit, donec audita fratris captiuitate, inſidias ſibi ſtrui admonitus, arreptis iterum armis Montempeſſulanum, Bellocayrum, Lunellum, & Pezenacum occupauit, quorum vltimum mox amiſit proditione Tribuni, cui illud & filiolam bimam commiſerat. Carolo Rege mortuo, cum aduentus Henrici Tertij expectaretur, Anuillius medium ferè ſeſe inter vtraſq; religionis factiones gerens, ſuſpitione magna defectionis laborabat, cumq; frater adhuc captiuus detineretur, pacta nonnulla cum Regis hoſtibus inijt, quorum præfectus, à Regijs ad pacem ſollicitatus, operam dedit, vt æquæ pacis conditiones inter vtroſq; confirmarentur. Id cum ſuccederet, Anuillius Sangillium Occitanę oppidum expugnauit, deinde Aquas Sextias ſalis prouentu ditiſſimas per ſuos cepit. Hinc cum Condæo de pace legatos ad Regem miſit, qui re infecta redierunt. Morbo inſuper correptus, qui veneni ſuſpitione non caruit, cum mortuus diceretur, paucos intra dies conualuit. Galliæ Narbonenſi præfectus, poſt fratris obitum Ducis titulo ac Mareſchallatus dignitate inſignitus eſt.



ANNAS
MOMORANCIVS.

ANNAS Momorancius Baro ex illuſtri, & perantiqua Momoranciorũ ſamilia progenitus, cum anno Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo primo Meſoriæ ab exercitu Caroli Quinti obſiderentur hæc prima arma tulit, in quibus defendẽdis, Galliarum Regi Franciſco primo Valeſio bonam, & fidelem operam nauauit. A quo tempore multis bellis interfuit, cum in Italia, tùm in Gallia, & multis pacificationibus, nec vllum ferè grauius fuit regni negotium, cui non adhiberetur. Cum Carolus Quintus per Galliam Narbonenſem magno exercitu penitius in Galliæ regnum irrumpere moliretur, Momorancium Rex delegit, quem ei opponeret, ſuumq; aduerſus tàm potentem hoſtem legatum conſtitueret. Indè rebus feliciter geſtis in Belgium traiecit, vbi etiam Regio præfuit exercitui, ſed mox eius authoritate pax coiuit. Anno Milleſimo Quingenteſimo Triceſimo octauo ſingulari fauore ad ſecundam illam ab Rege dignitatem Coñeſtabilatus, quem toto abhinc quindecennio pòſt Caroli Borbonij deceſſum vacantem (quamlibet multis ambientibus Rex nulli tamen detulit, aſſumptus, tertius ſuæ ſtirpis eius dignitatis compos factus eſt. Diu Regi Franciſco vixit gratiſſimus, ſub finem tamen (vt ſunt rerum humanarum vices,) faſtidio quodam animi beneuolentia regia planè excidit, arguebatur enim, quod ipſe Imperatorem Carolum ab Hiſpania vſq; per mediam Franciam tutum ad Belgas traduxiſſet. Momorancius autem, quia ſe curiæ odioſum eſſe videbat, priuatim deindè de ſuo viuens extra aulam latuit. Franciſco è viuis ſublato & regno ad Henricum ſecundum deuoluto, hic Momorancium, cui plurimum confidebat, ſtatim ceu poſtliminio reuocatum, non modò priſtinæ dignitati reſtituit, verumetiam maiori beneuolentia. & honorificentia, quàm pater feciſſet, proſecutus eſt. Quo in faſtigio Momorancius multa præclarè geſsit. Anno enim Quadrageſimo octauo cum per Aquitaniam vniuerſam maximè apud Burdegalam ſeditio enata eſſet, vbi non ſolùm ciuitatis ſtatus à concitata multitudine immutatus, ſed etiam Triſtanium Mænium Regis in ea Prouincia Vicarium interſeciſſent, Momorancius cum exercitu eò miſſus, nullo ferè labore Burdegala potitus eſt, in capita ſeditionis ilicò animaduertit, deniq; vniuerſam plebem eò adegit, vt ſolis vnguibus & digitis humum à tumulo Triſtani euellerent, atq; cadauer effoderent. Non diù abhinc Lumoſium ingentem & firmam arcem Moſæ impendentem obtinuit, indè retrò ad Guiſanum agrum exercitum duxit, vt depopulatione Picardica Belgas prohiberet. Poſt in Hannoniam deflexit, ac primo curſu Telonem, caſtrum minimè infirmum inuaſit, quo tormentis conquaſſato, vi & inſultu militum capto, miſeranda defenſorum occiſio ſecuta, & munimentum illud incendio, ac vaſtatione ſubuerſum eſt. Poſt Heſdinenſis oppidi arcisque per Allobrogum Ducem & Philippi Hiſpaniarum Regis ſupremum exercitus Imperatorem expugnationem, cum idem ad Dorlenij occupationem animum adieciſſet, iamq; in Rhemos iter faceret, Momorancius à Rege, vt Allobrogis conſilium interuerteret, tranſituq; eum prohiberet, prę miſſus eſt, qui Somonã traductis copiis, ſimulatq; in Cęſarianorum venit conſpectum, collocatis inſidiis repentè claſsicum cani iuſsit. Prælium ſanè anceps, acrè, & longum multis vtrinq; deſideratis extitit, Præmeditatus autem prius ſtrategemate hoc potius quam virtute vicit, ac Cæſarianorum plures, in hisq; Areſcotanum regulum cepit. Cum ſancti Quintini fanum, per Allobrogem obſideretur, Momorancius delecto comitatu ſtipatus, ſub ignoti hominis perſona caſtra diligentiſsimè explorauit, qui poſtquam comperit equitatum omnem in citeriore amnis ripa conſiſtere, & trans Sabim paucas admodum diſpoſitas eſſe peditum ſtationes, conſilium rei egregiè gerendæ, ac ſpem bonam cepit. Biduò igitur Momorancius omnes copias & tormenta cum omni neceſſario apparatu ad deſtinatum inſidiis locum adduxit, deindè ſummo manè in aduerſa fluminis ripa conſtitit, cum iamq; Dandelotus in optatam peditum ſtationem deueniſſet. Cæterũ ſtratagemate illo Gallicano animaduerſo, Hiſpanienſes reliquos tranſitu facilè prohibuerunt, & dicto citius Sabim traijcientes, receptui canentem ac terga vertentem hoſtem proſecuti ſunt, quem tanta inceſsit trepidatio, vt immoderata tentatio fugæ magnam confuſionem præbuerit, ita vt perturbatis ordinibus Gallorum inmana cædes facta fuerit, multiq; ſummo loco nati interfecti, alij capti, inter hos etiam Momorancius Gallicani exercitus ſummus Dux cum duobus filijs. Inſtituta poſteà pacis tractatione inter duos Reges ſoluta redemptionis nomine ingenti pecunia dimiſſus, pacis actionem abſoluere iuuit. Conſecuta poſteà Henrici Regis morte atque ex hac mutatione Regni, & huius potito Franciſco ſecundo, Momorancius non ſolum rei ſamiliaris iacturam, verumetiam exiſtimationis diminutionem, ignominiamq; paſſus, ad otium, & priuatos lares ſe recepit. Franciſco Secundo mortuo, & regnante Carolo Nono, reductus in aulam, bellis illis inteſtinis ſpectatiſsima fide à cauſa Regia ſemper ſtetit. Ad vrbem Druydum commiſſo prælio, ipſum & ex alterius partis ſummũ Ducem Principem Condæum captum vtrumq; facta permutatio liberauit. Aliquantò pòſt denuò collatis ſignis pugnatum ad Diuum Dionyſium eſt, Condæo hoſtium ductore, atq; Momorancio Regiis copiis præpoſito, qua in pugna dum ſibi Momorancius nõ parceret, maioremq; officij, quam ſalutis rationem haberet, acceptis pluribus vulneribus, deniq; glande plumbea traiectus annum agens octogeſimum occubuit, poſt quinq; Regibus nauiter acerrimeq; pręſtitam operam, ob quam etiam primus ſuæ ſamilię Momorancij Ducis titulum promeruit. Hunc Rex cum luculenta funerali pompa, cui etiam Alenconius Regis frater interſuit condiri curauit.



GVLIELMVS
IVLIÆ,
CLIVIÆ, ET MONTIVM DVX.

GVLIELMVS Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Dux, Comes Marcæ, & Rauenſpurgi, Dominus in Rauenſtain &c. Ioannis Tertij pacifici Cliuiæ Ducis, & Marcæ Comitis, ac Mariæ Iuliæ & Montium Duciſſæ filius, anno Chriſti M. D. XVI. v. Kalend. Auguſti in arce Cliuenſi natus eſt. Quem anno Chriſti M. D. XXXVIII. Barones, Nobiles, & Status Ducatus Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ ſciente & volente Carolo Egmondano tunc temporis earum ditionum poſſeſſore tanquam legitimum hæredem & dominum ad gubernationem vocarunt, eiq; iuramentũ fidelitatis præſtiterunt. Qua poſſeſsione accepta mox obiit Carolus Egmondanus, ſed ea re Carolus Quintus Imperator, vtpote, qui ſuæ Maieſtati ius in illis Prouincijs competere aſſerebat turbatus, moriente etiam anno M. D. XXXIX. ix. Febr. Ioanne Ducis Gulielmi parente non leuia offenſionis ſigna Inueſtitura feudorum Duci Gulielmo denegata oſtendit. Vndè Caroli Quinti Imperatoris frater Ferdinandus tunc temporis Rex Romanorum maiores turbas in Imperio timens, Duci Gulielmo, vt Gandauum, vbi tunc Impeartor agebat, veniret per Henricum Ducẽ Brunſuicenſem perſuaſit. Verum quia tranſigi non potuit, re inſecta inde diſceſsit Gulielmus, quæ poſteà ſæpius apud Status Imperij tractata, & libris impreſsis vtrinq; defenſa ad aliquod tempus ſuſpenſa fuit. Interim anno M. D. XLI. decima tertia Iunij contrahit Dux Gulielmus Chaſtelerandi matrimoniũ cum Iohanna Henrici Albretani Regis Nauarræ, & Magaretæ Valeſiæ Franciſci Primi Regis Francorum ſororis, ipſo Rege hoc maximè vrgente filia contraxit. Bello poſtea inter Imperatorẽ & Francorũ Regem anno M. D. XLII. ſuborto, & Gallis omnia penè, quæ in Ducatu Luzemburgenſi occupârant, relinquentibus, Cæſariani inopinatò Ducatum Iuliæ Duce Gulielmo & ſubditis nihil hoſtile timentibus inuaſerunt, ferro & igne omnia latè vaſtarũt, ac plurima in ſuam poteſtatem redegerunt. Sed parua mora interiecta Dux Gulielmus conſcripto ſuarum ditionum milite, exceptis Marcoduro. Heinsberga quam tentauit & Suſteren vrbibus: quæ validis Cæſarianorũ præſidiis tenebantur: omnia recuperauit, ſubſidium Marcoduranis à Cęſarianis miſſum in agro Aldehouenſi oppreſſit, & menſe Decembri aſperrima hyeme Cæſarianos Marcoduri agentes aliquot diebus obſeſſos libero ipſius arbitrio ſe dedere coëgit Indè pace rurſus ſed fruſtra initio Anni M. D. XLIII. per Electores & Landgrauiũ Haſſiæ tentata, Cæſariani ingentè militũ numero Ducatum Iuliæ rurſus mundauerunt, Sed pridiè paſchatis in conſpectu vrbis Sittardienſis Ducis Gulielmi auſpiciis cæſi & fugati ſunt, numerata ſunt Cæſarianorũ in loco prælij occiſorum Mille quingenti, captiuorum Mille ſexcenti, cum Dux è ſuis ſeptemdecim equites & quindecim pedites amiſiſſet, capti autem eſſent viginti ſex ſaltem. Prædà omnis Duci ceſsit, in qua præter cætera octodecim tormenta bellica, octodecim peditum & quatuor equitum inſignia fuerunt. Adulta æſtate Imperator Carolus ingenti exercitu ex Italia in Germaniam venit, & cum ſumma indignatione ſtatim Ducatum Iuliæ inuaſit, vbi primuni Marcodurum poſt multos oppugnationes vi & cruenta victoria cepit ac diripuit deindè alias aliquot vrbes deditione occupauit, ac mox Venlonam Ducatus Geldriæ oppidum ſatis firmis præſidiis munitum obſidione cinxit, at Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis, & Ducis Brunſuicenſis conſilio Dux Gulielmus vſus Venlonum ſupplex venit Ducatu Geldriæ & Comitatu Zutphaniæ ceſſo pacem cum Imperatore fecit. Quia autem poſtea Duci Gulielmo Regis Nauarræ filia quam Franciſcus Rex Galliæ per Cardinalem Bellaium ipſi adduci voluit, attamen cùm eſſet in itinere & iret inuitiſsima allato nuntio ſponſum à Cæſare ſubiugatum profectione & matrimonio abrupto non deducebatur, declaratione S. D. N. Pontificis duxit in comitiis Ratisbonenſibus anno Chriſti M. D. XLVI. tertia Iulij Mariam Ferdinandi Regis Romanorum filiam, ex qua procreauit filios duos, Carolum Fridericum Romæ magno ſuorum dolore anno M. D. LXXV. mortuum, & Iohannem Gulielmum, qui nunc rerum potitur, filias verò quinq; Mariam Leonorã Alberto Marchioni Brandenburgenſi Pruſsiæ Duci. Annam Philippo Palatino Duci Neuburgenſi, Magdalenam Iohanni Palatino Duci Bipontino, Sibillam Carolo Auſtriaco Marchioni Burgouiæ, nuptas, & Eliſabetham, quæ in teneris obiit. Electus eſt Dux Gulielmus anno M. D. LIV. Dux circuli Jmperialis Rhenani Inferioris & Weſtphalici, cui paruo tempore intermiſſo præfuit vſq; ad finem ætatis. In quo cum Comes Ridbergenſis conſtitutionibus Imperij minus obedientem ſe præberet, anno M. D. LVIII. eundem capta ipſius arce in ordinem redegit, & Ericum Ducem Brunſuicenſem cõtra quoſdam illius Circuli Status bella mouentem proprio & Statuum nomine milite conſcripto anno M. D. LXIV. Prouincia excedere coëgit. Munitiſsimæ arcis & fortalitij Juliacenſis, nec non diuerſorum propugnaculorum in Duſſeldorff, Orſoij, Hensberg &c. extructione ex proprio ærario ſine ſubditorum oppreſsione impendit, auiti nominis ſplendorem immortali gloria nunquam obliteranda decorauit. Anno M. D. LXVI. in Comitiis Auguſtanis primum, & poſteà ſępius in Aplopexiam incidens, cæteris membris integer, linguæ expeditum vſum quodamodo amiſit. Jn multis grauiſsimis Jmperiis negotiis nihil non laboris & ſumptuum pro pace publica conſeruanda impendit. Extrema ætate multa per vicina bella Belgicum & Colonienſe ſuos pati vidit, quę vt voluit amore pacis publicę, & ne bellum latius in Imperio propagaret auertere nonpotuit. Mortuus eſt Anno M. D. XCII. Nonis Januarij, vixit annos LXXV. menſes tres, dies octo. Præfuit ſu s poſt mortem Iohannis patris annos LII menſes vndecim Duſſeldorpij ſub inſigni marmoreo Epitaphio ſepultus.



CAROLVS
BORBONIVS.

CAROLVS Secundus Dux Borboniorũ octauus,
Conneſtabilis Franciæ Gilberto Montpenſerij, & Auer-
niæ comite patre & Eleonora Gonzaga filia Friderici Mar-
chionis Mantuani matre generatus eſt. Gilbertus à Carolo octa-
uo Rege Franciæ Neapoli Prorex relictus, & Gallici exercitus Im-
perator Neapolitano victus bello, ex dolore rei malè geſtæ apud Baias fato functus, reliquerat
hic præter hunc Carolum, Ludouicũ, qui cum patris ſepulchrum inuiſeret, tanto dolore correptus
eſt, vt cum lachrymis animam ad hoc ſepulchrum exhalarit, & Franciſcum Heluetio prælio in con-
ſpectu fratris occiſum. Carolus autem opulentę hæreditatis compos, & Conneſtabilis à Rege appella-
tus, qui honos militaris in Gallia ſummus habetur, procerum omnium longè clariſsimus euaſit, vtpote
qui domi, & foris ſplendidus, authoritate, gratia, opibus reliquos regij ſanguinis principes anteiret. Abdu-
ana acie, quum extraordinariis Gallicæ nobilitatis equitibus præeſſet, & apud Mediolanum, quum eam vr-
bem aduerſus terribilem Maximiliani Cæſaris aduentum conſtantiſsimè defendiſſet, bellicam laudem ſibi
non obſcurè peperit. Cum Ludouica Regis mater ei grauem litem intenderet, ereptura aliquot caſtella, ma-
lignitate ſenatorum in ea cauſa ius dicentium, eò acrius incubuit Ludouica, quod ſe ſpretam à Carolo cre-
deret, cui ſe ad connubium fruſtrà obtuliſſet, vt ætate adhuc florens vidua, florentiſsimæ ætatis, nobiliſsi-
mæq; ſtirpis viri coniugio potiretur. Hæc contumelia muliebri in animo ita præaltas iecit ſæui odij radices,
vt nec Rex ipſe procliuis in obſequia matris litem directurus exorari potuerit, quanquam poſt dijudicatam
litem eius controuerſiæ arbitrum ſe fore profiteretur. Quę conditio grauiſsima ideò viſa eſt Borbonio, quod
nihil ſibi ad æquitatem vel iura cauſæ, vel iudicum ſtudia reſponſura crederet, ſi damnatus à properato iu-
dicio, ex clementia tantum Regia commodum expectaret. Itaq; indignabundus cum quibuſdam illuſtribus
viris Cæſari Carolo Quinto Gallorum hoſti adhærere conſtituit. Sed Franciſcus Rex incomparabili beni-
gnitate, detecta coniuratione, Borbonio ad genua prouoluto ita pepercit, vt adduci non potuerit ad creden-
dum Borbonium à ſe defecturum. Atqui non multò poſt Borbonius ſimulato morbo, quum Regia caſtra
ſubſequi iuberetur, diuerſo itinere, & mutato habitu cum paucis in Sequanos perfugit, atq; Cæſarianis par-
tibus ea conditione ſe addixit, vt ei Cæſar Leonoram ſororem, quæ Emmanuelis Luſitaniæ Regis vxor fue-
rat deſponderet. Tranſiuit demum in Jtaliam, atq; indè cum valido exercitu in Prouinciam irrupit, conſpe-
ctaq;, & vix tentata Maſsilia repulſus eſt. Exindè tranſeunte in Italiam Rege, cum copiis quas pro ſalute pa-
triæ coëgerat, Ticinenſi prælio, quo Rex captus eſt interfuit in quo Galli vindictæ auidi, vnum antè alios
Borbonium, vti Regis & gentis deſertorem omnibus pugnæ locis fruſtrà requirebant, cum ille ad tutiorem
promptitudinem familiari ſuo traditis inſignibus, tunicati, & priuati equitis habitu depugnaret. Ferunt Re-
gem Borbonio ad genua proclinato, & dexteram appetenti, nequaquam ſeſe irati, ſed cuncta æquiſsimo ani-
mo ferentis habitu præbuiſſe, ipſum verò Borbonium demiſſo vultu haud dubia dediſſe pudoris, & pœni-
tentia ſigna. Sperauit Borbonius Cæſarem Mediolanenſis Imperij dominatum ſibi, tanquam ſororis dota-
lem, eiecto Sfortia eſſe conceſſurum. Verum Carolus Lanoius qui vices Cæſaris gerens, intimi illius conſilij
erat gnarus, decepto Borbonio regem captiuum in ſpem promerendæ libertatis in Hiſpaniam abduxit. Qua
inopinati facti nouitate Borbonius vſque adeò commotus eſt, vt ſtatim & ipſe in Hiſpaniam enauigârit, &
apud Cæſarem, ſe qui victoriæ ſocius extitiſſet, ingratè contemptum quereretur, Lanoiumque malignitatis,
& impudentiæ probro compellatum ad ſingulare certamen prouocaret. Verum Cæſar ita rixantes diremit,
vt, quæ Lanoius feciſſet, publico commodo ſuoq; iuſſu feciſſe teſtarétur. Nec diu pòſt cum Rege de eo dimit-
tendo Cæſar pecunia tranſegit, ad confirmandasq; noui fæderis pactiones, ſororem anteà dubijs verbis Bor-
bonio promiſſam Regi tum cælebi connubio iunxit, quo nihil amarlulentius Borbonio accidere potuit. Se-
cuta poſtea Cęſaris cum Rege conciliatio, ſuſpecta Italicis Principibus fuit, quaſi coniuràſſent, & cunctis iu-
gum imponere cogitarent. Sed eam ſuſpicionem non temerè conceptam Rex opportuniſsimè detexit. Per-
ſoluto namq; auro, & liberis obſidibus datis, his quas præſcripſiſſet conditionibus tanquam iniquiſsimis, &
impotenter extortis ſe minimè ſtaturum profeſſus eſt, quaſi optimo iure liberatus videri poſſet, qui au-
reæ monetæ ducentas myriades Cæſarianis cuſtodibus, quum liberos etiam daret obſides, adnumeráſ-
ſet. Itaq; Itali Principes, liberæq; ciuitates, ſeruitutis nutu ad arma conſternatæ, in Cæſarem Ciſalpi-
næ Galliæ Imperio Sfortiam excludere conantẽ, authore Clemente Septimo Pontifice eò fidentius
arma verterunt, quòd ipſi ſibi affuturum Regem intelligerent. Eius verò belli is exitus fuit, vt
fruſtra obſeſſo à fæderatis Mediolano Cæſariani victores arce potirentur, & ex aduerſo Lau-
dem Pompeiam, & Cremonam ab hoſtibus fortiter expugnatam amitterent. Cæterum au-
cti quatuor Germanorum legionibus Borbonio Duce ingenti curſu ſuperato ad Areti-
nas alpes Apenino, ad vrbem Romanam inuadendam conuolârunt Pontificeque per
inducias decepto, imparatoq;, primo appulſu per Vaticanum vrbem contra O-
beliſcum, vbi mænia humilia, & vetuſtate collapſa facilem præbebant adi-
tum, facilimè irruperunt. Dux verò ipſe Borbonius dum ad caſam
muro coniunctam ſcalas apponi iubet, craſsiore glande
traiectus in limite victorię ſuę occubuit.



FRANCISCVS
MARIA FELTRIVS, VRBINI DVX.

FRanciſcus Maria Feltrius, Tertius Vrbini Dux, Ioanne Rouereo patre Senogalliæ domino, & vrbis præfecto, & Iohanna Friderici Vrbinatium Principis filia genitus, adoptari in Feltriam familiam à Guidone Vbaldo auunculo, cui fata prolem denegârunt, Principatus hæres ſcribi meruit, ſic, vt vim atq; expeditum robur paterni generis, & efficacem bello prudentiam optimisq; conſtitutam legibus bellicoſæ Feltriæ domus diſciplinam egregio temperamento miſcuiſſe credi poſsit, vt ſeſe ad præclariſsimum militiæ decus efferret. Adoleſcens namq; ita tyrocinij arma induit, & exuit, vt penè prius quàm miles Iulij patrui Pontificis copijs Dux ſummus præficeretur eo bello, quo Ceruia, atq; Rauenna, & Ariminum, atque item Fauentia poſſeſſa à Venetis Pontificio Imperio ſunt reſtitutæ. Nec multò pòſt conuerſis Iulij ſtudijs bellum Gallicum eſt exortum, per cauſam indicti Concilij, quod ad Pontificis authoritatem funditus conuellendam Rex Gallus ſuſceperat. Eo bello Feltrius impar viribus à Triuultio ſummo Gallici exercitus Imperatore ſic fuſus eſt, atq; exutus caſtris, vt ipſa Bononia malè ipſam tuente Alidoſio Cardinale, Bentiuolis veteribus tyrannis traderetur. Non tulit cõtumeliam Feltrius animo generoſus, atque inter deleti exercitus, & amiſſæ vrbis dolorem Alidoſium ipſum tanti mali authorem oblatum apud Rauennam ſua manu trucidauit. Quod facinus in ſacratum hominem tanquam ex eius malignitate non immeritò editum vſq; adeò Pontificem alienauit, vt Feltrius Galliæ Regis auſpicia ſequi cogitaret. Verum in Iulio aliquantò pòſt illa exardens ira deferbuit, quum poſt aduerſum Rauẽnate prælium Gallis Italia pulſis ingenti victoria potitus eſt. Nec Feltrio veniam petenti ſtudioſi ſuffragatores è Senatu defuerunt, quibus in gratiam Pontificis ita reſtitutus eſt, vt Piſauri Dominatu indulgentia & liberalitate patrui Pontificis donaretur. Sed Leone decimo ad Pontificatum euecto, contrà, ac rebatur, multis de cauſis ſæuum hoſtem expertus eſt, cùm ille Laurentium fratris filium Vrbinatium Principatu honeſtandum arbitraretur, quod tamen vel ab ambitioſa importunaq́ue fæmina Alfonſina Laurentij auidi Iuuenis matre, niſi poſt mortem Iuliani Leonis fratris, qui erat multis nominibus Feltriæ Domui coniunctus, impetrari potuit. Itaq; Leo profana & ſacra arma expediens imparatum immiſſo exercitu, cui præerat Rentius Ceres tota Vmbria atq; Piſauro expulit, non ſecus ac Borgia Cęſar Guidonem Vbaldum eiecerat. Verum Feltrius non multò pòſt coactis in vnum validiſsimarum gentium auxiliis, quæ confecto Veneto bello à Gallicis ducibus dimittebantur, vſq; adeò graui impetu, quæ amiſerat, recuperauit, vt Pontifici & Florentinis magnum terrorem incuteret. Feltrio enim aderant & ſtudia militum, & populòrum voluntates, & ingens animus cunctis militiæ laboribus atq; periculis par, quo Metauro amne pedibus ſuperato, quum ipſe Hiſpanorum ordines pręiret, & propemodum armatus & pedes enataret, Pontificius exercitus triplo maior ad primum hoſtis conſpectum reformidata pugna in diuerſa ſe recepit. Exinde Pontificij nuſquam ferè vti multi affecti incommodis Feltrianos ſuſtinuerunt, ac, niſi Leo magnis propoſitis pręmiis quoſdam Hiſpanorũ Præfectos corrupiſſet, & Vgo Moncada Cæſaris nomine vniuerſos, vt Feltrium deſererent, induxiſſet, graue profectò vulnus Leo ſubiiſſet. Eo modo proditus atq; deſertus Feltrius fortunæ iniquitatem ea animi magnitudine tulit, vt vbiq; Leonis hoſtes quæreret, exortoq; Gallico bello ad Lotrechium ſe conferret, apud quem alienæ virtutis præcepta faſtidientem ſic egit, vt ille neque manu, neque conſilio ipſius Feltrij vſus, Mediolano à Cæſarianis & Pontificijs pelleretur. Cæterum in ea victoria Leo mortem obiens inexpectatam Feltrio recuperandi dominatus occaſionem dedit, propenſiſsimaq́ue hominum voluntate in Vmbria tanquam legitimùs, & exoptatus diu Princeps receptus eſt. Hæc tanta bellorum incommoda eum vſq; adeo nauiter erudiêrunt, vt aucta, & confirmata virtutis opinione, ab ipſis Florentinis, qui dudum hoſtes fuerant, tùm demum à Venetis ſummum militaris Imperij decus promeruerit. Veneti autem exercitus factus Imperator, vti tempora, & prudentiſsimi Senatus mores flagitabant, veterem ſuum pugnacis ingenij ardorem ſalubri iuſtæ & cautæ grauitatis temperamento moderatus eſt, quum ei robuſtiſsimæ externarum gentium, & inuictæ legiones ſuſtinendæ potius cunctando, quàm prælijs laceſſendæ viderentur. Exiſtimabat enim Feltrius ſe ſatis fortem vereq; vtilem Reipublicæ operam laturum, ſi nihil amitteret, & nihil prælij aleæ, qua vinci poſſet, ſubijceret, ludificaretur hoſtis impetum muuitiſsima caſtra metandi ratione, & extraordinarijs præliis commeatu, atq; pecunia indigos perpetuò fatigaret, quum vniuerſo prælio, ſi opus foret, certaturus videretur. His artibus contrà ac aliquis exiſtimabat, qui temerè externarum gentium vim contundi, ac ſuperari poſſe putabant, ſummo ipſius præconio Italia omnis ſeruata eſt, partusq; Sfortiæ paternæ ditionis Principatus, inuecta pace tranquilla, in qua Feltrius ſupremis cogitationibus nihil prius expetebat, quàm vt in Turcas Chriſtiani orbis hoſtes iuſta, atq; inſuperabilia arma verterentur, quemadmodum etiam Sanctiſsimi fœderis, quam Cruciatam appellabant, ſupremus Dux conſtitutus erat. Sed in hac honeſtiſsima cogitatione ereptus eſt, nõ fato quidem ſuo, ſed malignitatè quorundam, qui ei venerum miſceriiuſsiſſe feruntur. Obiit Piſauri anno M. D. XXXVIII. ſepultus Vrbini ad S. Claram, relictis ex Leonora Gonzaga Hypolita, quæ fuit vxor Antonij Arragonij Ducis de Montealto, Iulia, Alfonſi Ateſtini, & Eliſabetha, Alberici Cibonis Marchionis de Maſſa & Carrara coniugibus, filiabus Friderico mortuo infante, Iulio Cardinale, & Guidone Vbaldo in Principatu ſucceſſore, filijs.



FRIDERICVS GONZAGA.

FRIDERICVS Gonzaga Marchio Mantuæ Tertius(qui propter artem militarem, ſingularem in ea prudentiam, magnanimitatem, robuſtiq; corporis vires Turca cognominatus fuit) Ludouici Gonzagæ, & Barbaræ Marchioniſſæ Brandenburgenſis filius, vix adoleſcens factus aduerſam fortunam expertus eſt. Patris enim voluntati (qui vt Alberti Bauariæ Ducis filiam in vxorem ducerer) exigebat minus obſequens, militiam enim potius ſequi, & patris veſtigiis inſiſtere iam animum induxerat in maximam eius indignationem incidit, ita, vt iratus pater filium carceri includendum ſtatuerit. Mater vt patris iræ cederet, donec mitigaretur, & aliorſum ſe ſubduceret filio perſuaſit. Fridericus igitur cum ſex miniſtris Manrua exceſsit. Propter quem abitum Ludouicus adeò excanduit, vt illum quaſi proſcripſerit, ac grauiſsimam pœnam illi quicunq; filium reciperet, & foueret minaretur. Hoc vbi Fridericus cognouit, cum ſuis miniſtris ad diuerſa loca commeans, tandem Neapolim appulit, poſtquam omnem pecuniam conſumpſiſſet. Sed præ patris timore innoteſcere nolens, inopiæ incommoda patiens in diiſenteriam incidit. Miniſtri ſubſidij, quo vitam tolerarent, & arte, qua victum honeſtè acquirerent, ſe baiulorum vilibus operis dediderunt, ac quotidiana mercede herum in pauperculæ domo hoſpitantem latentemque ſuſtentarunt. Mater de filij ſalute ſollicita, nuncios pro inquirendo filio in varias regiones ablegauit, qui tandem & ipſi Neapolim venerunt, hi agnitis Friderici ſeruitoribus, hoc Regi Ferdinando huic Marchioniſſæ literis redditis ſignificârunt. Rex exilij cauſa cognita, Fridericum valetudinarium in regiam ferri, à Medicis curari, & regis inſtar tractari iuſsit. Indè pecunia, & omnibus ad iter neceſſariis inſtructus in patriam rediit, & matris opera patri reconciliatus eſt, ſtatimq; nuptiæ cum Bauariæ Duciſſa Margarita, Alberti filia ſumptuoſiſsimè celebratæ, perpetua poſteà inter patrem, & filium conſtitit charitas & concordia. Mortuo patre, à Sforria Mediolani Duce in bellica imperatoria dignitate, quam pater anteà geſſerat confirmatus eſt, illi tempore pacis triginta ſex millia, belli verò ſeptuaginta duo millia aureorum pro annuo ſtipendio aſsignata fuerunt. Tremendum erat Friderici nomen hoſtibus, Heluetij enim Comum verſus exercitum ducentes, cum Legnanum obſediſſent, Friderici aduentu, vt ea loca defenderet conſternati, obſidionem ſoluerunt, & inſectare domum reuerſi ſunt. Cum inter Sixtum Quartum Pontificem, & Iulianum Laurentiumq; Medicæos fratres occultæ quædam ſimultates gliſcerent, atque de fratribus è medio tollendis, immutandoque Florentinæ Reipublicæ ſtatu non inſcio Pontifice actitatum eſſet, & cædis conſilium Iuliano tantum neſariè occiſo pro voluntate minus ſucceſsiſſet, quod dolis, perfidia, & inſidiis effici nequiuerat, id vi, ac aperto demum bello Pontifex tentandum curauit. Laurentius Iuliani frater ad ſui defenſionem exercitum parans, à Sfortia iure fœderis auxilia petijt, fidemq; Veneti Senatus implorauit. Hercules igitur Ateſtinus Ferrariæ Dux. Venetorum, & Fridericus Sfortiæ nomine in Hetruriam cum delectis copiis contenderunt. Ad Traſimenum lacum Pontificis copiæ profligatæ, Robertus Sanſeuirinus Pontificius dux in Lunenſem agrum fortiter repulſus, Caſolum in Senenſium territorio ſitum expugnatum. In Caſtris autem loco, quem Puteum Imperialem vocanr poſitis, ſimultas inter Ateſtinum & Gonzagam exarſit, opera tamen legati Veneti, & Florentinorum conciliata, & Ateſtinus cum ſuis domum reuerſus eſt. Hæc res ſicuti exercitum in partes deduxerat, ita poſteà Calabriæ Duci Alphonſo, Fridericoq; Vrbinati Pontificias partes iuuantibus pugnæ ſeliciter cum Florentinis commiſſæ occaſionem præbuit. Fridericus autem Gonzaga coniunctis cum Roberto Malateſta Arimini Regulo viribus bellum proſequens, in Peruſinum agrum exercitum duxit, multis locis occupatis damniſq; illatis ad Peruſiæ portas vſq;, cum maximo ſuo honore, & Florentinorum commodo excurrit. Anno Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimò ſecundo cum eodem Friderico Vrbinate Hoſtilias reuerſus, Herculi Ateſtino contra Venetos auxilium tulit, in qua expeditione nullis laboribus, periculis, nec ſumptibus pepercit. Sequenti anno pòſt continuato inter Venetos & Ateſtinum cruento bello, Sixtus Quartus Pontiſex mutato conſilio, cum Ferdinando Neapolitano Rege, Mediolanenſium Duce, & Florentinis ſœdus contra Venetos fecit. Ferdinandus Alſonſum filium cum duobus millibus militum Ferrariæ Duci in auxilium miſit. Quo exercitu Ferrariæ relicto, vt maioribus virib⁹ contra Venetos bellum gereretur, Mantuam, & indè Mediolanũ profectus, vt Cremonæ Iraliæ Principum conuentus fierent procurauit, vbi in Friderico ſiugularis prudentiſsimi conſilij enituit excellentia, ipſiq; totius belli adminiſtratio commiſſa ſuit, Venetis in Brixiano, & Veronenſi territorio maxima damna paſsis. Sanſeuerinus ſummus Veneti exercitus Imperator ſe inferiorem, quam vt cum fæderatis pugnam committeret, agnoſcens, in caſtris egregiè munitis ſe continuit. Villaſranca poſteà, & Acedum expugnatum Fridericoq; traditum, quod tamen poſt ipſius mortem Mediolanenſium Duci reſtitutum eſt. Fuit Fridericus illuſtri in bello prudentia, & magnanimitate inſignis, in ſubditos & ciues ſuos adeò beneficus, vt eorum inopiam ſua liberalitate abſque vllo emolumento priuato ſubleuauerit, otium ſummopere deteſtatus eſt, bonos, & virtutibus præditos ſumma benevolentia, externos maximo honore excepit, & magnificè tractauit. Vrbem ſuam legibus optimis ornatam, atq; optima pace florentem reliquir. Tandẽ multis illuſtribus, fortibusque factis clariſsimus, obiit anno Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo quarto, Tertio Idus Iulij Mantuæ ad Sanctum Franciſcum accubat.



MAXIMILIANVS SECVNDVS ROMANORVM IMPERATOR.

MAXIMILIANVS ſecundus, Romanorum Imperator, Hungariæ, Bohemiæque Rex, Ferdinandi Auguſti, & Annæ Hungariæ Bohemiæq; Reginæ primogenitus, egregijs cùm animi, tùm corporis dotibus excelluit, multumque apud Germaniæ Principes, ac Dynaſtas authoritate, & efficacia valuit. Prima militiæ tyrocinia ſub Carolo Quinto Cęſare patruele auſpicatus, bello Germanico, vulgò Schmalkaldico nominato, in quo Joannes Fridericus Saxoniæ Dux, & Sacri Romani Imperij Elector, captus eſt, duobus equitum millibus præfectus interfuit. Sedatis Germaniæ turbis, ab eodem Carolo in Hiſpaniam cum poteſtate adminiſtrationis eiuſdem Regni miſſus, Mariam illius filiam anteà ſibi deſponſatam in vxorem duxit, atque, nuptijs ibidem celebratis, in Germaniam reuerſus eſt, ſtatimq; à patre contra Iohannem Sigiſmundum Tranſſyluaniæ Principem (qui de Solymanni erga ſe, in tradendo Hungariæ regno liberalitate magnam ſpem conceperat, iamq; Ferdinando ritè electo præcipere coronam aggraſſus promiſsis innumeris, vt à quibuſdam Rex crearetur, obtinuerat) cum exercitu paratiſsimo, vt illius molitionibus obuiaret, deſtinatus eſt. Sed Ioannes cum rectà Budam obſeſſurum intellexiſſet, profugit, bis ad Tokayum eius ſuſis copiis ſatis quidem Hungarorum ſocietate firmatis, nuſquã tutus eſſe potuit, & diu in Polonia hoſpes latuit, donec ſe, ſuosq; & Regnũ ad extrema redactus, in turpiſsimam tutelam ſeu potius ſeruitutem Solimanni abiecerit. Magna deindè felicitate raroq; exemplo (ſiquidem & Alberto Quinto Auſtriaco idem contigiſſe, memoriæ proditum eſt) ter vno & eodem anno, qui erat poſt Chriſtum natum ſupra Mille Quingentos Sexageſimus ſecundus primum Pragæ in Regem Boëmiæ viceſima ſexta Septembris, deinde Francofurti in Regem Romanorum vltimo Nouembris, denique Poſonij in Regem Hungariæ die natali Deiparæ Virginis, ſequentiq; qui erat nonus Decembris Sereniſsima Maria Imperatrix eius coniunx in Hungarorum Reginam coronatur. Cum ſupradictus Ioannes Sigiſmundus, qui antea in Turcica cum Ferdinando pace cõprehenſus erat, vix eiuſdem pientiſsimi Cæſaris morte audita (ſuo ne Auſtriacæ Domui aduerſantium conſilio & inſtinctu, incertum) ex leui cauſa pacem violâſſet, oppidum Zathmarium abſente eius Præfecto Melchiore Balaſsio ſuæ poteſtatis per Stephanum Bathoreum, cuius ante id oppidum fuerat, ſuæ poteſtatis feciſſet, non modico ad futuram obſidionem præſidio, repertis præſertim ibidem munitionibus & tormentis firmâſſet, atq; ingentem Balaſsij Theſaurum, vnà cum coniuge eius & quatuor liberis cepiſſet, & abduxiſſet. Maximum hoc inſperati belli inter optimum & cordatiſsimum Imperatorem & Tranſſyluanum initium extitit. Nunquam enim exiſtimabat, vt tot beneficiis affectus, quem ſummopere Ferdinando patri cõmendauerat, hanc ſibi gratiam referret. Itaq; vt hanc iniuriam vlciſceretur Maximilianus Cęſar, Lazarum Schuendium fortiſsimum ſapientiſsimumq; militiæ Ducem conſenſu regis Hiſpaniarũ Philippi euocat, eiq; totius negotij molem impoſuit. Qui ſtatim, Imperatorio exercitu Hungarorum haud exigua acceſsione aucto, Tokayum natura, arte, & in Tranſſyluaniam aditu commodum, fortiſsimumq; aggreditur, cuius expugnatione magna vi tentata præſidiarij Franciſco Nemethio illius arcis præfecto occiſo, illud dediderunt, & à Schuendio ſub certis conditionibus dimiſsi gladiis accincti ſalui abierũt. Tokayo itaq; tertiùm recepto, Tranſſyluanus Zathmarij obſidionem metuens illud deſeruit. Jn eo victoriæ curſu Maximilianus Imperator per Schvvendium Erdeudum, Vvarium, Bathorium, multaq; alia loca occupauit. Cum poſteà Solymannus Turcarum Imperator ob ademptas clienti ſuo Tranſſyluaniæ principi & huius complicium pręcipuo Georgio Bekeskio arces & ditiones, imprimis verò ob ſibi denegatam tributi annui miſsitationem ſummis viribus pro ſubiuganda vniuerſa Hungaria, ac inuadenda Auſtria, nec non tertiùm obſidenda Vienna, affecta prorſus ætate, aduentare nunciaretur, Principum conuentu Auguſtę Vindelicorũ, nec non in Regnis & Prouincijs hæreditariis comitiis celebratis, auxilia impetrauit, cum numeroſiſsimo & ex omnibus partibus collecto, exercitu in Turcam mouit, caſtraq; ad Iaurinum poſuit. Aderant Germaniæ Principes, Ferdinandus Archidux frater, ſummus totius exarcitus Tribunus, Wolffgangus Neuburgenſis Comes Palatinus Rheni, & Bauariæ, & præter hos ex Italia Alſonſus ſecundus, Aleſtinus Ferrariæ, Duces, ac ex Gallia Henricus Guiſius Princeps cum non contemnenda nobilitate, & equitatu, pleriſq; ſuis ſumptibus militantibus. Theodata, Veſprimiumq; à Cæſareanis expugnatum, & hoſtis vlterior progreſſus prohibitus. Eo tempore Solimannus arcem Zigethienſem cum oppido arctiſsima obſidione premebat, quæ non abſq; cruentiſsima Turcarum ſtrage capitur. Hoſtis ante expugnationem in caſtris, obiit. Summa erat Maximilianus prudentia, nec minori in rebus benè conſtituendis dexteritate. Pacem & concordiã inter Principes omni ratione quæſiuit. In Spirenſi ordinum Imperij conuentu elocatis duabus filiarum natu maximis, Anna & Eliſabetha, duos potentiſsimos Hiſpaniæ, Philippum ſecundum, & Galliæ Carolum Nonum & ex Valeſia ſtirpe penultimum Reges, generos ſibi adſciuit. Henrico Caroli demortui fratre ex Polonia ad paterni Regni hæreditatem profecto, Maximilianus â quibuſdam Regni Poloniæ proceribus in Regem electus, ſed cum perſpiceret procerum in eligendo contraria ſtudia, illud non adiit. Tandem Anno M. D. LXXVII. poſtq̃ ſuperiori anno Rudolffum filium, Bohemorum Regem, Imperio Romano ſucceſſorem inauguratum vidiſſet, deceſsit in comitiis Ratisbonenſibus, anno ætatis ſuę Quinquageſimo, die Octobris duodecimo cum à patris obitu Imperio præfuiſſet annos octo. Corpus Pragam tranſlatum, & in Baſilica Cathedrali iuxta parentes honorificentiſsimè ſepultum eſt.



MAXIMILIANVS
PRIMVS
ROMANORVM IMPERATOR.

MAXIMILIANVS Primus, Friderico Austriaco Au-
gustorum huius nominis Quarto ex Eleonora Eduardi Pottu-
galiæ Regis filia susceptus, parentis in Imperio successor, Princeps
fuit multis magnisq; virtutibus belli domiq; clarus, eruditionis &
multarum linguarum studiosus, facundus, affabilis, & ergà quosuis
humanissimus. Præcipuè verò doctos summo amore prosecutus, horũ labores & studia liberaliter
promouit. Exules quoq; peregrinos, & milites aduerso aliquo casu afflictos summa cum benignitate
recreauit. Inediæ, laboris, & vigiliarum adeò patiens, vt multum noctis sæpè consultationibus, & literis
scribendis impenderit. Belli vero gloria ita excelluit, vt quasi singulariter ad hoc uatus appareret. Ea enim
ætate, qua cæteri principes vix prima militiæ rudimenta iacere solent, maxima ipse bella suis auspiciis pro-
sperè gessit. Ingenio singulari ac propè diuino præditus animo voluebat nihil esse præclarius optimo princi-
pi, quàm prouincias & regna sua solido aliquo robore stabilire. In omnes orbis angulos oculos suos coniecit, &
nobilissimum quemq; regem, ac principes affinitate sibi deuinxit, vt indè prouinciis suis perpetuã relinqueret
quietem. Matrimonio cum Maria potentissimi Burgundionum ducis Caroli filia cõtracto, opulentissimas Bur-
gundiæ & Belgiæ prouincias à Gallorum armis vindicatas Austriacæ domui adiecit. Fuso ad Guinedotam Gallo-
rum, qui ex triginta millibus hominum constabat, exercitu, magnam partem Hannoniæ vnà cum Cameraco re-
cepit, & Atrebatum Arthesiæ metropolim, quæ antea Gallorum armis cesserat, egregio stratagemate per noctur-
nas insidias deceptis hostium custodiis, in potestatem redegit. Viuente adhuc patre à Sacri Romani Imperij Ele-
ctoribus in regem Romanorum vnanimiter electus, & paulò pòst Aquisgrani coronatus est. Iunctis cum patruele
Sigismundo Austriacò armis, Roboreto expugnato, Venetorum copias cum eorum duce Roberto Sanseuerino ad
vicum Callianum deleuit. Post Mathiæ Coruini Vngariæ regis obitum Austria recepta, Vngariam ingressus, Al-
bam Regalem in qua reges Vngariæ inaugurari solebãt, expugnauit, Hungarosq; eò penè adegit, vt se regem Vn-
gariæ agnoscerent, & si peditum pertinacia, qui vlterius progredi recusabant, ditati præda, qua in Alba Regali po-
titi erant, non obstitisset, capta Buda regni Metropoli, fortiter regnum occupâsset. Titulo tamen vsus est, vti inter
ipsum & Regem Vladislaum Posonij conuenerat. Pace cum Carolo octauo Gallorum rege sancita, Margaretam fi-
liam vnà cum opulentissimis Burgundię & Arthesiæ comitatibus ante id tempus à Ludouico vndecimo occupa-
tis recepit. Turcarum ingentem multitudinem Croatiam & Sclauoniam ferro & igne deuastantem profligauit.
Fœdere cum Alexandro Sexto Pontifice, Senatu Veneto, & Ludouico Sfortia inito, Carolus Gallorum rex regnũ
Neapolitanum deserere coactus est. Defuncto parente imperator salutatus, & Blancam Mariam Galeacij Medio-
lanensis ducis filiam secundis sibi nuptiis adiungens, patrem Ludouicum accepto ab ipso fidei iuramento Imperij
principibus adlegit. Eberhardum Barbatum Wirtenbergensem Comitẽ Ducem creauit. Conciliatis inter filium
Philippum, ac Ferdinandi Arragonij & Elisabethæ filiam Iohannam nuptiis, ad Hispaniæ regnorum successionẽ
aditum posteris suis aperuit. Bohemos qui sororium Albertum Bauarum à Palatino conducti oppugnatum adue-
nerant propè vrbem Ratisbonam memorabili prælio superauit. Kuefstainio ac Gerolzekio munitissima arce
expugnatis, per ipsum quoque septem insignes præfecturæ Ducatui Austriaco postliminio quodam restitutæ
sunt. Arnhemio Geldriæ primario oppido recepto, Carolo Geldriæ duci, qui Gallorum partes sequebatur pacem
concessit. Percusso cum Iulio secundo Pontifice, Hispanorum & Gallorum regibus fœdere, receptis Patauio, Vin-
centia, Verona, & aliis ciuitatibus, Venetos tota propemodum continente expulit, eoque adegit, vt oblatis quin-
quaginta millibus ducatis annuis in perpetuum ipsi Maximiliano Cæsari, & eius in Imperio successoribus soluẽ-
dis pacem suplices petièrint. Gallos societate cum Iulio eodem Pontifice, & pagis Heluetiorum contracta, Italia
penitus eiecit, Maximilianumq; Sfortiam paterno Mediolanensium principatui restituit. Iunctis cum Hentico
octauo Anglorum rege viribus, Gallorum exercitum iterum ad Guinegatam locum antiqua Cæsaris victoria fa-
talem insigni prælio fudit fugauitq; Gandauum, Terrouanã, Traiectum, & Tornacum prisca bellicosi ac fortissi-
mi Neruiorum populi gloria insignis ciuitas in Cæsaris victoris potestatem redierunt. Bartholomæus Liuianus
Venetorum dux cum ingentibus copiis à parua Cæsareanorum manu propè Vincentiam cęsus. Maranum op-
pidum astu captũ, ac paulò pòst à Venetis obsessum fœliciter liberauit, vbem Veronam aduersus immensam
Gallorum & Venetorum oppugnantium vim strenuè defendit. Thesaurum à patre, auo, socero, & maiori-
bus suis cõgestum distrahere aut impendere etiam in summis angustiis & necessitate noluit, & ideò qua-
si ob æris penuriam res magnas prosperè inchoatas deseruit. Jllam tamen Gazam integram in Noua
ciuitate Austriæ reliquit nepotibus, adeò, vt, qui eum opibus ex tot bellis gestis exhaustum arbitra-
bantur, mirati sint tantas ab ille relictas esse diuitias. Tandem firmata vbiq; pace, & conuentu cum
Poloniæ & Hungariæ regibus Viennæ habito, conciliatisque Ferdinando nepoti & nepti Mariæ
matrimoniis, posteris suis ad Vngariæ & Bohemiæ regna aditum fecit. Obijt VVelsij in Au-
stria anno Millesimo, Quingentesimo, Decimonono, cum vixisset annos sexaginta.
Sepultus in Noua ciuitate vbi & in lucem editus fuit.

Johann Friderich Hertzog zu Sachsen vnnd Churfürst.

Johann Friderich Hertzog zu Sachsen deß heiligen Römischen Reichs Churfürst vnnd Ertzmarschalt/ Landtgraf in Thüringen / Marggrafe zu Meissen / Burggraf zu Magdeburg / wellicher der Großmüetige wegen seiner standthafftigkeit vnd gedult in widerwertigkeit / der Vnvberwindtliche / weil er weder durch verheissungen vnd liebkosen / oder trowort vonn der newen Religion so er angenommen kundte abgewendet werden / vnnd dann der dicke seines faisten Leibs halber mit dem Zunamen genannt worden/ Hertzog Johannsen zu Sachsen zugenannt deß beständigen vnnd frommen/ vnnd dessen Gemahelin Frawen Sophiæ geborner Hertzogin zu Mechelburg Sohn / ist in dem Jahr tausent fünffhundert vnnd drey / geboren worden/ vnd hat/ wie man sagt / auff seinem Rucken ein goltfarbes Creutz mit sich auff die Welt gebracht. Wie man auff begeren vnnd anhalten Kayser Carls deß fünfften / dessen Bruedern König Ferdinanden zu einem Römischen König zu erwöhlen zu Cöln auff dem Reichßtag handlung pflage / hat sich diser Hertzog Johann Friderich / der von seinem Herrn Vattern an seiner statt geschickt ware / darwider gesetzt / jedoch letstlich vermittels etlicher beding vnd conditionen darein bewilliget. Den striet der zwischen jhme vnnd seinem Vettern Hertzog Moritzen / wegen deß Stättlins Wurtzen / so dem Bisthumb Meissen zugehörig / entstanden / hat Landtgraf Phillipps von Hessen güetlich hingelegt. Mit hülff seiner Bundtßgenossen hat er Hertzog Heinrichen den jungen vonn Braunschweig auß seinem Landt vertriben / vnnd wie er solliches widerumb einnemmen wöllen/ sambt denen Fürsten so jhme persönlichen beystandt gethan / genötiget sich gefangen zugeben. Als der Teutsche Schmalkaldische Krieg fürnemblich der Religion halber entstanden / wurde vonn dem gantzen Schmalkaldischen Bundt / darinnen sich neben dem Churfürsten zu Sachsen dem Landtgrafen zu Hessen vnnd anderen Teutschen protestirenden Fürsten / auch etliche freye Reichstätt befanden / ersthochgemeltem Churfürsten die verwaltung deß gantzen Kriegs anbefolhen / vnnd er oberster Feldtherr erklärt. Also versamblete er ein mächtiges Heer / vnnd lägert sich darmit bey Ingolstatt/ dahin auch Keyser Carl kommen war. Wie nun beyde Läger so nahent beysamen lagen / giengen täglich vil scharmützel/ aber doch kein gedenckwürdiger für / vnd die vndterschiedliche meinungen wie man den Krieg führen vnd angreiffen solte/ seyn ein vrsach gewest/ daß der Churfürst vnnd Landtgrafe nit aller dings einig mit einander bliben / dann der Landtgrafe wolte man solte den Keyser inn seinem Läger vberfallen/ vnnd mit jhme schlagen/ entgegen sagte der Churfürst / weil die Statt Ingolstatt die für den Keyser hielte/ vnnd mit allerley Geschütz auff den Mauren vnd Thürnen der notturfft nach versehen ware/ das Keyserische Läger beschützen / vnnd die Protestirende im angriff hefftig beschädigen kundte/ wurden sie sich durch angedeutten angriff in ein mereckliche gefahr vnnd schaden stürtzen. Dieweil nun der eine da der ander dort hinauß wolte/ ist nichts endtliches beschlossen oder fürgenommen worden/ vnnd jnnmittels der Winter/ in wellicher zeit es sich nit kriegen lasset/ herbey kommen/ daß demnach der Protestirenden Heer sich nothwendig trennen vnnd vonn einander ziehen müssen. Der Sachs zoge durch das Landt zu Schwaben auff Gmundt / daselbsten er gegen darschiessung einer summa Gelts den Burgern / die sich jhme ergeben müssen / das Leben / die Freyheit vnnd jhre Güeter gelassen / jnnmassen er auch die Statt Franckfort / den Ertzbischoffen zu Maintz / den Abbt zu Fulda / vnnd die Stätt so dem Bischoffen zu Bamberg vnd Würtzburg zugehören / gebrantschatzet / vnd jhnen Gelt abgetrungen. Vndter dessen seyn die Böhemen in Sachsen gefallen / vnnd haben mit Hertzog Moritzen deß Churfürsten gantzes Landt geplündert/ verwüstet vnd verhergt/ auch alle seine Schlösser vnnd Stätt eingenommen/ausser dreyer Vestungen. Als der Churfürst hier von zeitung bekommen /schickte er alßbaldt etliche Fändel Knecht zu Fueß/ vnd dreytausent Pferdt voran / sein Landt vor dem Feindt zubeschützen / er aber folgte mit dem grossen hauffen hinnach / vnnd wie er inn Sachsen kommen / belägerte er alßbaldt die Statt Leiptzig so Hertzogen Moritzen zugehörte/ beschosse vnd stürmete sie gar ernstlich / dieweil aber die drinnen sich tapffer zu wöhr stelleten/ vnnd die stürm ritterlich abschluegen / wurde der Churfürst wegen deß schadens so er an seinem Volck lidte / wiewol er den tag vor seinem auffbruch durch einen sturm sein heyl noch einmal versuechte / zu dem abzug der belägerung bewegt. Folgends hat er nit allein seine verlohrne Stätt vnd Schlösser widerumb eingenommen/ sonder auch dem Hertzog Moritzen alle seine Stätt vnd Schlösser / außgenommen Leiptzig vnd Dreßden / mit gewalt abgetrungen / so wol auch die Ertz: vnnd Stifft Magdeburg vnnd Halberstatt / auff einem vorgehenden vergleich mit dem Ertz: vnnd Bischoff daselbsten Johann Albrechten inn seinen gewalt gebracht. Inn gleichem hat er die Statt Rochlitz/ deren sich Marggrafe Albrecht von Brandenburg bemächtiget / mit seinem Kriegßvolck allenthalb vmbgeben / vnd im ersten sturm erobert. Marggrafe Albrecht / in dem er voller angst vnnd schreecken vber das daselbst fürvber rinnendt Wasser fetzen / vnd sich mit der flucht salvieren wolte / wurde gefangen/ vnnd in das Läger zu dem Churfürsten gebracht / wellichen derselbige Sieg gar wenig Bluets gekostet. Darauff ruckte er gen Freyberg einer Statt im Landt zu Meissen / bemächtiget sich auch der Statt Meissen / darauß er Hertzog Moritzen besatzung frey vnnd ohne entgelt abziehen liesse. Als aber der Churfürst kundtschafft bekommen / daß der Kayser nit mehr weit vonn jhme sey/ führte er inn eyl sein Kriegßvolck vber die Elb / vnnd lägerte sich neben dem Stättlin Mülberg inn einem ebnen Feldt/ so zu einer Feldtschlacht gar gelegen vnnd bequem war. Der Keyser kame mit seinem Volck durch wegweisung eines Bauren vnnd hilff etlicher Spannier so vber das Wasser geschwummen/ vnd etliche Schifflein von der Mülbergischen seiten herüber gebracht / vber die Elb / wie solches der Churfürst gehört/ ist er mit seinem hauffen eylendts auffgebrochen vnd auff Wittenberg zugezogen / mit dem fürnemmen daselbsten dem Kayser ein Schlacht zu liefern / die zeit war jhme aber zu kurtz / daß er genöttiget worden / eintweder alßbaldt zuschlagen / oder sich in ein schandtliche flucht zubegeben/ deßwegen er sich gleich entschlossen die schantz zu wagen. Die Schlacht ware sehr zweiffelhafftig / jetzt hatten die / dann jhene die Oberhandt / vnd wehrete schier acht gantzer stundt. Letstlichen neiget sich der Sieg auff deß Keysers seiten / vnd wiewol der Churfürst biß auff die letzt in der Schlacht verharrete/ jedoch wie er sahe/ daß kein hoffnung mehr vbrig/ vnd er in der eussersten gefahr ware / entranne er mitten auß dem metzgen vnd würgen mit etlichen wenigen/ vnd flohe durch den Waldt vnd vnwegsame ort / aber baldt hernach wurde er von etlichen Spaniern vnnd Italianern sambt einem Husaren / die von dem nachjagen vmbgewendet / vnnd sich im Waldt verjrret hatten/ gefangen/ die haben jhne in voller Rüstung auff seinem Pferdt sitzendt/ vnnd mit Bluet vonn einer Wunden so er inn werender Schlacht in das lincke Wang empfangen / besprengt für den Keyser geführt. Es hätte zwar der Churfürst dem Kayser starck genug sein/ vnnd villeicht die Victori erhalten mögen/ wann er all sein Volck so er hin vnd wider in den Besatzungen außgetheylt vnnd zerstreut gehabt / können zu hauff bringen / aber also in vnversehener eyl ist es jhme nit müglich gewest. Ob jhne schon der Keyser zum todt vervrtheylt / hat man doch kein forcht/ zaghelt oder kleinmütigkeit an jhme gespürt / aber die Teutsche Fürsten so durch dise ernsthafftigkeit erschreckt worden / haben so eyferig für jhne intercedirt / daß sich der Keyser erweichen lassen / das Vrtheil widerumb auffgehebt / vnnd jhme vndter etlichen conditionen das Leben geschenckt / niches desto weniger aber ist er jhrer Mayestät allezeit mit einer Guardy verwachet vberall nachgezogen / vnnd endtlich inn dem fünfften Jahr seiner gefäncknuß vnd ellendts / gäntzlich ledig vnd anheimbs zu den seinigen gelassen worden. Nach dem Churfürst Moritz in der Schlacht die er Marggrafe Albrechten geliefert / geschossen worden vnnd todt gebliben / hat er mit desselben Bruedern Hertzog Augusti inn der versamblung zu der Naumburg / Hertzog Johann Friderich alle zwischen jhnen schwebende stritt vnnd jrrungen gäntzlich hingelegt / vnnd sich mit jhme auff ein endtliches verglichen. Im Jahr tausent fünffhundert vier vnd fünfftzig ist er vonn disem jammerthal abgeschieden / vnnd bey seiner Gemahelin Frawen Sibyllen Hertzog Johannsen zu Gülch / rc. Tochter / zu Weinmar begraben worden.



Nicolaus Graf von Serin.

NIcolaus / wellicher auß dem Geschlecht der Wolgebornen Grafen von Serin entsprungen / hat schier den
lauff seines gantzen Lebens in den Hungarischen Kriegen zugebracht / vnnd mit den Türcken zum offtermal glücklich geschlagen
vnd den Sieg erhalten / sonderlich aber als die Türcken im Jar 1566. Ainack (weil sich der Obriste / der sich mit den besten Sol-
daten gen Eriaw begeben / daselbst nit befunden) einbekommen / dahero einen muet gefaßt / vnnd jhr heyl mit Sigeth gleicher ge-
stalt zuuersuechen jhnen fürgenommen / in meinung der Graf von Serin / weil er von der Kays: Mayt: gen Wien erfordert wor-
den / seye nit anheimisch. Er aber der eben zu allem glück damalen widerumb zu hauß gelangt ware / hat seinen vnderhabenden
Kriegßvolck alßbaldt befolchen jhme als jhrem Obristen getrost nachzufolgen / vnd in die ankommende Türcken zusetzen / innmassen dann ein star-
ckes treffen beschehen / der Türcken ein mercklicht anzal erlegt / die vbrigt in die flucht getriben / vnd von den Sieghafften zwen Wägen mit Köpffen
der erschlagnen Türcken beladen / mit sich hinwegk gefürt worden. Als aber inn vor gemeltem Jar der Türckische Kayser Solymann / der mit vn-
versünlichem haß vnd verbittertem neyd gegen den Christen ohne vnderlaß entbrandte / mit einem vberauß grossen Hör personlich in Hungern gezo-
gen / vnd jhm das beydes von natur vnd kunst wol beuöstigte ort Sigeth zuerobern gäntzlich fürgesetzt / auch dessen der Graf von Serin gewise kund-
schafft hatte / schickte er Tausent zu fueß vnd Fünffhundert zu pferd auß / mit befelch es auff guet glück zu wagen / mit den Türcken so jhnen auffstos-
sen wurden / zu scharmützlen / oder da sie keine antreffen / Sichlousch einzunemen: Wie nun dises häuffel / nahent zu besagtem ort kommen / seyn 200.
zu fueß vnd 100. Pferd voran geruckt / die / als sie das Türckische Läger erreicht / alßbaldt darauff gesetzt / die Feindt zertrennt / nit wenig auß jhnen
erschlagen / deren auch vil gleichsam gar nackendt vnd bloß sich mit der flucht saluiert / innmassen der Obriste desselbigen Türckischen hauffen selbst
ein Wunden empfangen / vnd hernach in der Pfützen verdorben ist / sein Sohn aber mit drey andern ansehlichen Türcken gefangen worden: Die sieg-
haffte Serinische Soldaten haben Acht Camel / vnd Fünfftzig Maulesel / so mit Gelt / vnd andern köstlichen vnd Türckischen sachen beladen waren /
vnnd beneben Sechtzig Pferd bekom̃en / in gleichem auch Sechs Wägen schwär mit allerhand raub vnd beut / vnd darunder zwen sehr grosse rote Fah-
nen mit sich gen Sigeth gebracht: Also daß dises ein herrlicher vnd nit geringer Sieg gewest. Solymann hat ein Brucken vber die Traw geschlagen /
sein Hör darüber gefürt / ist stracks auff Siget zugezogen / vnd hat nit weyt daruon sich gelägert. Als nun der Graf von Serin seinen mächtigen hauf-
fen sehen herzue rucken / hat er den Adel vnd Burgerschafft zusamen gefordert / vnder welche er in die mitte getretten / sie getröstet vnd vermant sie sollen
ab der grossen menge der Feind nit erschrecken / sonder zu Gott jr vertrawen stellen / der werde sie nit verlassen: Darauff erstlich er selbst Gott dem Al-
mächtigen / der Kayserlichen Maiestat vnd seinen vndergebnen einen Eyd geschworen / biß auff den letsten athem vnd Blutßtropffen die Vöstung zu-
beschützen / vnd keiner von dem andern zu weichen / wie er auch die andere vermögt daß sie deßgleichen mit einem Eidschwur gelobt vnd versprochen.
Den letsten Julij vorgedachtes Jars / haben sich Neuntzig tausent Türcken ein meil wegs von Sigeth nidergelassen / denen Hundert tausent auß
dem Läger nachgefolgt / also seyn die in der Vöstung etliche tag aneinander außgefallen / haben mit den Türcken stets gescharmützlet / welliche nit
wenig von den jhrigen verloren / biß den Sechsten Augusti der Solymannus / personlich im Läger ankommen. Nach dem nun die Türcken an
dreyen vnderschiedlichen orten die newe Statt beschossen vnnd so gar in dem Schloßgraben selbst ein Katzen auffgeworffen / darauff sie etliche stuck
Geschütz gebracht / vnnd darauß in dem innern Schloß nit wenig schaden gethon / hat der Graf von Serin die newe Statt in brandt zustecken / vnd
die Thor an der alten zuuerschütten befolchen. Nit lang hernach haben die Feindt auch die alte Statt eingenommen / so vil tapfferer Soldaten der
vnsern gekostet / von welliches empfangnen schadens wegen / vnnd weil der Graf von Serin schier seine beste Kriegßleut verloren / er sich mit den
jhenigen so jhme noch vbergebliben inn das Schloß hat retirieren müssen. Wie aber die Türcken auch dasselbige mit stürmender handt angelauffen /
haben sie vil auß den jhrigen darunder den Meserki Bassa, vnd zween Fahnen verloren / also daß sie mit grossem spott letstlich weychen müssen. Als
hernach die Janitscharen die Bastey bey der Porten gestürmet / vnd mit gewalt inn das Schloß eintringen wöllen / seyn sie von dem Grafen so sich
personlich bey dem sturm befunden / zweymal ritterlich abgeschlagen worden. Es seyn aber die inn der Vöstung mit disem glücklichen außgang des
sturms nit ersettigt gewest / sonder alßbaldt darauff außgefallen / haben mit dem Feindt mannlich gescharmützelt / dessen ein grosse anzal erlegt / vnnd
ein Janitscharn Aga gefangen bekommen. Das Feldt lag voll todter Türcken / welliche wegen der belägerten immerwerenden schiessens nit begra-
ben kundten werden / dahero dann der lufft vergifftet worden / vnd der Türckische Kayser sich etwas von der Vöstung zu ruck begeben müssen. Nach
vilen vom Feindt vergebenlich versuechten ernstlichen stürmen / darinnen der Grafe von Serin die meiste vnnd beste von seinen tapfferisten Kriegß-
leuten verloren / ist er mit den vbergeblibnen in das innerste Schloß gewichen / des andern tags aber inn aller frue haben die Türcken in das ort da der
Graf seine Zimmer hatte / Fewr geworffen / vnd alßbaldt darauff einen grimmigen sturm angelauffen / Wie nun das Fewr vberhandt genommen /
vnd man demselbigen nit mehr wöhren kundte / hat der Graf ein new seyden Kleid angezogen / Hundert Ducaten vnnd die Schlüssel zu des Schloß
Porten in den Rock gesteckt / vnd zu den seinigen gesprochen / So lang er seinen Säbel in seiner Faust füren künde / soll jhm niemand die Hundert Du-
caten vnd die Schlüssel nemmen / er aber wölle keines wegs von Sigeth weichen / sonder alles so jhm begegnen werde / mit großmütigem hertzen vber-
stehn. Darauff ist er auß seiner Camer getretten / vnd als er daselbsten die Ritterschafft mit blosen Wöhren gantz vnverzagt auff jhn wartendt gese-
hen / hat er sie beyleuffig mit sollichen worten angeredt: Wir sehen wellicher gestalt vns Gott der Allmächtige wegen vnserer sünden mit dem Fewr
heimsuecht vnd strafft / mit wellichem vns der Feindt vberwindet / ob er vnns wol sonsten mit all seiner macht nichts abgewonnen / vnnd vnns so vil
schaden nit thuen kündte / als eben jetzundt das Fewr / so ist euch bewußt was wir vor disem einander verheissen vnd biß daher redlich gehalten. Des-
wegen last vns auch ins künfftig in gleicher trew vnd beständigkeit verharren / behertzt in das aussere Schloß vnder den Feindt hinauß fallen / vnd
ritterlich mit jhm schlagen / da wir auch schon alle sollen auff dem platz bleiben / so werden wir doch ohne zweiffel inn ewigkeit bey Gott leben / ich will
der erste seyn / vnd euch gewißlich nit verlassen / meinem Exempel folget alle tapffer vnd getrost nach. Nach dem er dises geredt / hat er dreymal den
allerheiligisten Namen Jesu angeruffen / jhme den Kayserlichen Fahnen vorzutragen befolchen / ist darauff mit blosen Säbel vnnd allein mit einem
Schildt bedeckt (dann er sonsten kein Harnisch oder andere Waffen haben wöllen) zu der Schloß Porten vnerschrocken hinauß getretten / die an-
dere seyn jhm tapffer nachgefolgt / vnd also hat sich gleich auff der Schloß Brucken mit den Türcken ein gantz ernstlicher bluetiger streit erhoben / in
wellichem der ritterliche Graf von dreyen schüssen auß Janitschar Rohren getroffen worden vnd zu boden gefallen / die andere auch alle mit einander
mannlich streittende jhr Leben beschlossen. Dem Grafen ist das Haupt abgeschlagen worden / solliches dem Solymanno zu weysen / er aber war et-
liche tag zuuor verreckt / vnd hat jhme zweiffels ohne Gott nit günnen wöllen / daß er sich ab diser Victorj erfrewen solte. Den 8. Septembris her-
nach ist des Grafen Haupt von dem Bassa zu Ofen Graf Ecken von Salm zum zeichen der freundtschafft vberschickt / vnnd beneben inn einem
Schreiben des Grafen von Serin grosse ritterliche tugendt vnd tapfferkeit zum höchsten gelobt vnd gerühmbt worden: Der Graf von Salm hat be-
sagtes Haupt in Kayser Maximilians Läger so bey Raab war / bringen lassen / daselbsten ist dem Grafen von Serin in der Domkirchen ein herrli-
che vnd stattliche befingknuß gehalten / von dannen mit grossem trauren vnd klagen das Haupt von seinem Sohn gen Tschakaturn gefürt / vnd all-
dorten in S. Helena Closter bey seiner ersten Gemahelin auch zweyen Söhnen vnd einer Tochter ehrlich begraben worden.


Andreas Teuffel

Conrad von Bemelberg Ritter.

Diser Herr Conrad von Bemelberg Ritter/ auſz dem alten vnd edlen Bemelbergiſchen Geſchlecht im Landt zu Heſſen entſproſſen / hat ſich auß inbrünſtiger begierd ſo er zu dem Kriegſzweſen getragen / alsbaldt im anfang ſeiner jugendt/ in Kayſer Carls des fünfften Läger begeben / vnnd nach dem er alſo ein zeit lang (dann damals die Krieg faſt im ſchwung gangen) in gemelts Kayſer Carls dienſten verharret / hat er durch ſein wolverhalten vnnd tapfferkeit jhme bey mänigklich ein groſſe zunaigung vnd anſehen gemacht. In dem Krieg als Franciſcus der erſt König imm Franckreich das Hertzogthumb Meylandt vberzogen/ vnd ſich zu Pauia gelägert/ hat diſer von Bemelberg als ein Haubtman vber ein Fändl Teutſcher Knecht/ ſich mit ſeinen ritterlichen thaten nit allein als ein behertzter / ſonder auch als ein verſtändiger fürſichtiger Kriegſzmann imm mehr weg vnd dermaſſen erzeigt / daſz dardurch die Victorj mit erlegung vnnd gefäncknuſz des Königs von Franckreich nit wenig befürdert worden. Hernach in dem 1527. Jar/ als Herr Georg von Freundtſperg / wellicher inn dem Zug für Rom vber das Teutſche Füſzvolck Obriſter geweſt / zugeſtandner ſchwachheit halben nit fort ziehen / ſonder zu Ferrar ſtillligen müſſen / iſt an ſeine ſtell der von Bemelberg vber Sechsvnddreiſſig Fändel Teutſcher Knecht von wegen ſeiner Kriegſzerfarenheit vnd tapfferkeit ſo er hievor vilfältig vñ vnverdroſſen erzeigt/ verordnet worden / vnd alſo der eroberung Rom biſz zu end beygewont/ auch ein güte Beut darvon gebracht. So hat er ſich auch hernach faſt in allen Kriegen ſo Kayſer Carl in Wälſch: vnd den Niderlanden gefürt/ gebrauchen laſſen/ dann er vor Bern vber Fünfftzehen/ vor Metz vber zehen/ vor Hedin vber zehen / vor S. Quintin vber zehen / vor Sandeſier vber Zwaintzig Fändlen Knecht den obriſten befelch getragen / auch im 1532. Jar in Hungern/ allda er wider den Erbfeindt den gantzen hauffen Teutſcher Knecht ſo 42. Fändlen ſtarck geweſen/ gefürt/ ſeiner Kriegſztapfferkeit halben einen groſſen rühm vnd namen gemacht: Derhalben als hernach auff dem Reichstag zu Regenſpurg durch die Reichsfürſten vnd Ständ/ ein zug in Hungern wider den Erbfeindt beſchloſſen vnd bewilliget worden / iſt diſer Herr Conrad von Bemelberg/ dem Teutſchen Kriegſzvolck zu fueß von 34. Fändlen als ein General vnd Obriſter zugeordnet worden/ inn wellichem zug dann dem Türcken etliche Flecken eingenommen/ vnnd als er nach vollendung diſes zugs ſein Kriegſzvolck inn güter ordnung wider haim gebracht / iſt er von wegen ſeiner vilfältigen ritterlichen thaten vnd verrichtungen/ von gedachtem Kayſer Carl zu Ritter geſchlagẽ worden/ ſich auch hernach letſtlich in dem Schmalkaldiſchen Krieg wider die proteſtierenden Fürſten gebrauchen laſſen / vnd nit weniger ſein Kriegſzerfarenheit erzaigt. Letſtlichen als er nun mehr alt/ vnd durch ſo vilfältige vberſtandne Kriegſzzüg vnd arbeit ermüdet / hat er ſich zu rüh/ vnd inn die Statt Ehingen begeben / in wellicher er dann von König Ferdinanden zu einer ergötzlicheit vnnd belonung ſeiner ritterlichen Kriegſzthaten/ zu einem Statthalter verordnet worden / vnd zu einem hohen alter kommen. Diſer Herr Conrad von Bemelberg iſt / weil er ein kleine Perſon / von wegen Herrn Heinrichen von Puttlaren/ ſo auch ein Heſſz / vnd ein lange Perſon geweſen / der kleine Heſſz genannt worden.



Lazarus von Schwendi Freyher: zu Hohenlandtſperg.

LAzarus von Schwendi eines adelichen vralten Geſchlechts / deſſen Voreltern ſich vor zeiten auß dem Schweitzerlandt / wie der Adel daſelbſten vertriben worden / mit wohnung in das Landt zu Schwaben begeben / vnnd darinnen ein Schloß / das ſie jhrem namen nach genennt / erbawen / hat zu Baſel ſtudiert / vnnd in gueten künſten treflichen nutz vnnd frucht geſchafft : Als er jhme aber fürgeſetzt ſich auff das Kriegßweſen zubegeben / vnder Kayſer Carlen etliche züg verrichtet. Inn werenden Schmalkaldiſchen Krieg / wurde er vom Kayſer gen Augſpurg / Vlm vnnd Straßburg Geſandtenweiß geſchickt / welliche Stött er die Waffen abzulegen / auch fridlich vnd rühig zu ſeyn vermane. Inn angeregtem Schmalkaldiſchen Krieg / hat er ein groſſen namen vnd ruehm erlangt / daß er den jhme auffgetragenen Kriegßämbtern loblich vorgeſtanden / vnnd vil gefahr vnnd vnheil fürkommen. Nach dem Churfürſt Johann Friderich zu Sachſen gefangen worden / zoge er mit einer ſtattlichen anzal Kriegßvolcks auß des Kayſers befelch gen Gotta / das Schloß daſelbſten zuzerſtören / vnnd Marggraf Albrechten von Brandenburg der allda gefäncklichen enthalten wurde / zuerledigen. Den Vogelſperger / wellicher dem Frantzoſen Zehen tauſent Teutſcher Landtsknecht dem Kayſerlichen verbott zu wider zufüren wolte / hat er auß geheiß des Kayſers gefäncklich angenommen / vnnd gen Augſpurg gefürt. Nit weniger iſt jhme von dem Kayſer befolhen worden / neben Churfürſt Moritzen zu Sachſen die Statt Magdeburg zubelägern / vnnd deſſelbigen general obriſter Leutenannt zu ſeyn / inmaſſen beſchehen / vnnd nach dem ſelbige belägerung ein end genommen / hat er das Kriegßvolck inn Hungern gefürt. Gleichsfalls war er in dem Krieg wider den Frantzoſen bey der belägerung vor Sanct Quintin / vnnd wie die Frantzoſen bey Greuelingen geſchlagen worden / ein Obriſter / vnd erzeigte dem König zu Spannien mit ſeinen vnderhabenden Zehen Fändlen getrewe erſprießliche Kriegßdienſt. Noch zuuor aber hat er ſo vil herrlicher proben ſeiner mannheit vnnd tapfferkeit gethon / daß die Königin Maria Kayſer Carls Schweſter / dazumal Gubernantin der Niderlanden / ſehr vil von jhme gehalten / vnnd in den allerwichtigiſten vnnd gefährlichiſten Kriegßhändlen ſich ſeines raths bedient : Vnnd ob wol die Kriegßvnruehe etlichermaſſen geſtillt wurde / behielt ſie jhn doch nichts deſto weniger an jhrem Hof / damit ſie jhn auff begebende newe Kriegßentpörung bey der handt hette / vnnd die geſchäfft ſo das Teutſchlandt berürten / durch jhn verrichten kündte / wellichen geſchäfften dann er mit höchſter trew abgewartet / vnnd mit ſeinem rath hilfflich vnnd befürderſam / beneben auch ſo vnbewöglich vnd beſtändig geweſt / daß jhn der Frantzoß / wiewol er jhm ſtattliche anſehliche fürſchläg gethon / auff ſeine ſeyten ſich zubegeben nit bewögen oder erhandlen mögen. Kayſer Ferdinand hat jhn inn anſehung ſeiner ſo fürtreflichen qualiteten vnnd hohen tugenden / zu ſeinem geheimen Rath angenommen / vnnd bey den Reichstägen neben anndern gebraucht / ebenfalls hat er auch von König Philippſen zu Spannien järlich ein ſtattliche Penſion gehabt. Als Johann Sigmund Fürſt in Sibenbürgen den frid gebrochen / Sackhmar eingenommen / vnnd der auß gehörter vrſach auffs newe widerumb angefangne Krieg / mit groſſem ſchaden vnnd verderben der armen Vnderthonen / ſchon drey Jar lang gewehret / erwöhlet vnnd erachtet Kayſer Maximilian der ander den von Schwendi vor andern für tauglich diſe ſchmach vnnd vnbilligkeit zu rechen / vnnd einen ſo wichtigen Krieg zufüren. Deßwegen er jhme / den er mit bewilligung König Philippſen auß den Niderlanden erfordert / das obriſte Generalat mit vollmächtigem gewalt auffgetragen / vnnd dieweil er zuuor die gelegenheit vnnd Landtſart in Ober Hungern nie geſehen / vnnd derſelbigen nit kündig ware / man ſich auch etlicher Hungern vntrew zubeſorgen hatte / gaben jhre Maieſtat jhm die fürnembſte vnnd deſſelbigen Königreichs auch der Kriegßſachen erfarneſte Teutſche Obriſten zu. Derohalben fürte der von Schwendi ſein Teutſches Kriegßvolck ohne verzug in Zipß / allda auch etliche Hungern zu roß vnnd fueß zu jhme geſtoſſen / dieweil jhm aber die beydes von natur vnnd kunſt gewaltige Vöſtung Tockaj / darauß ein bequemer Paß inn Sibenbürgen iſt / inn dem weg lage vnnd zum meiſten verhinderlich war / wolte er ſich vmb die andere kleine Nöſter nit annemmen / ſonder ruckte mit ſeinem Hör auff Tockaj zu / gabe auch befelch daß man zu deſto beſſerer facilitierung diſer impreſſa erſtlich das Stättlin Kereß einnemmen ſolte / vnnd ob wol die Tockaier ſolliches zuverhindern ſich etlich mal vnderſtanden / ſeyn ſie doch allezeit tapffer vnnd mit verlurſt der jhrigen zu ruck geſchlagen worden. Darauff wurde die Vöſtung Tockaj ſelbſt gantz ernſtlich belägert / beſchoſſen vnd geſtürmet / welliche ſich nach dem todt des Obriſten darinnen Nemeth Ferentz genannt / dem ein Kugel die jhme bey den Schläffen durch den Kopff gangen / dahin genommen / auffgeben : Die darinnen geweſt lieſſe man allein mit jhren Seytenwöhren abziehen / vnd mußten ſonſten alles anders inn der Vöſtung laſſen. Gehörtermaſſen iſt Tockaj nach dem dritten ſturm durch accordo eingenommen worden / vnnd wurde an Prouiant / Munition vnnd andern ſo den vnſern ſehr vorſtendig geweſt / ein groſſer Vorrath darinnen gefunden. Von diſem vberauß wöhrlichen ort / kan man gar leichtlich an die Sibenbürgiſche Gräntz kommen / vnnd wegen der natürlichen gelegenheit der zweyer Waſſer Tibiſci vnd Bodagri, darzwiſchen es ligt / vnnd welliche daſelbſten zuſamen flieſſen / allem feindtlichen gewalt widerſtandt thuen. Darauff hat der Feindt Sackmar von ſich ſelbſt verlaſſen / weil er geförcht er möchte allda eingeſperrt vnnd erwiſcht werden. Erdeud / Kymar / Bathorulban / Zendereu / Zabaſka / Pelſeintz / Muncktatſch / Gombazeek / Kratznahurka / Gadka / vnnd noch mehr andere vmbligende Caſtell vnd Vöſtungen / wie auch das vöſte Schloß Zaduar / ſo dem Georg Bekeek der von dem Kayſer zum Türcken gefallen / zugehörig war / ſeyn durch des von Schwendi anſchlägigkeit / hohen verſtandt / geſchwindigkeit / fleiß vnd geſchicklichheit mit gewalt erobert vnnd zu des Kayſers gehorſam gebracht worden. Als höchſtgemelter Kayſer Maximilian der ander im Jahr Tauſent Fünffhundert Sechsvndſechtzig mit einem mächtigen Heer bey Raab lage / befalhe er dem von Schwendi mit ſeinem vndergebnen Kriegßvolck inn ober Hungern vnnd in Zipß zu bleiben / daſelbſten er etlich mal mit den Tartarn die das Landt mit Schwert / Fewr vnnd raub verhörgten / glückliche ſcharmützel vnnd treffen gethan / dann weil ſie jhm an der anzal weyt vberlegen waren / dorffte er kein rechte Feldtſchlacht mit jhnen wagen / biß ſie durch hineinfreſſung der vnzeitigen früchte / nach vnd nach erkranckten / ſturben / vnd jhrer weniger wurden / alßdann erſt griff er ſie einßmals mit ernſt an / vnnd zum theil erlegt er / zum theil jagt er auß dem Landt bey Zehen tauſent diſes Vnzifers / es blibe auch einer von jhren Obriſten todt auff dem platz / vnnd der ander wurde tödtlich verwundet. Nach dem nun der von Schwendi ſo vil wöhrlicher Stött / Schlöſſer vnnd Vöſtungen erobert vnd eingenommen / vnnd Kayſer Maximiliani Gepiet in Ober Hungern auff die Viertzig meil her diß: vnnd jenſeyts der Theyß erweitert / manicherley Vöſtungen von newem erbawen / vnd dieſelbige auß erheblichen vrſachen mit lauter Teutſchem Kriegßvolck beſetzt / zog er widerumb ins Teutſchlandt vnd thate ſich zu hauß zu ruhe. Jedoch wurde er ſehr offt von Kayſer / Königen vnd Potentaten in hochwichtigen vnd angelegnen Kriegß: vnd Reichßgeſchäfften / wie inn der Krönung des jetzigen Kayſers Rudolphen zu Regenſpurg geſchehen / beydes gegenwertig vnd abweſendt vmb ſeinen rath vnd guetachten erſuechet. Inn ſumma er hat in warheit ſolliche treffliche ſachen verrichtet / daß er nit vnbillich mit einem jedlichen gewaltigen hochberühmbten Kriegsobriſten verglichen / jhrer vilen aber fürgezogen werden mag. Im Jar 1584. den Achtvndzwaintzigiſten tag May / iſt er zu Kilchhofen geſtorben / vnd ligt zu Kienßheim begraben.





FRIDERICVS III.

FELTRIVS VRBINI DVX.

FRidericus tertius Feltrius, Vrbini Dux ſecundus,
Guidone Antonio & Catharina Columna natus, in pueritia
optimis & ſapientiſsimis viris vſque ad vndecimum ſuæ æta-
tis annum inſtituendus traditur, quo tempore compoſitione inter
patrem & Eugenium Pontificem facta, obſes datus Venetias mit-
titur. Inde diſcedens cum Iohanne Franciſco Gonzaga, Marchione Mantuano, Veneti exerci-
tus Imperatore, Mantuam proficiſcitur, vbi à Sigiſmundo Romanorum Imperatore tredecim an-
norum adoleſcens equeſtri dignitate condecoratus fuit, & ſub dicto Marchione militarium exercitio-
rum fundamenta amplexus eſt. Firmata pace inter Guidonem patrem & Eugenium Pontificem Vrbi-
num reuocatus anno poſt ad ſeruitia Philippi Mariæ Mediolanenſis Ducis peruenit, qui cum Venetis bel-
lum gerens Brixiam obſidens Fridericum ſedecim tãtum annorum duobus triremibus & aliis nauibus ſu-
per Atheſim præfecit. Prima ſigna militaris induſtriæ ſub Roano in Brixiano agro edidit, vbi Gatamela-
tam Venetorum Ducem prælio ſuperauit. Poſtea cum Octauiano Vbaldino octingentis equitibus præfe-
cturam adeptus. Cum Franciſcus Sfortia Venetorum & Florentinorũ Dux, & imprimis Malateſta inuete-
ratus Vrbinatiũ hoſtis, Forum Cornelij quod Fridericus hereditario iure poſsidebat, grauiter obſiderent, for-
titer ſe defendit. Pacata Flaminia patri, qui à Sigiſmundo Malateſta, rupta pace, obſidebatur, in auxilium
venit, vbi Malateſta poſt diuturnum bellum cæſus, & quaſi toto ſuo dominio exutus eſt, cum econtrà Fri-
dericus ſuam ditionem mirum in modum auxiſſet. Facta poſtea interceſsione Sfortiæ cum Malateſta pace,
cum octingentis equitibus ad regem Alfonſum Neapolim proficiſcitur, vbi à rege, qui tunc cum Eugenio
Pontifice contra Sfortiam fœdus inierat, ſumma beneuolentia exceptus, equitum turmis præficitur, in quo
bello Florentinis multa oppida erepta, & Sfortia ad internecionem cęſus. Malateſtam Piſaurum obſidentẽ
eò adegit, vt ſoluta obſidione domum redire coactus fuerit. Interim dum Piſauri moratur, ab Vrbinatibus
eadem die, qua pater Antonius moritur, ad gubernationem à ſubditis magna cum lætitia euocatur. Mortuo
Picinino à Franciſco Sfortia, qui iam tota ſua ferè ditione à confœderatis expulſus erat, totius exercitus im-
perium conſequitur, quem vnicè diligens, etiamſi totius ſui dominij iacturam pati cogeretur, deſerere no-
luit. Non multò poſt à Florentinis contra Alſonſum Arragonium conducitur, cuius cæſo exercitu Plumbi-
num cum aliis oppidis in poteſtatem Florentinorum redierunt. Finita hac expeditione & conſtituta com-
muni & publica pace, Vrbini in ludis equeſtribus ab ictu lanceæ dextro oculo orbatus eſt. Mortuo Alſonſo
Arragonio, huius filij Ferdinandi, Pontificis, & Mediolani Ducis vno eodemq; tempore euaſit ſummus co-
piarum prę̨fectus, quibus non contemnenda ſtrenui ducis officia præſtitit. Ferdinandum enim ab aliquot
rebellibus Principibus ſuis iam penè oppreſſum in ſuo ſtatu conſeruauit, nec minorem operam Roma-
næ Eccleſiæ, dum ducem Sorianum ad Lirim commiſſo prælio ſuperat, nauauit. Sequenti anno Sigiſmun-
di Malateſtę, qui Joannis Andegauenſis Galli contra Ferdinandum partes tuebatur, exercitum inſtructiſsi-
mum funditus deleuit. Vnde ille paulò pòſt Senogalliam & totùm ferè Ariminenſe territorium amiſit, ob
quam victoriam per Pontificem Vicariatu Montano, Pergula, & magna parte Montis Ferretrij locis, Mala-
teſtæ dominatui ſubiectis inueſtitus eſt. Vrbinũ reuerſus à confœderatis Ferdinando Arragonio, Duce Me-
diolanenſi, & Florentinis contra Venetos militaris imperij ſceptrum accepit. Solutus Ducis Mediolanen-
ſis ſeruitiis ſub Ferdinandi Arragonij & Florentinorum ſtipendio honorificentiſsimo, vtpote triginta ſex
millium ducatorum, pacis tempore, permanſit. A Sixto Pontifice poſt fratrem Antonium per conſpirationẽ
occiſum in Vrbinatium Ducem confirmatus ab ipſo roſa & gladio conſecratis donatus eſt. Eodem quoque
tempore Eduardus Angliæ Rex ipſi ſui ordinis gemmatã Zonulam tranſmiſit. Demum cum Herculẽ Ate-
ſtinum aduerſus Venetos oppoſitis ad Stellatam oppidum copiis tueretur, & ex ijſdem locis à Padana aura
inſalubribus, propter paluſtre ſolum damnatis, lęthalem febrẽ concepiſſet, obiit Ferrariæ, corpus Vrbinum
deductum, & in ſancti Bernardini templo extra ciuitatem ſepultum eſt. Octies collatis ſignis conflixit, bis
tantum iniquo Marte pugnauit, cum ſexies victor, atq; exuto caſtris hoſte triumphalem lauream retule-
rit. Eum verò militiæ morem tenebat, vt tyrones prę̨ſertim nobiles ad parandum decus ſemper accen-
deret. Abhis autem, quos alacres & glorię auidos ſore prouidebat, hoc ſibi vnum preſtari poſtulare
erat ſolitus, vt, cum in conſpectum hoſtium deuenirent, non prius eorum aciem reformidarent,
quàm in eam andacter primas haſtas confringerent, quo impigrè facto, ſi ita videretur, vt
ſecunda pericula vitarent, tum demum equos reflecterent. Nihil enim ipſos ex eo receptu
vel pudoris vel ignominię accepturos aſſerebat. Dux namq; prę̨liorum, & eius ſeculi mo-
rũ eximiè peritus exiſtimabat ad primos impetus plerumq; parari victoriã, qui longè
vehementiſsimi ab effreni, & ætatis vigore concitato milite, quum à veterano de-
curione inducitur, prouenire conſueuiſſent. Hanc bellicæ laudis exiſtimationẽ
ornabant quoq; literarum honos, & magnificentiæ ſtudium. Prætorium
enim amplitudine & ſtructuræ elegantia Vrbini, & in eo Bibliothecam
libris omnium diſciplinarum refertiſsimam condidit. Nihil enim
alienius, & turpius in bono principe eſſe, quàm
neſcire literas ducebat.


CARL OTTO V. KIENBUSCH